D. IO. PHIL. GABLERI

OPUSCULA ACADEMICA.

EDIDERUNT

FILII

THEOD. AUG. GABLER,

REG. BAV. A CONSIL. ECCLES. ET ORATOR PRIM. BARUTH.

ET

IO. GODOFR. GABLER,

PHILOS. DR., THEOL. BACCAL. ET PASTOR OSMANNSTAD
PROPE VIMAR.

Vol. II.

ULMAE,

SUMTIBUS STETTIN. BIBLIOP.

MDCCCXXXI.

D. Johann Philipp Gablers

kleinere theologische Schriften.

Herausgegeben

von

seinen Söhnen,

Theodor August Gabler,

königl. baier. Consistorialrathe und Hauptprediger in Bayreuth,

und

Johann Gottfried Gabler,

der Philosophie Doctor, der Theologie Baccalaureus, und Pastor in Oßmannstedt bey Weimar.

II. Band.

(Die opuscula academica enthaltend.)

Ulm,

im Verlage der Stettinischen Buchhandlung.

1831.

Praefatio.

Ecce secundum opusculorum volumen, quod paullo ante praediximus, idque latinum. Nobis enimvero fratribus theologis editoribus quum placeret, ut germanice scripta ante latina prodirent, id quod vix aut omnino non fieri solet, haud inéptum esse videbatur. Si qui igitur sint, et adhuc sunt inter doctos viros nostrae quoque aetatis, qui propter praestantiorem, quam latino sermoni prae patrio tribuunt, nobilitatem hocce volumen secundum priori loco poni cupiverint, videant illi quaeso, quo-

modo in continua serie, qua volumen alterum alterum consequitur, conquiescant animumque nobiscum reconcilient. Utcunque vero sit, etiam in hoc volumine posteriori, quemadmodum iam in priori theodisco nobis cura erat, integra atque immutata exsistunt omnia b. patris nostri opuscula latina, videlicet antehac iam singulatim edita. Continet autem hoc volumen et dissertationes cum programmatibus, et orationes. Quod ad brevem vitae narrationem attinet subinde adumbratam, paucis commemorandum est, eam a b. patris ipsius manu conceptam, et ex academiae Ienensis annalibus *), in quorum adhuc primo volumine omnium doctorum tum temporis Ienae literas profitentium vitae enarratae exstant, verbotenus esse desumtam, omisso quidem indice pleno librorum ac libellorum eius ibidem a patre addito. Adiunximus tantummodo, ut ne etiam in narratione initio vitae finis deesset, supremae eius vitae adumbrationem, a fratre nobis dilectissimo natu minimo, qui tunc temporis ad finem usque domi praesto apud pa-

*) Cf. Annales Academiae Ienensis. Edidit Henr. Carolus Abr. Eichstadius Th. et Ph. D. Volumen I. Ienae in libr. Croeckeria 1823. 4 maj. Part. I. p. 3—10.

trem erat, Maximiliano Gablero, iurisprudentiae studioso, descriptam.

Ad singulas autem tractationes, praeter ordinem earum temporis seriei accommodatum, nihil admodum, ut par erat, vel ne minimum quidem ab editoribus additum est. Quanquam enim b. pater, utpote qui ipse de opusculorum eius apparatu atque editione saepe cogitabat, etiam in latinis nonnulla quamvis minus quam in germanicis in animo habebat, quae annotatione augeret ornaret vel mutaret; nihilo tamen secius omissis, quae ex schedulis sparsim manu scriptis annotationum instar subiici potuissent, placuit, ut singulos libellos puros putosque opusculorum, prout singula quondam in Georgiae Augustae, Altorfii et Ienae inprimis academiis prodibant, academicorum titulo ac conspectu theologis aequalibus posterisve traderemus. Iam enim huiusmodi exiguae operae editionis a filiis theologis institutae, ni vehementer fallimur, officii quid inesse arbitrabamur cum ob libellorum, quae ad rectam de scriptoris indole ac doctrina sententiam ex temporis ingenio ferendam valet, integritatem, tum inprimis ob eorundem, qui singuli magnam partem in officina literaria vel desunt, vel ne usquam quidem venales habe-

bantur, difficultatem atque inopiam. Sed in hac quoque exigua opera, ut iam solus per me loquar, mea minima plane nulla erat. Frater enim amatissimus natu maior theologus Baruthinus Theodorus Augustus, quanquam munerum opere ac vicissitudine occupatus erat, propter diuturnam meam infirmissimam valetudinem totam operam, quam prius ego patris domicilio proximus sumere proposueram, fraterne suscepit, et molestum omne, quod editio operum nonnunquam secum fert, et libellorum apparatum et singulorum latinorum germanicorumque collectionem ac missionem aliaque necessaria optime curavit, ita ut ad communem editionem nostram praeter consensum, quo in singularum tractationum ordinatione inter nos opus erat, vix aliud quid conferrem. Quo lubentius autem frater idem, qui prooemia primi voluminis iam scripserat, huius quoque latini voluminis praefationem scribere cupiebat et iam in eo erat ut eam scriberet, eo magis gaudebam, quod reconvalescenti petentique mihi concederet, ut ego alter filiorum theologus pietatis causa erga patrem parvula haecce mea adferrem.

Iam vero quum vix inciperem ea, quae ad editionem nostram spectant, finita sunt. Haud-

quaquam enim meum est, singulas voluminis tractationes diiudicare, sive vim meam et voluntatem spectaverim, sive gravitatem rei atque decentiam. Liceat igitur mihi, quod animus vult, paululum ex pectore loqui, non quo vel laudes de b. patre habeam, vel omnino aliorum iudicium praeripiam, sed potius et pietati erga patrem et amicorum eius benevolentiae palam quoque satisfaciam. Sunt enim fortasse, qui sive amici seu omnino b. patri animo deditì aegre tulerint opusculorum editionis moram. Iidem velim solatii causa mecum animadvertant etiamnunc, iam quatuor annis inde a morte b. patris praeterlapsis, aevi ingenium ita esse comparatum, ut ex lucubratione in his latinis quoque opusculis servata (modo filio de patris merito aliquantulum iudicare liceat) in nostrûm aevi literarum studia atque labores utilitatis quid aliqua ex parte posset adferri. An censetis rem theologicam nostram ipsamque religionem christianam detrimenti quid esse capturam, si theologi quidam recentiores, priusquam rebus novis studerent, animo sibi proponerent, cum ex his tum ex aliis veteranorum opusculis et assiduum mentis virium laborem imitari, et accuratam literarum studii diligentiam atque ἀκρίβειαν etiam atque etiam perscrutari, omnino autem rectam solidamque

historicae doctrinae viam, de qua haud pauci nostra aetate decedunt, omni pede inire atque consectari? Perinde ac si omnes theologastri isti, qui, et rerum theologicarum superficiem ut aërem pervolantes, et per sensuum diffusorum distortarumque phantasiae imaginum mare ultro citroque fluctuantes coelum eheu terramque Christianorum ciere student, iam in solidum profundumque theologiae studium ita deducti essent, ut e somniis resipiscerent, imo inanes vanasque tractatiunculas, quas multas ephemeras ad ineptiam usque emittunt, in vulgus producere tandem aliquando erubescerent.

At vero animi fervorem vincam. Minime gentium enim ullius hominis cogitandi dicendi scribendique libertatem urgeo, sed amo eam quam cupidissime atque foveo. Verumenimvero sunt, qui, cum literarum theologicarum scientiae libertatem inter et animi pietatem ad Iesu Christi instar compositam nullum quasi vinculum constare censeant, liberaliores nostri praeteritique aevi viros doctos theologos tanquam homines mente frigida rigentes, et, acsi per rationis usum a Deo Christove desciverint, improbos paganosque acclamant, et ex emortuis non ultimum etiam b. patrem levi nota ista designant. Istos tantummodo eosdem,

qui in theologia somniant propterea quod in philosophia dormitant, sermone hocce denoto. Equidem, nisi aliunde constaret, ex uno b. patris vitae exemplo, si pluribus exponere deceret, testari possem, quantopere per liberalius theologiae tractandae studium stabiliatur pietas probique animi vis ac veritas. Quid? quod revera nos filios non doctrinae laus, non studiorum laborumque patris magnitudo, non coeca in omnem eius sententiam reverentia, sed ipsa animi eius religio maxime vitaeque probitas ad opusculorum eius a se ipso diu propositam, cui subita mors intercessit, editionem instituendam ceu ad pietatis monumentum incitavit.

Nihilo minus tamen errant, qui paterna cogitandi literasque theologicas tractandi ratione me ita captum esse inde colligerent, ut in verba eius paene iurarem, et maiores, qui a recentioribus theologis tam in subtilitate interpretandi libros sacros acuenda, tam in historia ecclesiae dogmatumque diiudicanda, quam omnino in religionis christianae veritate illustranda facti sunt, progressus ne paulisper quidem in oculis animisque tenerem. Adeo, ut reliqua taceam, non sum nescius b. patrem, quem multi iusto liberius cogitasse accusant, a philoso-

phiae systematum suae aetatis vicissitudinibus ita fuisse alienum, ut, licet multa philosophiarum notitia instructus philosophandi studium semper recommendaverit, non solum a Kantii, quem omnium maxime secutus erat, philosophiae ratione ac via aliquantum abscederet (id quod, si religionem spectes, mea quidem sententia laudandum erat), sed etiam fere anxio christianae religionis, qua erat erga eam reverentia, auctoritatis obtinendae studio permotus (quasi christianae religionis auctoritas non per se obtineret) philosophiae immotam stabilemque viam parum sequeretur. Nam nimirum, quum aevi ingenium ita secum ferret, modo intellectui sive sensui, quem dicunt, communi haud raro fallaci, modo pii sensus potissimum genio, qui in vita quidem proximus sanctissimusque est rector, inscientia quoque theologiae biblicae et dogmaticae construenda nimium, quod opinor, multorum instar, indulgebat atque obsequebatur. Quo factum est, ut eorum plurium numero accederet, imo praeiret, qui, quamvis ipsi religionis scientiam, in qua solius verae rationis auctoritas valeret, et religionis christianae vim usumque separari suadeant, saepenumero tamen utrumque miscent inviti, et dogmaticam praesertim doctrinam etiam sub tuto sanae mentis prae-

sidio ita instituunt, ut ea et firmo philosophiae anthropologico-criticae, qua tutius ad religionis fontes permeatur, principiorum fundamento, et certa continua aequabilique careat regula atque structura, Quid mirum, quin ex hac fere vulgari et varia, quam saepe rationis nomine complectebantur, electione optimi quique theologi, quos dicunt rationalistas, varios rationalismos suae aetatis quidem perutiles, qui aequo iure eclecticismi vel etiam syncretismi dici possent, systematis instar componerent, pariter atque alii multi supernaturalismos mixtos moderatosque satis superque composuerunt.

Verumenimvero haec omnia, quae nunc quidem, ut opinor, recte desiderantur, non ita comparata sunt, ut liberalioris theologiae illis, qui sub saeculi decini octavi finem et a nostri saeculi initio florebant, viris gravissimis (quorum numero, ut aperte dicam, etiam patrem haud raro accensum videmus) gloriae ac decoris quid decerpi posset, (id quod non pauci nostri aevi tenebrarum studiosi clam palamque moliuntur); imo augetur illorum gravitas, si et multae molis, quam ex prisca deveterataque theologiae doctrina summo opere et labore removere studebant, spectamus ruinam

atque abolitionem, et variorum subsidiorum, quae nobis posterisve ex assiduae illorum diligentiae ingeniique thesauris patent, copiam atque apparatum. Tanto magis igitur, ut ad rem redeam, qualiacumque admodum desideraveris, fortasse etiam b. patris, sicuti multorum veteranorum, scripta varii argumenti et exegetica et historico-critica digna videntur, quae et doctorum theologorum et omnino gratissimorum quondam discipulorum in manibus versentur. Facile quidem fieri potest, ut dissertationes inter reperiantur, quae minoris aestumentur, quamvis in latinis saltem, ni fallor, fere nullae sint, plures autem maioris momenti ex. gr. diss. theolog. (VIII) de episcopis primae ecclesiae christianae eorumque origine. Sed orationum etiam nonnullae argumenti caussa dignae sunt; quibus hodie aures praebeantur e. c. illa „de tenuibus initiis, vera natura et indole doctrinae evangelicae per Lutherum instauratae" oratio anno 1817 in memoriam sacrorum restaurationis saecularem Ienae habita, tunc singulatim edita, nunc vero non sine consilio, quippe quae latinos inter patris fere postuma erat, in postremo voluminis loco posita. Redeunte enim per hunc, qui volvitur, annum memoria Augustanae confessionis saeculari, simul una cum fratre in sinu paulu-

lum optabam (modo venia sit filiorum optatis) ut b. patris, veluti tum temporis viva vox aedibus Ienae academicis resonabat, nunc eadem oratio illa postuma, per literas quasi rediviva, ad multas Germaniae aedes academicas easque theologicas inprimis abstrusiores reconditioresque et altius usque una cum reliquis, quas fere iam audimus, orationibus iterum iterumque personaret.

Sic prodeat igitur in publicum et hoc opusculorum volumen, quod bonum faustum felix fortunatumque sit! Sic Deus adiuvet, ut opus ipsum auctoris servet memoriam! Abs te autem, parens optime, qui, ipso hodierno die quatuor annos vivis tuis relictis, iam in coelestium catervis duce Domino Iesu Christo Deum sanctissimum luce solis clarius contemplaris, precor quam observantissime, ut huic filiorum, qua te in terra colere studemus, opellae adnuas, et si ego quidem hac in praefatione minus decenter dixerim, id et pietatis erga te fervori et veritatis, quam tu filios semper sequi debere ore atque exemplo adhortabaris, studio atque amori pace tua tribuas. Scribebam Ossmannstadii prope Vimariam die XVII. Febr. MDCCCXXX.

Ioh. Godofr. Gabler.

Narratio vitae (patris.)

Natus est Francofurti ad Moenum d. 4. m. Iun. a. C. 1753. Primis quidem aetatis annis domestica institutione usus, decimo pueritiae anno ad publicam in gymnasio patrio percipiendam accessit, primis linguarum ac bonarum litterarum initiis satis imbutus, duce inprimis Purmanno, Gymnasii Rectore. Anno saeculi 72. tempore auctumnali Ienam migravit, theologiae inprimis operam daturus, ibique per sex annos in omni scientiarum, quae theologum ornant, genere optimis usus magistris, in excolendis sanctioribus litteris disciplinae Danovii, Griesbachii et Eichhornii sese maxime tradidit. Quo peracto vitae academicae sexennio, anno 1778. mense quidem Octobri summos in philosophia honores nactus, defensa publice dissertatione exegetica in locum difficilem Ebr. III, 3—6., in patriam ad aliquod tempus rediit, ubi per tria semestria in pa-

tria domo commoratus, superato examine theologico, sanctiores litteras discendo, docendo et pro concione disserendo altius penetrare studuit. Anno 1780 sub tempus vernum Goettingam profectus, accepta a Ven. Theologorum Goettingensium Ordine sparta sodalis collegii Repetentium (quos vocant), atque impetrata a Philosophorum Ordine venia publice docendi, praeter Graecas Romanasque litteras interpretandis libris sacris imprimis operam dedit, donec vergente anno saeculi 83 Tremoniam in Guestphalia evocatus, ad munus Professoris ac Prorectoris in Archigymnasio in hac urbe florente capessendum per biennium se totum daret litteris ab humanitate profectis. At exeunte anno 1785. revertit iterum ad studia theologica acrius persequenda, postquam in Academiam Altorfinam ad duplex munus et Professoris Theologiae ordinarii et Diaconi in ecclesia oppidana obeundum demigrasset. Pro more in Academiis solito post ventilatam publice dissertationem inauguralem d. 21. m. Iun. 1787 de Iacobo epistolae eidem adscriptae auctore, in solemnibus Petro - Paullinis eiusdem anni

Doctor Theologiae *) creatus est. A. 1793. b. Iungio, qui tum secundum in Ord. Theol. locum tenebat, Norimbergam translato, in secundum hunc locum et Archidiaconatum successit, atque in hac provincia duplici cum voluptate haesit usque ad annum 1804. Per hanc undeviginti annorum decursum universum fere disciplinarum theologicarum ambitum docendo complexus est, atque praeter alios libros libellosque pracsertim ab a. 1798. 12. tomos diarii theologici novissimi, cuius fere dimidia pars a se ipso elaborata est, edidit. — Sed ab anno 1804. nova ipsi ineunda erat vitae ratio ac novum studium academicum percurrendum. Gratia enim serenissimorum Saxoniae Principum in academiam Ienensem evocabatur ad obtinendum secundum in Theologorum Ordine locum, cui quo adscriberetur, publice defendit m. Febr. A. C. 1805. disserta-

*) Nec forte memoratu indignum sit, eum ultimum fuisse Doctorem theologiae, qui in Academia Altorfina solemniter, etiam cum pompa quadam, in festo Petro-Paullino crearetur.

tionem de episcopis primae ecclesiae Christianae eorumque origine. Denique mortuo b. Griesbachio primum ordinis locum anno 1812. obtinuit. Quibus honoribus accessit, quod a Principe Serenissimo Vimariensi anno 1804. dignitate consiliarii ecclesiastici ornaretur, atque anno 1817. a Serenissimo Gothano iuberetur, ut ipsi esset ab intimis Consistorii consiliis. — Quare hoc imprimis in hac Academia datum sibi esse existimavit, ut docendo iuventutem studiosam pro viribus adiuvaret, nec multum scribendo tempus institutioni academicae praeriperet.

Ex quo (a. C. 1804) in hanc litterarum sedem migravit, in omnibus fere disciplinis theologicis erudire studuit iuventutem academicam. Tradidit enim non modo doctrinas theologicas ipsas, tam dogmaticas, dogmatico-historicas et biblico-theologicas, praetereaque et christologicas Vet. Test. quam disciplinam morum et philosophicam et christianam, verum etiam propaedeuticas, nempe encyclopaedicas, methodologicas ac litterarias in universam theo-

Huc suam ipse vitam scripsit.

Non ita multis annis post, ubi desiit vitam suam narrare, communi academiae Ienensis magis quam suae suorumque saluti consulens, Prorectoris munus senex suscepit tunc angustiis temporum difficillimnm. Multimodis enim offendebatur, multa obveniebant, quae vir non mitior moribus quam severior in legis vi exercenda non potuit non ferre paulo aegrius. Quod tamen postea non fugit Carolum Augustum Magnum Ducem Vimariae, nunc quidem beatum, cuius memoriam nulla inobscuravit oblivio. Hic enim, ipse litteratus, litteratis praerogativas quasdam praebere semper studens, Gablerum cum optime meritum omnino de academia Ienensi, tum propter ipsum illud Prorectoris munus praeclare administratum, haud scio an simul aliorum in hunc iniurias quasi abstersurus, ornavit permagno honore recepitque in ordinem equestrem albi Falconis. Iniquitatibus vero antea istis, quas supra tetigisse tantum sufficiat, taedetque omnes referre, in eum col-

latis accidit, ut, quae senis usque optima fuerat valetudo, iam in peiorem sese converteret, viresque inciperent tabescere. Hisce accessit malorum velut cumulus, dilectissimae atque carissimae filiae obitus. Quid mirum igitur, quod in diem crescente aegritudine, quamvis plura vellet, nil tamen nisi duobus voluminibus una cum praefationibus edidit opuscula Griesbachii magistri sui quondam collegaeque postea veneratissimi, cuius in viri memoriam omnes, quibus adhuc frueretur, vires colligendas sibi corripiendasque esse grato animo pioque sensu putans. Nulla vero eum valetudo prohibuit, quominus, id quod semper in summa sua cura posuit, easdem, quas ipse supra enumeravit, theologicas disciplinas eadem qua antea diligentia eodemque studio traderet, eadem usque frequentia audientium usus. Quanta vero pietas in hoc viro erga discipulos auditoresque, quanta religio, non modo in peragendis negotiis diurnis, sed in nocturna quoque ipsa quiete fuerit; haud veremur, ne non facile ex somnio eluceat, quod se habuisse extrema fere vita ipse liberis

duobus suis, qui ei praesto erant, natu minimis tradidit. Liceat igitur narrare, non quo interpretes somniorum atque coniecturatores videri vellemus, quum ipsius animus ab ista coniecturandi inanitate valde abhorreret, nec quo in somnio divinationis quicquam quaereremus, sed quoniam id ipsius interpres animi recti probique ac totius vivendi cogitandique velut imago esse videatur. Apparuerunt ei somnianti — sic enim narrat — genii duo tanquam a Deo missi, qui nuntiarent, quod ipsi mox decedendum vita esset. Lubenter quidem paratus quovis tempore divino nutui atque consilio obsequi, hoc tamen quaesivit statim ex illis „licetne mihi, inquiens, praelectiones meas dogmaticas absolvere", hoc nimirum spectans, ut ne morte quidem sua discipuli damno officerentur ullo; ita ut, quemadmodum semper vixisset, sic sibi liceret mori. Quod num fieret angelos nescire se respondentes abiisse in coela. Et ita evenit, ut, in qua functione vitam vixerat prope omnem, parum abesset, in ea ut obiret quoque. Vix enim quum quotidianas dogmaticas praelectiones fi-

niverat, ipsa tunc quidem verba locutus, quibus olim in finienda per quodque semestre praelectione dogmatica usus erat „Hier leben wir im Glauben, dort im Schauen"; vix quum cathedra descenderat, et reversus in conclave, schedulae pro largitione pauperi alicui praebenda (praepositus enim erat curae pauperum oppidanorum) nomen suum subscripserat: ictu tactus sellam inter et mensam, ubi dies noctesque literarum studii causa versabatur, corruens obiit XVII Febr. A. C. 1826, septuaginta paene tres annos natus, iam sine ulla mortis acerbitate ex fide ad clarissimam perspiciendi lucem transiturus. Neque tamen prope abesse vitae suae finem putaverat. Vesperi enim ante ipsum diem supremum plures enumerans theologos aliosque doctos viros, quos habuisset familiares, aut certe aequales, ut Henkium, Griesbachium, Heynium, Keilium, Knoppium denique et Vaterum, doluit profecto eos omnes morte praeivisse, paucosque adhuc ut Eichhornium aliosque in reliquam ipsius brevem longamve vitam existere, qui cum aetate pares sui essent, tum in theolo-

Huc suam ipse vitam scripsit.

Non ita multis annis post, ubi desiit vitam suam narrare, communi academiae Ienensis magis quam suae suorumque saluti consulens, Prorectoris munus senex suscepit tunc angustiis temporum difficillimnm. Multi-modis enim offendebatur, multa obveniebant, quae vir non mitior moribus quam severior in legis vi exercenda non potuit non ferre paulo aegrius. Quod tamen postea non fugit Carolum Augustum Magnum Ducem Vimariae, nunc quidem beatum, cuius memoriam nulla inobscuravit oblivio. Hic enim, ipse litteratus, litteratis praerogativas quasdam praebere semper studens, Gablerum cum optime meritum omnino de academia Ienensi, tum propter ipsum illud Prorectoris munus praeclare administratum, haud scio an simul aliorum in hunc iniurias quasi abstersurus, ornavit permagno honore recepitque in ordinem equestrem albi Falconis. Iniquitatibus vero antea istis, quas supra tetigisse tantum sufficiat, taedetque omnes referre, in eum col-

Conspectus.

I. Dissertatio exegetica in illustrem locum, Hebr. III, 3—6.

II. Dissertatio critica de capitibus ultimis IX — XIII posterioris epistolae Pauli ad Corinth. ab eadem haud separandis.

III. Prolusio exegetica in locum difficilem, Galat. III, 20.

IV. Oratio de iusto discrimine theologiae biblicae et dogmaticae, regundisque recte utriusque finibus.

V. Dissertatio theol. inauguralis de Iacobo, epistolae eidem adscriptae auctore.

VI. Oratio de librorum ecclesiae symbolicorum et legis regiae pro tuenda eorum auctoritate Leopoldo II scriptae (Wahl-Capitulation Art. II. §. VIII) iusta ratione ad libertatem coetibus evangelicis propriam.

VII. Oratio de Theologorum Altorfinorum per hoc saeculum meritis, eorumque iusta aestimatione.

VIII. Dissertatio theologica de episcopis primae ecclesiae Christianae eorumque origine.

IX. Programmata II, in quibus examinatur Forbigeri sententia de presbyteris aetate Apostolorum.

X. Programmata IV. novarum curarum in locum Paulinum, II. Corinth. V, 14—21.

XI. Programmata IV. in locum. Ioh. I, 29.

XII. Programmata II. Quo argumentandi genere usus sit auctor. epist. ad Ebraeos Cap. V, 5. 6.

XIII. Programmata II. quibus in ἀυθεντίαν epistolae Publii Lentuli ad Senatum Romanum de Iesu Christo scriptae inquiritur.

XIV. Oratio de tenuibus initiis, vera natura et indole doctrinae evangelicae per Lutherum instauratae, variisque illius ad nostra usque tempora vicissitudinibus atque multiplici usu ex hac doctrinae evangelicae indole ac historia capiendo.

I.

Dissertatio exegetica in illustrem locum Hebr. III, 3—6.

Quam
consentiente amplissimo philosophorum ordine
a. d. XVI. cal. Nov. a. r. s. MDCCLXXVIIII.
publice defendet
praeses
Joannes Philippus Gabler,
philosophiae doctor,
respondente
Theodoro Friderico Volz,
Badensi sacr. lit. cult.

Jenae.

Cogitanti mihi, qualem libello hocce academico, quo primus in scenam prodeo, exponerem doctrinae sive humanae sive divinae locum, varia quidem se obtulerunt argumenta, tam philosophica quam philologica ac critica novis curis sane dignissima. Quae cum plus temporis sibi poscerent, quam exiguum illud temporis spatium, quo mihi aliis quippe laboribus distento concludenda erat huiusmodi li-

belli scriptio, suppeteret, nunc mittenda, atque alii opportuniori tempori servanda erant. Aliam igitur materiam virium ac temporis rationibus magis aequam circumspiciens incidi denique in illam, quam hic trado, exercitationem exegeticam. Qua id egi potissimum, ut, sententias Paullinas Hebr. III, 3 — 6. obvias easque difficillimas commodo omnino, non contorto, nexu inter se cohaerere, nec adeo cum ratione de argumento insipide ibi tractato querendum esse, demonstrarem. Quod ut efficerem, et sententiae ipsae curatius erant enodandae, et interpretamenta aliorum solicite examinanda. Optimorum hinc interpretum, excepto Pylio ac Sykesio (quae enim et de Sykesio habeo, S. V. Crameri commentario debeo) qui ad manus non erant, sententias sic satis excussi, ut, ponderatis ab utraque parte argumentis, veritas perspiceretur facilius. Quo quidem negotio ita decenter ac modeste versatus esse mihi videor, ut summi illi viri, a quorum sententia recedendum mihi esse existimabam, nil prorsus habeant, quod aegre ferant; nisi indignari velint, quod egregio ipsorum exemplo admonitus nulla praeiudicata auctoritatis opinione, sed solis argumentis duci me patior. Certe persuasum habeant hi viri celeberrimi, quos pie veneror, me, Deus testis est! non nefando contradicendi pruritu, sed solo veritatis, qualem quidem nunc mihi perspicere licet, studio ductum ab ipsis recessisse; at aeque facile, si ipsi sententiam suam magis firmaverint, vel mea enunciata corrigere haud dedignati fuerint, mea me statim abiecturum esse, ac in eorum sententiam concessurum: in abiiciendis

enim opinionibus firmo non satis innixis fundamento paratiorem me certe habebunt neminem. Omnem igitur laborem doctorum virorum ac rerum peritorum iudicio submitto, qui si non infelici prorsus vel invita me Minerva laborasse iudicent; auctam hanc scriptionem ac ipsorum observationibus, quas mihi suppeditent, emendatam cum aliis exercitationibus philologicis ac criticis in N. T. libros nova ipsis forma reddere apud animum constitui. — Caeterum confido, aequos rerum arbitros, si summa rei quidem non plane ipsis displiceat, levioribus maculis non iri offensum, quas vel incuria sparsit, ipsa temporis brevitate facile excusanda, vel humana parum cavit natura.

---

§. 1.

Antequam ipsam segmenti illius Ebr. III, 3 — 6. interpretationem aggrediar, pauca adhuc de auctore, lingua ac tempore huius epistolae omnino monenda esse mihi videntur: ut certe adpareat, quam de quaque re sententiam foveam. — Paullum quidem auctorem esse huius epistolae ad Ebraeos datae ex multis mihi persuadeo argumentis. Quae vero fusius iam exponere non est huius loci; inprimis cum tot egregii viri eamdem rem prolixius tractandam sibi sumserint: e quibus Hallettum; Ill. Michaelis; S. V. Procanc. Cramerum; S. V. Carpzovium et Zachariae τὸν μακαρίτην nominasse sufficiat. Inter omnes autem eminet vir laude mea longe superior S. V. Semler 1), cuius omne hac de re iudicium meum facio. Pauca quidem sunt externa, uti vocant, argumenta, (ut nonnulla tantum huius rei momenta attingam) quae pro hac sententia militant. Latina consuetudo, teste Hieronymo, prorsus non recepit. Graeci haut pauci, cum certi ni-

1) In egregiis commentationibus Banmgarteniano in epist. ad Hebr. commentario praemissis, p. 6. sq.

hil scirent, certi tamen aliquid pronuntiare vellent, sola incerta dicendi formularum similitudine ducti in hunc illumve ceciderunt, qui vere auctor non esset. Ipsi Alexandrini, qui potissimum eam Paullo adiudicant, in varias partes abeunt, ingenio suo ac coniecturis nimis indulgentes, ita ut tanta auctoris incertitudine Origines inanis laboris pertaesus, et fere indignabundus in haec tandem verba erumperet: τὸ ἀληθὲς Θεὸς οἶδε 2). Quid quod ipsa auctoritas huius epistolae veteribus admodum suspecta fuit, licet aetas illius apostolica certa sit. Si C. Schmidio quidem, Vitembergensi theologo, fidem haberes 3), nubes esset testium, qui omnes auctoritatem huius epistolae suo corroborarent testimonio. Sed plurimi, quos perperam admisit Vir, nihil plane ad rem faciunt; idem vero, quod valde miror, primum Alexandrinum, a quo omnes reliqui acceperunt, Pantaenum 4) puto, silentio praetermisit. — Interna argumenta eo fortius comprobant, vel ipsam epistolae formam a Paullo fuisse profectam; nisi nefandam fraudem obvertas, cuius autem nec vola nec vestigium in universa epistola ad Hebraeos adparet. — Pau-

---

2) In celebri loco apud Eusebium H. E. L. IV. C. 25.

3) In libro: Historia antiqua et vindicatio canonis, qni Lipsiae 1775. prodiit S. 251.

4) Locus est apud Eusebium H. E. L. VI. C. 14. ubi ὁ μακάριος πρεσβύτερος, quem Clemens. Alex. laudat, ille ipse Pantaenus est, quod forsan praetervidit b. Schmidius, cum nulla expressa in hoc loco sit Pantaeni mentio.

ca vero dubia ex varietate stili et dicendi formularum Paullo in reliquis epistolis frequentatarum desumta evanescunt omnia, simulac statuamus, idque iure statuere nos posse persuasum habeo, hanc epistolam non modo maiori studio a Paullo fuisse elaboratam, quod ipsius quoque argumentum satis demonstrat; sed eamdem etiam primam omnium epistolarum Paullinarum esse, et Corinthi quidem ad Macedones Thessalonicenses, cum primis, perscriptam. Quod, meo quidem iudicio, egregie nobis commendavit S. V. Semler 5) et post eum extra omnem dubitationis aleam posuit S. V. Noesselt 6). Quomodo igitur post hos egregios celeberrimorum duum virorum Halensium labores Zachariae 7) hanc sententiam prorsus silentio praeterire, huiusque epistolae consignationem post acta Paulli a Luca Actor. C. XXVIII. commemorata collocare, ac per Hebraeos tamen Palaestinenses Judaeos tam adhuc in Palaestina degentes, quam profugos per Asiam dispersos intelligere potuerit, equidem non video. Qualem enim, ut id unicum modo urgeam, opem, quam Paullus ab Hebraeis efflagitat, aliis ferre potuerunt illi homines, qui ipsi opus haberent, ut Paulli precibus ab aliis sustentarentur?

Ex his simul patescit, hanc epistolam graece, non hebraice scriptam esse. Quidquid

---

5) In commentatt. supra laudatis, pag. 80. sq.

6) In diss. de tempore, quo scripta fuerit epistola ad Hebraeos. Halae Sax. 1769.

7) In introductione ad paraphrasin epist. ad Hebr.

enim Clemens Alexandrinus, Eusebius, Hieronymus aliique de hebraico ἀρχετύπῳ narrant, ex praecipitantia quadam in iudicando potius, cum ad Hebraeos hebraice tantum scribi posse existimarent, quam ex firma persuasione testimonio antiquiorum nixa promanasse videtur. Sola vero primae ecclesiae doctorum testimonia apud nos valent: nil autem eorum iudicia ac opiniones. Ipsi enim iudicare, ipsi opinari possumus. Illos vero doctores, qui hebraicum exemplum crepant, iudices in hac caussa agere, non testes, vel ex misellis ratiunculis 8) satis adparet, quibus opiniones suas suffulcire student. Huic accedit, neminem ab his viris laudari, qui unquam hebraicum exemplum aliquid, ne ἀρχέτυπον dicam, viderit 9). Hae igitur nonnullorum antiquiorum opiniones, quas nec recepit Origenes 10), recepisset autem sine dubio vir ille κριτικώτατος, si firmo testimonio niteretur; — hae igitur

---

8) Qualis ratiuncula illa Pantaeni est, quare Paullus nomen suum epistolae ad Hebraeos non praefixerit — apud Euseb. l. c. νόριος ἀπεςάλη πρὸς ἑβραίους — παῦλος ἐις τὰ ἔθνη ἀπεςαλμένος; Paullum hinc nomen haud praefixisse διὰ τὴν πρὸς τόν κύριον τιμὴν rel. Ohe!

9) Halletti et Michaelis argumenta quidem possibilitatem interitus omnium exemplorum hebraicorum quodammodo efficiunt. sed probabilitatem nobis nunquam persuadebunt.

10) Origenes quippe ad Euseb. H. E. L. VI. C. 25. aliam opinionem fovet: τὰ νοήματα esse Paulli: φράσιν vero et σύνθεσιν alius τινὸς ἀπομνη-μονεύσαντος τὰ ἀποςολικὰ καὶ ὥσπερεὶ σχολιογραφήσαντος τὰ ἐιρημένα ὑπὸ τοῦ διδασκάλου.

opiniones ab Origene quoque reiectae eo minus apud nos efficient quicquam; quo magis tam ex universa huius epistolae confirmatione, quam aliis argumentis historicis, iis praesertim, quibus, has litteras ad Thessalonicenses datas esse, intelligitur, nobis est persuasissimum, graece hanc epistolam a Paullo fuisse exaratam. Nec adeo adsentiri possum ingeniosis hebraici αὐτογράφα patronis, Halletto 11) eiusque celeberrimo commentatori Ill. Michaelis 12). Quorum vero dubia et argumenta maximam partem iam salverunt S. V. Cramer 13) et Semler 14).

---

11) In commentatione: de lingua, qua epistola ad Hebr. scripta est, Peircianae paraphrasi in epist. ad Hebr. ab Ill. Michaelis latine datae et illustratae praefixa.

12) Tam in scholiis ad Hallettum, quam in prolegomenis ad egregium proprium in ep. ad Hebr. commentarium. Quam sententiam vir ille celeberrimus adhuc retinet; quantum ex novissima introd. in N. T. editione §. 189. intelligere licuit. Cum vero ipsi non lubuerit, S. V Semleri argumenta refellere, nec mihi vitio vertet, quod in S. V. Semleri sum sententia.

13) In comment. Vta commentario eiusdem praemissa.

14) In commentatt. supra laudatis, inprimis p. 37. seq. Conferri quoque meretur Neidelii disp. sub modera-mine S V. Semleri habita: Quod graece epist. ad Hebr. Paullus exaraverit. Halae 1761. Multa quidem iam Semlerus ipse retractavit, emendavit in commentatt. saepius excitatis, haut pauca etiam cel. Michaelis, meo quidem sensu, egregie confutavit in

§. 2.

Si in universum huius epistolae argumentum curatius inquiramus, Paullum, facile intelligimus, id egisse potissimum, ut religionis christianae praestantiam primis lectoribus uberrime exponeret, ne externo cultus Mosaici splendore commoti missa fide Christiana ad pristina sacra redirent. Quod scribendi consilium ut eo felicius persequatur, tanto mentis acumine, tantaque doctrinae Judaicae copia magni novae religionis instauratoris praecellentiam vivis adeo depingit coloribus, ut luculentissime adpareat, Christum, sive personae dignitatem, sive muneris gravitatem spectes, omnes illos, ex quorum auctoritate splendoris aliquid sacris Judaeorum accedere possit, veteris oeconomiae μεσίτας, si cum ipso comparentur, multis modis superare.

Tertio sic capite Christi praestantiam prae Mose expositurus, cum in praecedentibus, angelis eum multo superiorem esse docuisset, ita rationes suas subducit. — Jesum, divinitus institutum sanctissimae religionis interpretem, non tantum pari, ac Moses veteris oeconomiae curam gessisset, diligentia suo munere fuisse defunctum; sed etiam Mosaica ampliorem multo et praestantiorem esse eius conditionem. — Tanto enim excellentiorem Mose esse Jesum in familia religiosa ab ipso Deo condita, quanto

---

prolegom. ad comment. recentiorem. §. 18. cum primis et alibi.

superior sit herus ipsa sua familia, cunctisque adeo vel primis administris, qui ad eam pertinent. — Quod ut facilius efficiat Paullus, quantum equidem video, ex eiusmodis argumentis, quae ipsi ab Hebraeis facile concederentur, rationes suas ita conficit. — Cum nulla familia capite suo careat; nec familiae a Deo instructae deesse posse, qui imperio suo cuncta in illa dirigat: Deum hunc esse familiae, quae ab ipso nomen sortita sit, rectorem; quippe qui et omnia condidisset, omnia disponeret. Ipsos autem filium familias in imperii domestici societatem pertrahere solere; ipsos Messiam filii Dei nomine insignire: ergo et id concedant, nec esse, quod ad Christum, quem tamen Messiam profiteantur, imperium familiae religiosae a Deo instructae pertineat. Jam vero Mosen in illa familia nil nisi ministrum fuisse, qui, licet summa cum diligentia omnia ipsi demandata procurasset, ad ipsam tamen familiam pertinuisset; nulloque hinc alio in V. T. ac servi et ministri nomina venire. Christum autem ex ipsis eorum opinionibus recte audire Filium Dei: iustum igitur ipsi tanquam filio familias imperium in universam οἰκονομίαν divinam competeret. Itaque naturali consecutione flueret, Christum tamquam herum multo superiorem esse Mose, qui modo ea, quae a Domino habuisset in mandatis, procurasset; tantoque excellentiorem Mosaica Christi esse conditionem, quanto herus sit praestantior omni sua familia. — Ita Paullus mihi videtur argumentari, itaque in hoc segmento versari, ut primum com. 3. thesin probandam proponat; probationem autem ipsam

v. 4—6. subnectat 15). Alii huius epistolae interpretes aliam quidem Paullo subiiciunt argumentandi rationem; qui ipsi iterum in varia sententiarum divortia abeunt. Quas vero opiniones omnes atque singulas hic refellere scriptionis ratio haud permittit. Sed si in ipsas huius segmenti partes sigillatim enucleandas, ubi nostrae sententiae aliorum interpretum rationes haud spernendae adversantur, incidero, simul cum illas curatius examinem, ipsas diversas, quas sibi quisque finxit, Paullinae argumentationis rationes excutiendi occasio locusque erit. Progredior igitur ad singulas argumentationis Paullinae partes diligentius explicandas.

§. 3.

Thesin probandam Paullus com. 3. ita exprimit: *πλείονος γὰρ δόξης οὗτος παρὰ μώσην ηξίωται, καθ' ὅσον πλείονα τιμὴν ἔχει τοῦ οἴκου ὁ κατασκευάσας αὐτόν.* Cum prius huius commatis membrum per se pateat, paucula tantum monebo. Voculam *οὗτος*, nemo non videt referendum esse ad *ἀπόστολον καὶ ἀρχιερέα τῆς ὁμολογίας ἡμῶν* (v. 1.) cui Deus partes legati divini tradidit 16);

---

15) Hammondum, b. Zachariae et Ven. Hess hic me secutum esse potissimum, facile quisque intelliget.

16) Ποιεῖν enim, munus, legati praesertim, deferre alicui significare, adparet cum ex Act II. 36. tum ex 1. Sam. XII, 6. apud τὸ ὅ coll. v. 8. ubi ποιεῖν explicatur per ἀποστέλλειν. Ποιεῖν quidem denotat nonnunquam generare Deuter. XXXII, 6. apud Philonem, et alibi. Cum vero

quo simul efficitur, Christum tamquam Messiam hoc loco cum Mose comparari. Locutionem autem δόξης ἀξιοῦσθαι significantiorem haud esse, ac δόξαν ἔχειν, ex altera formula τιμὴν ἔχειν in altero membro ipsi respondente iam adparet: idemque S. V. Carpzovius ex Philone recte notavit 17). Alterius vero huius segmenti membri sensus tanto maiori difficultate laborat. Ante omnia igitur inquirendum est, quid significet οἶκος, quid κατασκευάζειν? Vocem οἶκος non modo aedificium designare, sed etiam familiam, quae domum incolit, aeque ac hebr. בית notissima res est. Hanc vero vocis potestatem nostro quoque loco obtinere ex v. 2. patet, ubi οἶκος Θεοῦ, in quo Moses θεράπων erat v. 5. citra omnium dubium est, sacra illa Judaeorum familia 18), cuius auctor erat Deus. Id quod etiam colligimus ex verbis

---

aliud probatis auctoribus proprie sit γεννᾷν, aliud ποιεῖν (vid. loca apud Wetstenium) ac omnis quoquo contextus ratio priorem significationem suadeat; hanc merito praeferri iudicamus.

17) In doctissimis exercitt. in epist. ad Hebr. ex Philone Alex. p. 129.

18) οἶκον Θεοῦ v. 2. populum Dei esse, non tabernaculum, quod quidem ill. Michaelis vult intelligi, recte observat b. Zachariae ad h. l. Constans enim significatio voci οἶκος subsit necesse est in universa hac argumentatione. Jam vero Christus ὁ ἐπὶ τὸν οἶκον v. 6. non est Dominus tabernaculi cuiusdam, sed familiae a se conditae. Eamdem ob caussam Paullus etiam κατασκευάζειν non οἰκοδομεῖν adhibere videtur; quoniam sermo non est de exstructione aedificii, sed de instructione familiae.

v. 6. ὃυ ὅικος ἐσμὲν ἡμεῖς, quae non nisi ad sacram familiam, quam Christus condidit, ecclesiam quippe N. T. trahi possunt. Haec enim I Petr. IV, 17. ὅικος θεοῦ vocatur, quod ipsi nomen eadem de caussa concessum est, ex qua et alio, populo Judaico, olim proprio nomine λαὸς θεοῦ 1. Petr. II, 10. insignitur: omnibus namque iis praerogativis familia Christiana nunc gaudet, quibus olim gens Judaica fuerat instructa. Bene igitur ad hunc locum Chrysostomus notat, ὅικον non denotare ναὸν sed λαὸν.

Quapropter talis etiam verbo κατασκευάζειν hoc loco tribuenda est significandi vis, qualem vera illa, quae hic obtinet, vocis ὅικος significatio admittit. Quae propria illius, quam cum verbo ὀικοδομεῖν communem habet, notio, qua Exstruere significat, locum habere non potest; sed impropria potius illius significatio, qua Instruere, Instaurare denotat, huius loci erit. Ita Luc. I, 17 de populo, et Sap. IX, 2. de homine occurrit. Optime autem hanc locutionem, duce Grotio, quem etiam Hammondus et Peirce sequuntur, ex hebraismo quodam explicatam ad hunc locum aptare licet. Sicut nimirum Hebraei vocem בית ad notionem familiae transferunt: ita quoque verbum בנה in societate vocis בית de iis adhibere solent, qui familiam quandam condunt ac instruunt. Deuter. XXV, 9. Ruth. IV, 11. Jam vero κατασκευάζειν in derivatis saltem respondet hebr. בנה: (vid. Frommii Concord.) et Hebr. IX, 2. 6. XI, 7. coll. 1. Petr. III, 20. eadem igitur huic graeco verbo tribui potest significatio. Quae cum omni textus συναφείᾳ

maxime sit conveniens, non possumus non per κατασκευάσαντα h. e. conditorem herum familiae intelligere. Quemadmodum enim aedilis quisque dominus est ipsius iam exstructi aedificii, ita et conditor familiae dominus ipsius ac herus merito dicitur. Sic ergo intelligimus notionem heri ac domini in comparatione a Paullo instituta esse primariam, quae cum voce κατασκευάσας coniungatur; ac sequentem huic segmento subesse sententiam: Tanto excellentior Christus est Mose in familia sacra a Deo condita (οἴκῳ θεοῦ v. 2.), quanto herus potior est universa sua familia, omnibusque illius atque singulis, nullo excepto, sociis. (Moses enim et ipse erat progenies τοῦ οἴκου i. e. gentis Israeliticae; Christus autem conditor et dominus familiae divinae N. T. Matth. XVI, 18.)

§. 4.

Videamus iam, quae sit aliorum de sensu huius commatis sententia. — Primum hic nobis sese offert Cel. Morus 19) qui universam sententiarum seriem facilem minusque impeditam reddere studuit elegantissima, quae nonnisi ex tanto ingenio proficisci poterat, coniectura critica. Pro οἴκου scilicet legi vult οἰκέτου, vel quae melior mihi videtur coniectura, οἰκείου 20), quae vox resdonderet voci θεράπων

---

19) In elegantissima versione huius epistolae vernacula.

20) Videamus igitur. quomodo una lectio ex al-

v. 5. Evanescunt omnino levi hac mutatione omnes difficultates, quae sequentem in primis versum premunt. Sed doleo admodum, quod tam egregiam, tamque facilem coniecturam, quam unicam toti farragini Bowyerianae longe praefero, admittere haud possim. Si unus modo alterve codex manu exaratus vel una alterave versio antiqua hanc lectionem haberet, vel si in unico modo Patris, uti vocare solent, cuiusdam scripto extaret: nullus prorsus dubitarem laetabundus eam in textum recipere: sed, quod sciam, omnes Codd. omnes versiones, omnia Patrum effata in lectione recepta consentiunt. Equidem haud ignoro, veram ac genuinam lectionem plane deperditam esse posse; sed dubito admodum, an id contingat, ubi omnes testes in una lectione haerent. Et ubi de sano sensu non plane est desperandum, sed ubi modo de aptiori sensu, ac concinniori sententia sermo est, me paullo delicatiorem esse profiteor in κρίσει N. T. ubi tot sane praesidiis

---

tera oriri potnerit. Ex οἰκέτου facile describendo fieri potuit οἰκέιου, et ex οἰκείου dictando potissimum nostra lectio οἴκου. Sed ex οἰκέτης v. 4. non aequo facile oriri potuit οἶκος, nisi ita explices: Primum librarium, cum integram sententiam audiendo vel legenda exciperet, voci οἰκέτης substituisse συνόνυμον — οἰκεῖος: alium tandem ex Ittacismo pro hac voce legere vel audiré potuisse οἶκος: Sic vero adparet, coniecturam οἰκειος, qnod facillime cum οἶκος permutari poterat, longe praeferendam esse alteri οἰκέτης, ex qua longiori demum via ad lectionem receptam pervenire licet.

muniti sumus, ut coniecturam vel elegantissimam, qualis haec a Cel. Moro proposita omnino est, àdmittere vix liceat. Jam vero (§. praec.) vidimus, com. 3. sano sensu haud destitui, idemque de sequentibus infra videbimus; nulla igitur adest idonea ratio, quare textum deseramus, unanimi omnium testium criticorum consensu stabilitum. Praeterea idem, quem Cel. Morus coniectura sua commendat, sensus ex nostra quoque lectione resultat, si modo rem rite explicemus. Et enim ὄικος est familia, ad hanc vero omnes illi ὀικῖοι, quin imo ipse ἐπίτροπος, pertinent: quod etiam Chrysostomus ex loquendi usu recte observat 21). —

Progredior ad aliam sententiam a me alienam, Peircii puto; qui hoc ipso commate vocem ὄικου vult referri ad τιμὴν, non vero ad πλείονα. — Habet in eo secum consentientes viros doctrina et meritis gravissimos S. V. Semlerum et Ill. Michaelis. Existimat quidem Cel. Peirce, vulgarem interpretationem, cui et ipse cum Valla, Erasmo, Vatablo, Hammondo, Cramero, Carpzovio, Zachariae, aliisque subscribere non erubesco, propterea acriter defendi, ut deitas Christi,

---

21) Homil. V. in hanc epist Opp. I. VI. ed, Duc. pag. 743. Locus hic est: καὶ ἀυτὸς (scil. μώσης) τῆς ὀικίας ἦν. καὶ ὀυκ εἶπεν, οὗτος μεν γὰρ δοῦλος, ἐκεῖνος δὲ δεσπότης, ἀλλὰ τοῦτο λανθανόντως ἐνέφηνεν. ἐι ὁ ὄικος οὗν ἦν ὁ λαὸς, καὶ ἀυτὸς δὲ τοῦ λαοῦ ἦν, καὶ ἀυτὸς ἄρα τῆς ὀικίας ἦν. οὕτω γὰρ καὶ ἡμῖν ἔθος λέγειν, ὁ δεῖνα τῆς ὀικίας τῆς τοῦ δεινὸς ἐςιν.

cui non admodum favebat Peirce, ex comm. 4. tanto elici queat facilius. Verum enim vero quum δόγμα illud sanctissimum ex v. 4. non extorqueam; argumentum hoc ab invidia fere ductum me non tangit. Nihilo tamen secius comma 4. sano sensu haud destitui, nec adeo male cohaerere cum nostro commate, quamvis de Christo non agat, postea videbimus. Molli vero alveo consuetam nostri segmenti 3. interpretationem omnino fluere, interprete Ill. Michaelis, ipse largitur. Quid? quod ipse Semler ac Michaelis eandem sententiam, quam nos iudicamus in hac propositione esse expressam, et praecedentibus supplent 22).

Sed cum graecae linguae indoles omnino hanc comparationem per genitivi casum factam admittat; quid opus sit sententiam supplere, quae ex ingenio linguae expressa esse statui possit, equidem non intelligo. Inprimis autem comparatio claudicare paullulum, nec satis conveniens priori membro mihi videtur, nisi hic admittatur sensus: Quanto praestantior est herus universa sua familia omnique in illa famulitio.

Alii per οἶκον v. 3. iam intelligunt οἶκον θεοῦ ex v. 2. ὁ κατασκευάσας sic esset Deus, qui condidit illam familiam; omnisque verborum sen-

22) S. V. Semler lib. cit. p. 107. qnippe haec verba in parenthesi addit: Als derjenige, der nur zur Verwaltung desselben nachher bestellt worden; et Ill. Michaelis l. c, p. 154. in paraphrasi addit: Mit dem kein Knecht sich vergleichen darf.

sus ille: Tanto excellentior Christus Mose est, quanto superior Deus ipse est familia a se condita. Sic perquam solemnis Deitatis Christi demonstratio his verbis contineretur. Sed duo potissimum sunt, quae hanc interpretandi rationem non admittunt. Primum loco vocis ὄικου simpliciter positae extare oporteret ὄικου τούτου, quo demum sese referret ad formulam ὄικῳ αὐτοῦ v. 2. Dein male sic interrumperetur omnis orationis nexus; nec plane adpareret, quid Paullus sibi velit comm. 4. cum sua demonstratione propositionis com. 3. tamquam certae et evictae iam suppositae. Certe ieiuna admodum ac sterilis esset omnis oratio, male consarcinata omnis argumentatio. Apte autem cohaerent omnia, si v. 3. indeterminate ita accipimus: Tanto praestantior Christus est Mose, quanto potior herus quisque est sua familia. Prae omnibus autem aliis attentionem nostram meretur Ill. Michaelis sententia 23); qui tot difficultatibus hanc orationis seriem obsitam esse existimat, ut de sano illius sensu prorsus desperandum sit, nisi, nostra lectione missa, genuina ex hebraico αὐτογράφῳ restituatur. Sequens praesertim segmentum 4. omni sensu carere, nisi lectio emendetur, iudicat Vir celeberrimus: ubi igitur ex lectione recepta aptum sensum eruendi locus erit. Sed nostrum iam comma 3. hac premi, putat, difficultate, quod nullo nexu cohaereat cum sequentibus. Paullum promittere aliquid demonstrandum, cuius nulla

23) Protulit eam in commentar. saepius laudato p. 154. seq.

tamen subsequeretur demonstratio. Christum scilicet, Paullum velle efficere, tanto maiorem esse Mose, quanto praestantior sit herus quocunque familiae suae socio: at ne ullam quidem Christi tanquam aedilis et heri mentionem, ne dicam demonstrationem, subsequi. Quem in finem igitur Paullus comparationem supra instituisset, quam in sequentibus persequi nollet? Quod si vero hebraicum ἀρχέτυπον adsumatur, facile tolli posse omnes has difficultates. Ibi enim בְּנוֹ et בֹּנוֹ, quum iisdem litteris scribantur, facillime potuisse confundi, ita ut graecus translator pro בְּנוֹ legeret בֹּנוֹ v. 3. et priori v. 4. membro; quod vitium eo facilius potuisset committi, cum in altero v. 4. membro vere extitisset בנה הכל (ὁ τὰ πάντα κατασκευάσας). Quapropter Vir Illustris verbis Paulli hunc sensum subiicit: Tanto praestantior Christus Mose est, quanto maiori honore habetur filius familias in sua quisque familia. In universa enim familia est filius (כי לכל ביה בנו לנ) reliq.

Largior Viro Celeberrimo bene sic omnia in hoc segmento procedere. Sed varia obstant, quo minus huic Cel. Michaelis hypothesi adsentiri queam. Primum duriuscule tractari textus mihi videtur, si κατασκευάζειν bis reiicitur, semel autem in altero v. 4. membro retinetur; ubi tamen idem κατασκευάζειν se refert ad praecedentia κατασκευάζειν. —

Dein eiusmodi versio, quae talia vitia continet, qualibus sic scateret graeca hebraicae epistolae ad Hebraeos datae versio, quibus omnis sensus subvertitur, nullam prorsus fidem

meretur. Etenim non ubivis vitia versionis adeo ingeniose, ac Ill. Michaelis hoc loco detexisse sibi videtur, expiscari nobis tam felicibus esse contingeret. Nec vero graeca hac epistolae versio tot maculis deformis profecta esse posset a viro sub auspiciis ipsius Paulli eam procurante, quod tamen Ill. Michaelis vero videtur simillimum, (proleg. p. 72.) ne dicam θεοπνεύςῳ, sed ab homine quodam incertissimo. Carendum igitur nobis esset tam elaborata epistola Paulli, tamque gravis argumenti, cum semper ac ubivis metuendum sit, ne ab illo graeculo fallamur. Est quidem haec argumentatio a commodo ducta; attamen penitus confido, providam Dei curam, si servari non potuisset authentica epistola ad Hebraeos, certiori sane ac puriori versione nostris prospecturam fuisse commodis, qua tutius uti possemus ac tali tot tantisque vitiis conspurcata. Sed ex multis denique argumentis, quorum aliquam §. 1. mentionem feci, hebraicum ἀρχέτυπον non admittendum esse arbitror: quo omnis Cel. Viri emendatio uno velut ictu corruit. — Quod autem ad difficultates attinet ex contextu desumtas, equidem putarim, illas non esse insuperabiles, sed potius sententias Paulli sic satis cohaerere. Paullus enim suis omnino stat promissis, ac vere demonstrat, Christum esse τὸν κατασκευάσαντα. — Quod ut luculentius adpareat, ipsam nunc sententiarum Paullinarum huiusque adeo segmenti cum subsequentibus cohaerentiam exponere iuvabit.

§. 5.

Cum Paullus thesin probandam ita formaret: Tanto praestantior Christus est Mose (in οἴκῳ Θεοῦ v. 2.) quanto potior est κατασκευάσας ipsa sua familia; duo hic probanda esse cernimus: Primum: οἶκον Θεοῦ habere κατασκευάσαντα, deinde: Christum esse τὸν κατασκευάσαντα τὸν οἶκον Θεοῦ, Mosen vero illius familiae sacrae modo socium. Quod utrumque Paullum etiam vere demonstratum dare mihi persuadeo. Prius quidem v. 4. posterius vero v. 5, 6. — Priori quidem propositione, quam ultro quisque concesserit, demonstranda Paullus iure quodam suo supersedere potuisset; (et forsan, si alia, quam infra proponam, interpretatio magis arrideat, vere supersedit); sed in tanta sententiarum copia, quam eximia, quae in Paullo erat, igenii ubertas ipsi non potuit non advehere, ac in tanta ingenii affluentis velocitate non semper sibi temperare potuit a locis nonnullis communibus, qui menti ipsius inter scribendum obversabantur, universae orationi adspergendis, quemadmodum contra haut pauca ipsi lectori mente addenda relinquit atque amplificanda, quae non facile adsequitur quisque; quaeve eos praesertim male habent, qui nil ex auctore suo colligere solent, quam quod ipsis bene praemansum ante praebuerat.

Caeterum nec tum, ubi universum scriptionis argumentum bene satis praemeditabatur Paullus, singulas sententias anxie eum conquisivisse, disposuisse, nec singula semper, quibus illas exprimeret, verba sollicite satis delegisse, sanum quemque interpretem, qui scripta

Paulli, liberalius atque curatius mente non manu modo versarit, fugere vix potest. Quamvis igitur Paullus, ut eo redeam, unde digressus sum, priorem propositionem probandam mittere potuisset, ipsius tamen demonstrationem suppeditavit ex alia universali propositione. Omnis familia habet conditorem suum ac herum (πᾶς γὰρ οἶκος κατασκευάζεται ὑπό τινος). Nunc ipsum lectorem coeptum argumentum sequenti, qui mihi videtur, modo absolvere iubet: „Ergo etiam familia divina suo hero gaudet. Cum „autem omnis familiae is herus sit, qui eam „condidit, vel instaurat: Deus certo est herus „familiae religiosae a se conditae.“ Quid enim haec omnia ipse suggerat Paullus? Quid omnem orationis vim misera dialecticorum arte enervet? Nunquam profecto gravis ille Paullus ineptis syllogismorum formis pueriliter ludere potuisset, cum et ipse ἰδιώτης τῷ λόγῳ (2 Cor. XI, 7.) mentem a dialecticorum artificiis servaret incorruptam et lectores quoque poneret sani sensus ac severa dialecticorum disciplina nondum obtusi. Incusent alia servilia ingenia. quae prae rigore demonstrandi nihil videre scimus, Paullum nostrum, si nostro modo argumentatus fuisset, negligentiae! — — Et negligentia decet!

Deum autem in omissa propositione adsumi a Paullo, concludere licet ex sequenti enunciatione: ὁ δὲ πάντα κατασκευάσας θεός; qua id innuitur: „Deum qui omnium familiarum in „mundo dici possit dominus, cum omnia con- „didisset, sacrae inprimis familiae herum iure „adpellari, quam summa sua cura nunquam „non foveret.“ Vocem Θεὸς non praedicatum

sed subiectum constituere, iam patet ex eo, quod dictioni ὑπό τινος in priori membro subiiciatur. Omnem quoque sententiarum cohaerentiam subverteres, si, quod vulgo sit, Christum hic intelligere velis. Paullus enim (v. 3.) non vult demonstrare, Christum esse Deum, sed Christum esse τὸν κατασκευάσαντα. Porro, si v. 4. Christum qua κατασκευάσαντα esse Θεὸν, statueret; iam supponeret, Christum esse κατασκευάσαντα, quod tamen v. 6. demum demonstrat. Per τὰ πάντα intelligendam esse puto rerum universitatem, ita enim τὰ πάντα accipiuntur Ebr. I, 3. coll. v. 2. ac II, 8. 10. nec video, cur nostro loco cum Baumgartenio, Cramero, Semlero aliisque δεικτικῶς accipienda sint pro iis rebus, quae ad instruendam familiam sacram pertinent. Caeterum concedo, hanc propositionem posteriorem non adeo necessariam esse ad argumentationem Paullinam; sed potius adpendicis instar ceu locum communem a Paullo, qui eius mos est, additam. Attamen posteriorem hanc enunciationem mihi persuadeo non prorsus disiunctam extare a priori, dum vox Θεὸς digito quasi commonstrat rectam adsumtionis rationem: „Deus „est herus familiae a se conditae, si quidem „et omnium familiarum, cum omnium condi„tor sit, herus iure dici potest.“ Egregie sic sententias Paulli cohaerere censeo. — Attamen ipse adhuc dubius haereo, an huic interpretationi iam expositae non praeferenda sit alia, qua integrum comma 4. παρενθέσει includi volunt nonnulli 24): quod omnis fere huius

---

24) Favent παρενθέσει in nostro loco Oederus

versus conformatio suadere videtur. Etsi enim integrum hoc comma demas; omnis tamen salva manet Paulli argumentatio. Cum igitur adsumta παρενθέσει omnia bene fluant, parentheses vero Paullo frequententur, equidem non video, cur talem hoc loco non admittere liceat. Tum vero duplex iterum dari potest huius commatis sensus. Alter quidem si illud eo consilio a Paullo scriptum iudicetur, ut velut in transitu ex universali hac propositione: Omnis familia suum habet conditorem ac herum; demonstretur, nec familiam divinam suo carere hero: Alter vero, si modo eum in finem additum censeatur, ut illustrentur praecedentis versus verba ultima, ita ut, quae Paullo illa scribenti obversarentur, sententiae cum illis simul effluxerint. Ipsa autem sententiarum, quae hoc commate continentur, interpretatio, utrum sensum eligas, fere eadem erit. Omne nimirum discrimen versatur in diversa explicatione particulae γὰρ. Quod si enim priorem sensum eligas, γὰρ vertendum est, per nam, si autem posteriorem, per vero, scilicet: τὸ γὰρ vero non semper rationem praecedentis propositionis reddere, sed praeter vulgarem significationem alias, easque perquam elegantes habere, vel tironibus notum est. Itaque uterque sensus hic erit: „Cuius enim „(vero) familiae suus herus est, licet et ille „iterum domino ac conditori omnium sit subie-

---

notante b. Wolfio in Curis philolog. et crit. et S. V. Carpzovius in excrcitationibus sacris supra iam laudatis pag. 130.

„ctus.“ Nam ipsi illi heri minorum familiarum pertinent ad maiorem istam familiam, cuius conditor et herus Deus est. Sic adparet, etiam ex hac interpretatione enunciatum: ὁ δὲ τὰ πάντα κατασκευάσας Θεὸς, adpendicis loco habendum esse. Eiusmodi vero locutionum et sententiarum conformatio non modo Paullo admodum est sollemnis (1 Cor. III, 23. XI, 3. XI, 12. in primis, ubi vel eadem loquendi formula occurrit et alibi) sed etiam apud alios frequentatur. Illustre exemplum est apud Philonem in loco 25) nostro simillimo: οὐ γὰρ ἄνευ τέχνης καὶ δημιούργου (idem apud Philonem est, qui apud nos ὁ κατασκευάσας) νομιεῖ τὴν οἰκίαν ἀποτελεσθῆναι. τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ παντὸς κατασκευάσματος — — ἐστὶν δὲ ὁ τοῦδε τοῦ παντὸς δημιουργὸς, ὁ Θεὸς. Agit quidem ille locus de aedificiis, cum in nostro loco, mea quidem sententia, de familia sermo sit. Sed ipsa illa significatio familiae, uti supra observatum est, desumta est ab aedificio; ut adeo haec modo quaestio agatur, quae proxima sit et aptissima h. l. significatio, aedificii an familiae? Manet igitur locus Philonis nostro admodum παράλληλος, improprie tantum hic intelligendus; sicut idem Philo nostra verba: ὁ δὲ τὰ πάντα κατασκευάσας, Θεὸς, mox exprimit: ὁ δὲ τῶν ὅλων ποιητὴς, Θεὸς; mox: ὁ δὲ ἁπάντων ἡγεμὼν καὶ ἄρχων, Θεὸς, notante idem S. V. Carpzovio.

Quaenam igitur trium harum huius comma-

---

25) Lib. 3. leg. Alleg. apud Carpzovium libr. cit. pag. 131.

tis, quae iam ut verosimillimae propositae sunt, expositionum vere sensum Apostoli exprimit? Difficile hoc omnino est iudicare. Omne enim eo redit, quo ordine ideae Paulli in scriptione haut expressae in ipsis mentis Apostoli latebris sese exceperint. Sed de occultis cum certitudine, ac confidenter pronunciare non licet. Ipse quidem vero id puto simillimum: „Paullum velut in transcursu ipsam pro-„positionis primae probandae veritatem univer-„sali illo enunciato confirmare voluisse.“ Aliorum est aliter iudicare, utrum potius expressam primae propositionis probationem instituere voluerit; an ad ultima modo versus praecedentis verba ὡς ἐν παρόδῳ illustranda integrum comma adiecerit. Omne sane iudicium pendebit a certo animae nostrae situ, a qua nimirum parte ideas Apostoli haut expressas tum, cum scriberet ex se, invicem nexas collustrare illa composita sit 26).

---

26) Ipse ante aliquod tempus sententiarum Paullinarum aliter ac nunc mihi finxi, rationem. Exponam igitur brevissime, simulque confutabo, ut, si quis in eundem interpretandi modum inciderit, rationes sciat, quibus permotus ipsum abiecerim. Sensum com. 4. ita conceperam: Quilibet enim οἶκος suum habet κατασκευάσαντα, sicque τὰ πάντα etiam habent suum κατασκευάσαντα. — Deum scilicet. Etenim τὰ πάντα sunt οἶκος, et quidem οἶκος Θεοῦ: vocantur scilicet αἰῶνες C. I, 3. coll. v. 2. et οἰκουμένη, C. I, 5. expresse autem adpellantur οἶκος θεοῦ apud Philonem, (de somniis) qui ait: αἰσθητὸς ουτοσὶ κόσμος οὐδὲν ἄρα ἄλλο ἐστὶν, ἢ οἶκος θεοῦ? (vide apud Carpzovium l. c. pag. 131.) Hunc sensum contextu etiam com-

Sed caveamus hunc animae nostrae situm ipsi Apostolo subiiciamus ceu in dubium animae suae positum. Quicquid vero horum sit, omnes tamen interpretationes prolatae in capite rei sic satis conspirant, omnesque eodem red-

---

probari prorsus mihi persuaseram, dum Paullus, hac admissa explicatione, optimo ordine ratiocinaretur. Verba enim: ὁ δέ τὰ πάντα rel. sic efficerent conclusionem syllogismi contracti, cuius maiorem propositionem constituerint priora huius commatis verba: πᾶς γὰρ οἶκος κατασκευάζεται ὑπό τινος; ubi igitur minor sic se haberet: A. τὰ πάντα sunt οἶκος scil. θεοῦ et Conclusio: E. τὰ πάντα habent κατασκευάζοντα scil. θεόν; cui nostra verba inverso paullulum ordine ex asse responderent: ὁ δὲ τὰ πάντα κατασκευάσας, Θεός. — En vero rationes, cur illam demonstrationem Paullo subiectam nunc abiiciam! τοῖς πᾶσι non aequipollere οἶκον θεοῦ in nostro segmento inde adparet, quod citra omnem dubitationem οἶκος θεοῦ v. 2. 5. non Universum denotat, (quod etiam egregie observavit Ill. Michaelis ad h. l.) sed οἰκονομίαν V. T. et v. 6. οἰκονομίαν N. T. licet lubentissime concedam οἶκον θεοῦ designare posse Universum. Paullus etiam hoc loco non vult demonstrare, Christum esse supremum dominum universi, sed modo eum esse Caput ecclesiae. Cadit sic omnis demonstratio! — At, si quis per τὰ πάντα cum S. V. Cramero, Baumgartenio, aliisque intelligat ea omnia, quae ad instruendam ecclesiam pertinent, tum tandem bene flueret demonstratio Paulli, qualis a me proposita esset? Flueret omnino; sed supra iam observatum est, articulum τὰ male hoc loco δεικτικῶς pro ταῦτα accipi, τὰ πάντα hic commemorata potius eadem esse ac τὰ πάντα C. I, 3. coll. v. 2, et II, 8. 10. Tantum de meis somniis! —

eunt, τὸν κατασκευάσαντα omnino Deum esse non Christum. Quod vero primum est eorum interpretamentorum, quae, dum nostris rationibus adversantur, curantius iam examinare lubet.

§. 6.

Haut pauci Theologi divinitatem Christi in hoc loco se reperisse putant; ad quorum classem referendi sunt Baumgarten, Chr. Fr. Schmidius Vitembergensis (observatt. super epist. ad Hebr.) et inter superstites S. V. Cramer, qui autem non eadem omnes via procedunt. Alii, iique plurimi vocem Θεὸς praedicati loco habent; unde verba: ὁ δὲ πάντα κατασκευάσας Θεὸς, ita vertunt: „Qui vero omnia condit (Christus) Deus sit necesse est." τὰ πάντα vero hi explicant vel per universum ad quod etiam gens Dei in V. et N. T. pertineat 27), vel per omnia, quae ad instruendam οἰκονομίαν V. et N. T. erant necessaria 28). — Sed his

27) Sic b. Schmidius l. c. p. 90.

28) Sic uti iam supra observatum est, hoc comma exponunt Baumgarten et S. V. Cramer; qui vero ipsi adhuc haesitant. S. V. Semler autem, qui eandem fere explicationem in paraphrasi exhibet, aliam interpretandi rationem, eamque meliorem, in notis sequitur. Quomodo enim Θεὸς per: Deo aequalis, in παραφράσει dare potuerit, non video. Nec consequentia consequentis ex antecedente propositione satis patet. Caeterum illa Semleriana παράφρασις id potius, quod ex sententiis Paullinis consequitur, quam

viris refutatio iam supra parata est; ubi, vocem Θεὸς non praedicati, sed subiecti loco esse, satis evicisse mihi videor. Ponunt hi viri, Christum v. 3. iam declaratum esse pro conditore ac hero familiae; cum tamen demonstratio huius theseos v. 6. demum sequatur, ac v. 3. comparationis membra modo recenseantur. Deinde, quantum ex v. 3. colligere licet, Paullus non vult demonstrare, Christum esse Deum, sed modo, illum esse τὸν κατασκευάσαντα τὰ πάντα denique non intelligenda esse de adparatu ad οἰκονομίαν sacram necessario, sed de rerum creatarum universitate, cum articulum τὰ in τὰ πάντα premere ac δεικτικῶς hoc loco accipere haut liceat, etiam ad satietatem usque monitum est. — Alii vero existimant, etiamsi Θεὸς subiecti loco habeatur, tamen summam divinitatem Christi ex commate nostro colligi posse; cum aliunde (sic Hebr. I, 2. 3.) constet, Christum esse dominum ac conditorem omnium. Sed videant hi viri, quomodo cum logicis, quorum leges ita concludendo male migrant, in gratiam redeant. Caeterum de Christo, tamquam Messia, non quoad sublimiorem eius naturam, hic agi, patet ex indivulso nexu, quo v. 3. cum praecedentibus v. 1. 2. per voculam ὄντος cohaeret. — Alii denique, veluti Jac. Capellus, Braunius, ut hoc comma divinitatem Christi eo fortius comprobet, articulum ὁ in verbis: ὁ δὲ πάντα rel. ἀναφορικῶς accipiunt, ut hic sensus resultet: ille vero (Christus nimirum com. 1.)

---

curatam ipsius verborum sensus notationem exhibere videtur.

fabricator omnium, Deus est. Quae utpote sententia, modo sic liceret ex contextu colligere, adferendae divinitati Jesu Christi illustre testimonium suppeditaret; sed mera est pia horum virorum meditatio, quae, ubi de grammatica interpretatione agitur, in censum venire haut potest. Missis igitur his interpretamentis ad dogmaticas magis rationes compositis alia nunc disquiramus, quae nexum sententiarum Paulli aliter informant.

Peirce in commate nostro aliquid vult suppleri, ut intelligatur, Christum Mose esse superiorem. Haec igitur cogitatione addere iubet: „Quo quis propiore gradu patrem familias „contingit, cui plurimus in familia honos de„betur, eo est in omni familia honoratior; Chri„stum vero filium Dei Deus caput ecclesiae „paterque familias arctius complectitur, quam „Mosen servum; E. Christus honoratior Mose „est.“ Hoc ratiocinium recte argumentatione Paullina elicitur; sed supplendum non est; vere enim et expresse continetur v. 5. 6. ubi inprimis verba: ὡς υἱὸς, omne illud complectuntur 29). Modo huius loci non sunt hae sententiae, ubi merito reiicimus.

Sykes verborum nexum ita proponit: „Si „quaevis societas a hero suo dirigitur, qui ma„iori propterea honore habendus est; summus

29) Quae S. V. Cramer adversus Peirce monuerit, videris apud ipsum lib. cit. P. I. p. 195. ubi vero Vir Venerandus, quod pace tanti Viri dixerim, Peircium non satis intellexisse mihi videtur.

„profecto honos tribuendus est Deo, qui om-
„nia dirigit.“ — Melior haec interpretatio est Peirciana, cui etiam nonnulli recentiores favent, quos omni pietate deveneror. Vero, ut id quoque concedam, ex universa argumentatione Paullina potest elici. — At, an Paullus id exprimere voluerit hoc commate, admodum dubito. Etenim si Paullus eam comm. 3. partem illustrare voluisset, qua τιμὴ tribuitur κατασκευάσαντι; procul dubio aliter informasset comm. 4. hoc fere modo: πᾶς γὰρ κατασκευάσας τιμὴν ἔχει, ὁ δὲ τὰ πάντα κατασκευάσας, Θεός. — Cum vero Paullus ita enunciat; πᾶς γάρ οἶκος κατασκευάζεται ὑπό τινος, alius longe horum verborum, si universum eorum habitum spectes, sensus sit necesse est. Optimam vero esse hanc interpretationem post eas, quas §o praec. protuli, cum optimo nexu comm. 4. coniungat cum sequentibus aeque ac praecedenti, lubens confiteor.

Agmen iam claudat Ill. Michaelis, qui duplicem dedit huius segmenti expositionem: alteram quidem in scholiis Peircianae paraphrasi epist. ad Hebr. a se latine redditae adspersis; alteram vero in proprio commentario elegantissimo. — Quod ad priorem attinet, eam Vir Celeberrimus ipse improbat in commentario recentiori. Ut vero rationes innotescant, ex quibus mihi illa displiceat, ipsam paullulum collustrabo. Ita nimirum dicta Paulli coniungit v. 3.) „Maxima aedificii gloria ad architectum
„dominumque pertinet — v. 4.). In omni
„quippe domo non servus modo spectandus,
„sed inprimis is, qui domum condidit: atque
„adeo mentes vestrae non in solum Mosen di-

„rectae esse debent, sed inprimis in Christum. „Quem, ut architectum et conditorem domus „Dei, seu ecclesiae dico, non equidem nego, „Deum patrem (id quod mihi regeritis) „omnium architectum esse. v. 5.). At aliis hic „usus est in tantae amplitudinis templo mo„liendo: in quo negotio Mosis eae partes fue„runt, quae servi esse possunt: hae Christi, „quae filio debentur."

Sed primum refertur v. 4. ad τιμὴν comm. 3. quam Sykesii sententiam, ac comm. 4. cum comm. 3. connectendi rationem iam dedi refutatam: dein nonnullas alienas sententias admiscet Vir Celeberrimus, quarum nullum in textu est vestigium: sumit denique responsionem a Paullo innui verbis: ὁ δὲ τὰ πάντα rel. ad obiectionem quandam, quam sibi lectorum nomine formasset. At enim vero, melius iudicari Paullum h. l. ex concessis disputare, putarim (§. 2.), nexus saltim perspicientia hac sumtione longe redditur facilior 30).

---

30) Nec hanc interpretationem Ill. Michaelis sine nota dimisit S. V. Cramer in Comment. saepius excitato; cuius iudicio autem ipse subscribere non possum. Sumit Vir Venerandus, primos lectores epist. ad Hebr. iam ante eius consignationem de divinitate Jesu Christi fuisse certos. Quod si verum esset, nullum prorsus sanum scribendae huius epistolae consilium fingi posset. Quid prolixae illae comparationes Christi cum angelis, Mose, Aarone reliquisque veteris οἰκονομίας ministris, si isti Hebraei de divinitate J. C. persuasi fuissent? Aeque supervacanea omnis haec fuisset demonstratio, ac si quis hodie verbosius exponere vellet, principem

Attamen haec prior interpretatio Viri Celeberrimi, quam ipse abiecit, melior mihi videtur altera ab eo iam recepta, qua, ut difficultates sibi in hoc loco obvias superet, secundum hebraicum exemplum legi vult: כי לכל בית בנו לו; quod iam supra observatum est, ubi simul rationes addidi, quare ipsi in deligenda hac lectione adsentiri non possim. Quod autem ad insuperabiles, quas adesse putat, cum com. 4. cum antecedentibus et consequentibus non cohaereat, difficultates attinet; omnes evanescunt, simulac hoc comma παρενθέσει includas. Tunc ad v. 5. non transitur a v. 4. sed a com. 3. quod cum v. 5. optime cohaerere nemo non videt. Est autem lex primaria ἑρμενευτῶν, ea παρενθέσει includere, quae, modo in reliquis παρενθέσεων naturam habeant, cum sequentibus non apte satis cohaerent. — Datur vero etiam ex priori, quam §o praec. proposui, interpretatione bonus omnino ac facilis v. 4ti ad 5tum transitus. Et τὰ πάντα com. 4. licet de minori tantum familia Dei s. ecclesia, non (autem de maiori, quae rerum universitatem τὰ πάντα) complectitur, sermo sit, nos non offendunt; cum posteriorem com. 4. propositio-

---

potiorem esse suis subditis. Judicat porro Vir. Vener. ex Michaelis interpretatione non intelligi, quantum Christus differat a Mose; sed quantitas discriminis rite conficitur ex comparatione Christi cum capite familiae, quae etiam ex Michaelis interpretatione salva manet. Ceterum persuasum habeo, Cel. Cramerum multa nobis hodie melius daturum esse, ac ab ipso in illo commentario ante viginti annos accepimus,

nem, quamvis non plane superfluam, tamen adpendicis loco adiectam esse iudicemus. Continetur scilicet v. 4. ut iam ab initio §. 5ti notatum fuerat, demonstratio propositionis prioris: οἶκος Θεὸν habet κατασκευάσαντα; et com. 5. 6. demum demonstratur: Christum esse τὸν κατασκευάζοντα, eo quidem nexu, quem (§. II.) exposui.

§. 7.

Itaque Paullus v. 5. docet, qualis fuerit Mosis dignitas in familia sacra, ut eo magis v. 6. elucescat, quanto sit Christus illo praestantior. Hinc munus, quod Moses in ecclesia V. T. obiit, his verbis describit: καὶ μωσῆς μὲν ἦν πιςὸς ἐν ὅλῳ τῷ οἴκῳ αὐτοῦ, ὡς θεράπων, εἰς μαρτύριον τῶν λαληθησομένων. — Οἶκον Θεοῦ h. l. non designare tabernaculum, sed gentem Israel, iam colligi potest ex iis, quae supra (§. III.) dicta sunt, ubi observatum est, in omni hoc segmento maiori vocem οἶκον non denotare aedificium, sed familiam. Et de nostro versu luculentius adhuc patet, cum ex arctissimo illius nexu cum com. 6, ubi ipse Ill. Michaelis 31) concedit, οἶκον denotare familiam:

---

31) In Comment. p. 156. — Ipse autem argumentis Semlerianis (lib. cit. nota 141) adductus ex liberalitate haec addo: οἶκος quidem v. 6. etiam per templum verti posset; ecclesia N. T. enim a Paullo vocatur: ναὸς Θεοῦ. 1 Cor. III, 16. 2 Cor. VI, 16. immo οἶκος χριςοῦ eodem facile sensu Ebr. X, 21. et οἶκος πνευματικὸς 1 Petr. II, 5. — Sed cum nostro loco υἱὸς et θεράπων in οἴκῳ

tum ex Num. XII, 7. ad quem locum Paullus apperte respicit, ubi verba: בכל־ביתי quae oi o verterunt: ἐν ὅλῳ τῷ οἴκῳ μου, aliter reddi non possunt, ac In omni familia (gente) mea. — In hac familia Dei Moses iam dicitur fuisse πιςὸς in munere obeundo; cum res divinas, ut bonus οἰκόνομος bene administraret, ac mandata divina exsequeretur fideliter 32). — Verum tamen licet quam diligentissime omnia ipsi a Deo demandata procurasset, tantum tamquam administer (ὡς θεράπων) spectandus est: ipse ceu ἐπίτροπος s. οἰκόνομος ad familiam ac θεραπείαν pertinebat; οἶκος enim, in quo versabatur, non erat οἶκος αὐτοῦ, sed οἶκος θεοῦ (v. 2.) Voci θεράπων quidem nonnunquam nobilior paullo inhaeret notio ac voci δοῦλος vel οἰκέτης: atque eo quidem videntur inter se differre, ut δοῦλος aut οἰκέτης referatur ad

---

θεοῦ sibi opponantur, haec templi significatio non satis apta videtur. Quod si non obstaret, fere concederem ob summam verborum similitudinem, οἶκον v. 6. eodem sensu esse accipiendum ac Hebr. X, 21. — Caeterum haut negaverim, Paullum semper ad aedificii notionem simul respicere, immo nonnunquam adfines hasce vocis οἶκος significationes videri permutare.

32) Vocem πιςὸς hoc sensu adhiberi, testantur loca 1. Sam. (βασιλ.) III, 20. Prov. XXV, 13. 1 Cor. IV, 2. Nec aliter vertenda est in loco, quem Paullus spectat, Num. XII, 7. — Judaeorum fabulas, cur Moses נאמן (πιςὸς) vocatus sit, ac de ἀρχῇ Mosis in angelos ex Talmude exhibet Wetstein. Prolixius vero hanc fidelitatem Mosis descripsit Josephus. Contra Apionem L. 2, §. 16.

δεσπότην, θεράπων autem ad πατέρα, κύριον, vel βασιλέα; adeoque δοῦλος opponatur τῷ ἐλευθέρῳ, sed θεράπων τοῖς τέκνοις (qui etiam κύριοι vocantur Luc. XIX, 33.). Hinc fit, ut vel amici, sed vilioris sortis, qui rem domesticam administrant, θεράποντες adpellari soleant 33). Videntur quoque οἱ LXX hanc nobiliorem vocis potestatem in vertendo loco Num. XII, 7. in quo Deus ipse Mosen tanquam amicum suum describit, voluisse intelligi; ubi verba: לא כן עבדי משה reddunt: οὐχ οὕτως ὁ θεράπων μωσῆς. Paullum vero nostro loco, ubi Mosen θεράποντα adpellat, illam nobiliorem significationem spectasse vehementer dubito. Tantum enim abest, ut Mosen extollere studeat; ut eum demonstrare allaboret tamquam ministrum filio multo esse inferiorem. Sumit modo, quae apud τοὺς ο invenit, verba, rebusque suis aptat. — Praeterea vel servum Dei adpellari haud ultima laus est. Vere etiam Moses vocatur δοῦλος θεοῦ Apoc. XV, 3. Nec denique voce θεράπων et adfinibus semper spectari nobiliorem

---

33) Testis est Ammonius, qui: θεράποντες inquit, καὶ οἰκέται διαφέρουσι. θεράποντες μὲν γὰρ οἱ ὑποτεταγμένοι φίλοι, ἐφ ὧν θεραπεύονται οἱ προσήκοντες, οἰκέται τῶν δεσποτῶν. Quem locum pluresque alios ad illustrandam θεράποντος et θεραπείας notionem excitavit S. V. Carpzov in libr. cit. p. 132. Quibus ex Wetstenio addere lubet Eustathium, qui in Od. α. notat: οἱ δὲ θεράποντες ἁπλῶς ὑπηρέται εἰσὶ φίλου, οὐ μὲν κατὰ τοὺς δούλους: et Hesychium qui enunciat: θεράποντες, οἱ ἐν δευτέρα τάξει φίλοι. Plura videris apud ipsum Westenium.

illam potestatem, adparet ex Luc. XII, 42. 43. ubi Christus τὸν οἰκόνομον, qui est ἐπὶ τῆς θεραπείας v. 43. δοῦλον adpellat. Quamvis igitur Moses πιςὸς ἐπίτροπος esset in universa οἰκονομίᾳ veteri, multisque prae reliquis οἰκέταις praerogativis gauderet; tamen nil nisi minister fuit, constitutus — εἰς μαρτύριον τῶν λαληθησομένων. — Verba haec Paullo sunt obscuriora; variaeque hinc dantur eorum interpretationes. Plerumque λαληθησόμενα intelliguntur de iis, quae in N. T. de Christo quondam praedicarentur; Mosesque dicitur constitutus fuisse, ut praepararet ecclesiam evangelio ex ore Christi ac Apostolorum praecipiendo: Quomodo vero id a Mose praestitum esse nostro quidem loco intelligendum sit, non eadem omnes ratione pronunciant. Peirce, Cramer, Carpzov (l. l. c. c.) typice, aiunt, Mosen testatum fuisse, hic innui, de iis, quae in nova οἰκονομίᾳ quondam impleri deberent. Alii, veluti b. Schmidius Vitemb. (l. c.) potissimum id vaticiniis de Messia factum esse a Mose existimant. — Alii denique utrumque modum coniungunt, statuentes et typis et vaticiniis loco nostro Mosen dici significasse futura. Quo referas Baumgartenium et Wolfium (l. c. c.) Sed, licet ipsam rem lubentissime concedam, a me tamen impetrare haut possum, ut hunc sensum verbis subiiciam. Insolita profecto esset notatio eorum, quae in nova οἰκονομίᾳ fieri deberent, per λαληθησόμενα. — Deinde hic sensus non satis conveniens videtur consilio Paulli, quo Mosen non ut prophetam ac doctorem futurorum extollere, sed ut servum, qui nil nisi demandata diligenter exequatur,

longe infra Christum deiicere sibi proposuit, ut appareat, quantum differat Christus a Mose. — Cel. Morus 34) verba disceptata εἰς μαρτ. τ. λαλη϶. ad vocem πιςὸς trahit, huncque verborum sensum tradit: „Propterea Mosen fuisse fidum οἰκόνομον, ut Judaeus quisque, si audiret, „Messiam opportere esse μεσίτην, doctorem, „caput ecclesiae, rel. huic institutioni facilius „multo adsensum praebeat; cum exemplo Mo„sis, legatum divinum talem esse, iam edoctus „fuerit.“ Sed haec Cel. Viri interpretatio neque veras caussas diligentis curae, quam Moses in ministerio suo adhibuit, recte satis indicare, nec ad consilium Paulli rite quadrare videtur. Mosen hac potissimum de caussa, ut alii de ipso exemplum legati divini sumerent, munere suo fideliter defunctum fuisse, mihi quidem persuadere non possum. Si autem effectus hoc loco per rationem finis, quod haut raro in N. T. scriptis usu venit, exprimi iudicaretur; huiusmodi tamen effatum a consilio Paulli prorsus alienum est, qui non docere cupit, quid nobis ex Mosis exemplo sumere possimus, sed: quanto inferior Moses sit Christo. — b. Zachariae τὰ λαλη϶ησόμενα de iis explicat, quae a Paullo infra exponenda essent; eumque his verbis id innuere censet: rem narratam suis nunc inservire usibus, „conferre „scilicet ad melius instruendam, quam (v. 7. „seq.) ex illa comparatione Christi cum Mose „sumere vellet, exhortationem.“ Ingeniosa

34) In scholio elegantissimae versioni huius epistolae p. 7. subjecto.

„satis interpretatio! — At in hac verborum conformatione, hac sententiarum connexione hunc sensum vix ac ne vix quidem obtinere posse arbitror. Alia prorsus ratione haec verba a Paullo fuissent informata, ad calcem totius argumentationis forsan reiecta, si hanc illis sententiam subesse voluisset — Theodoretus 35), quem etiam S. V. Semler (l. c.) sequitur, ita sensum expressit: Deum vocasse Mosen πιςὸν θεράποντα, ut legibus ab eo ferendis fidem faceret. Varia vero, ut hic sensus demum emergeret, in textu essent supplenda. Primum quidem ante verba nostra — ἐκλήθη — deinde post illa: ὑπ' αὐτοῦ. Praeterea et hic sensus maiorem potius Mosi auctoritatem conciliaret, quam ut eum Christo inferiorem esse demonstraret. Moses hic tamquam insignis vel ipsa divina auctoritate munitus legislator, non autem tamquam servus adpareret. Haut commode igitur cohaeret com. 5. cum v. 6; ut supra notatas ellipses ne urgeam tunc admittendas, quibus facile supersedere possumus, si aliam interpretandi rationem sequamur longe faciliorem. — Ipse scilicet, praeeunte Grotio, Hammondo, Ill. Michaelis 36) S. V. Mosche 37) haec verba ita reddo:

---

35) Verba Theodoreti ad h. l. haec sunt: καὶ ἐκεῖνος μὲν πιςὸς ἐκλήθη, ἵνα δειχθῇ ἀξιόχρεως νομοθέτης. τοῦτο γὰρ εἶπεν εἰς μαρτύριον τῶν λαληθησομένων.

36) In commentario recentiori: in scholiis vero Peircianae paraphrasi additis Peircio adsentiebatur olim Vir Celeberrimus.

37) Ita enim haec verba interpretatur Vir summe

„Moses servus tantum erat, ac constitutus, ut „promulgaret populo, quae Deus ipsi quoque „tempore mandaturus sit,“ — μαρτύριον cum „suis cognatis saepius denotare praeconium, „testantur loci 1 Cor. I, 6. II, 1. 2 Thess. I, „10. 2. Tim. I, 8. Apoc. I, 2; ubi μαρτυρεῖν dicuntur, qui praeconium evangelii de Christo in mandatis habuerunt. Nec vere obstat huic interpretationi, quod plerumque obiicitur, non extare λαληθέντα sed λαληθησόμενα: tum temporis enim, cum Moses constitueretur voluntatis divinae interpres, ea, quae promulgaret, mandata divina adhuc erant futura; quondam et accipienda a Deo, et populo exponenda.

§. 8.

Quantum autem hoc servo Mose superior sit Christus atque praestantior, edocemur com. 6. his verbis: χριςὸς δὲ, ὡς υἱος ἐπί τὸν οἶκον αὐτοῦ. Ante omnia hic disquirendum est, quaenam verbis: ἐπί τὸν οἶκον, subsit sententia? Plerumque respondet haec loquendi formula alteri hebraicae על הבית (2 Reg. XV, 5.) quam οἱ ὁ reddunt per οἰκόνομος. 1 Reg. XIV, 6. 2 Reg. XIX, 2. coll. Jes. XXII, 15. — Eodem facile sensu eadem formula occurrit Hebr. X, 21. de Christo; quod curam ecclesiae gerit, tamquam praefectus sacrae illi familiae. Haut pauci igitur formulam ἐπί τὸν οἶκον, nostro quoque loco hoc sensu accipiunt; velnti Vata-

---

Reverendus patriae reipublicae praesul gravissimus in egregio Φιλοβίβλῳ P. I. pag. 252.

blus, Vitringa, Peirce, b. Zachariae, Cel. Norius, alii. — Et hanc sane οἰκονόμου significatio aptum omnino verbis ἐπί τὸν οἶκον, si illa nostro loco in se spectes, sensum subiiciunt, hunc scilicet: Moses quidem erat πιστὸς οἰκόνομος in familia sacra, sed tantum tamquam θεράπων; Christus vero curam familiae sacrae gerit tamquam filius. Sed si argumentum duorum horum commatum accuratius pensitamus, non possumus non intelligere, hanc interpretationem non omne illud discrimen inter Mosen et Christum satis exponere, quod tamen his verbis ex consilio Paulli vere inest. Hoc enim verborum sensu admisso, Moses etiam dicendus erit ἐπί τὸν οἶκον fuisse; nam erat οἰκόνομος. Paullus vero Christum ΕΠΙ τὸν οἶκον manifeste opponit Mosi ΕΝ τῷ οἴκῳ. Admittenda igitur alia est formulae ἐπί τὸν οἶκον potestas, quae magis declaret, quantum Christus differat a Mose, qui modo a Paullo dicitur fuisse Ἐν τῷ οἴκῳ. — Et haec sese nobis ultro offert ex consueta significatione voculae ἐπί aeque ac hebr. על quam imperii nota est v. c. Ps. VIII, 6. apud τοὺς ό (hebr. v. 7.) coll. Hebr. II, 7. inprimis autem Luc. I, 32. 33. qui locus nostro admodum est παράλληλος. Quam voculae ἐπί significandi vim si h. l. adsumas, hic verborum sensus resultat. Christus vero tamquam υἱὸς est herus ac rector suae familiae. Qua quidem interpretandi ratione optimos quosque interpretes mecum habeo consontientes: Grotium, Hammondum, Semlerum (qui per coherum reddit, cum Deus ipse v. 4. herus sit, Christus modo coherus) Cramerum, Mi-

chaelis, Baumgartenium, Wolfium, Hessium, ac ipsum Bahrdtium, qui autem praecedentia incisa vertendo ita invertit, ut plane nesciam, quamnam lectionem mihi prorsus ingnotam secutus fuerit. — Alii imperii iudicium etiam hic reperiunt, non autem in verbis ἐπὶ τὸν οἶκον, sed in notione υἱοῦ, filii familias, qui, cum non pertineat ad θεραπείαν, ipse herus sit ac dominus. Ita iam Chrysostomus notat ad h. l. εἰς τὰ πατρῷα (υἱὸς) ὡς δεσπότης εἰσέρχεται. — οὗτος (μωσῆς) δὲ ὡς δοῦλος; quem etiam b. Zachariae sequitur. Inest omnino notioni υἱοῦ nota imperii, sed eam ipsam ob caussam Christus, quia est υἱὸς, familiae suae rector ac herus est (ἐπὶ τὸν οἶκον). Alii, praeeuntibus Theodoreto et Theophylacto 38), supplent v. 6. vocem πιςὸς in inciso 5to obviam; veluti Baumgarten, Cramer, Peirce, alii, ut hic sensus resultet: „Moses quidem fidus servus est in οἰκονομίᾳ di„vina, Christus vero fidelis est super familiam „suam.“ — Si prior formulae ἐπὶ τὸν οἶκον, qua οἰκόνομον denotat, significatio admittatur, πιςὸς ex v. 5. recte repetitur, hicque sensus subest: Christus vero tamquam υἱὸς diligentem rerum suarum curam gerit: sin autem altera verborum potestas, quae omnino hoc loco potior est, adsumatur, hanc repetitionem plane superfluam esse censeo. — Christum enim,

---

38) Sic Theodoretus: ὁ δὲ χριςὸς ὡς υἱὸς καλεῖται πιςὸς. Theophylactus vero: ὁ μὲν μωσῆς πιςὸς ἦν, ὡς θεράπων — ὁ δὲ χριςὸς πιςὸς ἐςὶν ὡς υἱὸς γνήσιος καὶ κληρόνομος.

si ipse herus ac dominus est, ecclesiam bene ac diligenter esse gubernaturum, nemo facile in dubium vocaverit. Heri diligentia in regunda familia praesumitur: servi in administranda eadem non itidem. Nimis exilis certe, repetita ex inciso 5to voce πιςὸς, ac iusto longius protensa omnis fieret oratio; cum maior profecto vis verbis constet, si reddantur: „Moses quidem familiam Dei diligenter administrabat, sed modo ut servus: Christus vero „tamquam filius est rector ac herus familiae.“ Filii enim cum patre omnem dirigunt familiam, quare Latinis dicuntur Heri minores: sunt Coheri. Primogenito inprimis hoc ius nunquam non concessum esse, notum est. Filius enim cum herus sit, vivente adhuc patre, quodammodo dominus rerum paternarum iudicatur; unde est, quod κληρονομία haut raro in N. T. ipsam possessionem significet. Si igitur filius familias, cum coherus sit, multo superior est quovis servo res familiares administrante: Christus etiam multo praestantior iudicandus est Mose, cum tamquam filius sit caput et rector familiae suae.

Unde simul intelligitur, lectionem ἈΥΤΟΥ praeferendam esse alteri ἈΥΤΟΥ. Etenim, cum Christus ecclesiae caput sit, ipsa commode dicitur sua. Quod item etiam suadent verba sequentia: ὉΥ οἶκος ἐσμὲν ἡμεῖς, quae multo facilius referuntur ad Christum, quam ad Deum, cuius remotius mentio fit. — Legunt quidem ibi nonnulli testes ὉΣ pro ὉΥ, cui lectioni etiam favent Beza, Bengel et Baumgarten; sed non tantae sunt auctoritatis, ut lectio re-

cepta multo gravioribus testibus confirmata a nobis mitti possit. Legunt vero ΑΥΤΟΥ non modo recentiores interpretes haut pauci, Beza, Erasm. Schmidius, Carpzovius, Cramerus, alii; sed etiam antiquiores tum versiones, Syriaca inprimis, tum interpretes, veluti Theophylactus, qui verba: οὗ οἶκος ἐσμὲν ἡμεῖς reddit: οἶκον δὲ ἔχει ὁ χριστὸς, ἡμᾶς. — Alii contra viri doctissimi, legunt ΑΥΤΟΥ. Sic S. V. Semler voculam trahit ad Deum ob vocem υἱός. Sed, meo quidem sensu, nil impedit υἱοῦ denominatio: cum enim υἱὸς coherus sit, familia etiam sua dici potest. Pyle 39) quoque praefert lectionem αὐτοῦ ob v. 4. 1 Tim, III, 15. et 1 Cor. III, 9. — Ibi quidem ecclesia Dei dicitur, eam vero non simul Christi dici posse, inde non elucet: plura potius extant loca, in quibus expresse ecclesia Christi dicitur. Eph. I, 22, 23. V, 29. 30. 32. Rom. XVI, 16. Matth. XVI, 18. — Maxime omnium autem lectionem αὐτοῦ defendit Peirce (l. c.) — Duo potissimum sunt, quae lectioni αὐτοῦ obstare putat. Primum quidem, si Paullus ecclesiam tamquam Christi ipsius domum spectasset; prorsus alienum fuisset eius mentionem sub filii nomine facere; etenim, si caput esset, non tamquam filius, sed tamquam supremus dominus familiae suae praeesset: alterum vero, Christum v. 1. sacerdotem adpellari, qui autem non suae,

---

39) Ita habet Pyle quantum eius mentem perspicere licuit ex collectione coniecturarum criticarum Bowyeriana a cel. Schulzio edita ad h. l.

sed alius ecclesiae praeesset: quod extra omne dubium poneret alius locus nostro admodum similis Hebr. X, 21. 23. — Ad prius regero: Cum filius familias quoque herus est, qui familiam gubernat, non video, cur ecclesia dici non possit Christi tamquam filii familias? Christum vero caput ecclesiae esse, adeoque ipsam esse familiam Christi, haud pauca testantur S. S. loca, quorum nonnulla Peirce ipse excitat. Quod autem Dei ecclesia ut plurimum vocari soleat, nil impedit, quo minus loco nostro Christi familia possit adpellari. Quod ad alterum attinet, concedo quidem, Christum qua sacerdotem non commode dici posse ecclesiam suam gubernare; sed potest qua filius, qualem nostro inciso Christum Mose servo Paullus opponit. Quid? quod Paullus in hac ipsa epist. ad Hebr. C. VIII, 1. Christo ceu summo sacerdoti summam imperii defert. Loco vero Hebr. X, 21. nostro licet perquam simili alium ac nostro commati sensum subesse supra observatum est. Quae vero Peirce ex repetenda voce πιςὸς dubia adhuc struit, me quidem, qui nil repetam, non tangunt. Videant alii, qui cum Peircio in commate nostro πιςὸς ex versu praecedente supplent, quo iure lectionem αὐτοῦ defendant; obiectasque ipsis a Peircio sani sensus difficultates sane haut leves superent. — Quae cum ita sint, salvam manere lectionem ΑΥΤΟΥ, salvumque sensum, mihi persuadeo, qui inde resultat: Christus est herus et rector familiae suae tamquam υἱός. —

§. 9.

Restat igitur ne quidquam sicco pede transire videamur, ut accuratius nunc disquiramus, quaenam voci υἱὸς scil. Θεοῦ nostro loco subiecta sit sententia. — Plurimi interpretes, non ii solum, qui ubivis per υἱὸν Θεοῦ divinitatem Christi innui putant, sed ii etiam, qui, in evangeliis haut raro Messiae munus hac voce significari, statuunt, nostro loco per υἱὸν intelligunt aeternum Dei filium, s. Christum secundum divinam illius naturam. Sed quamvis divinitatem J. C. ex toto animo credo, eamque contra omnes quoscunque adversarios ex tabulis N. T. defendere me posse confido; eam tamen hac denominatione υἱοῦ nostro quidem loco indicari mihi persuadere non possum. — Vocem υἱὸς Θεοῦ nimirum in N. T. ex usu loquendi Judaeorum, qui, cum reges suos cum reliquis Orientis populis filios Dei adpellari solerent, Messiam potissimum et per eminentiam filium Dei nominarunt, saepius nil nisi Messiae munus designare viri haut pauci doctrina et meritis conspicui dudum observarunt. Sufficiat nominasse ex antiquioribus Grotium, magnum illum ducem omnium bonorum interpretum, Lockium, Bensonium, et e recentioribus: Ill. Michaelis, Heilmannum et Zachariae τοὺς μακαρίτας, S. V. Danovium 48); et recentissimum quod sciam,

---

40) Fusius hanc vocis potestatem eruit in perdocta prolusione academ. Jesus Christus filius Dei, inscripta; et quidem comment. I.

S. Rev. Koppium 41). Iidem vero viri celeberrimi, b. Zachariae inprimis (Theol. Bibl. P. I.) ac S. V. Danovius et S. Rev. Koppe aeque egregie demonstratum quidem dederunt, in multis locis Paullinis hanc υἱοῦ ϑεοῦ denominationem sublimioris Christi naturae indicem esse; cui praestantissimorum virorum iudicio lubentissime subscribo. Concedo quoque Ven. Koppio: in caeteris, quae Viri verba sunt, locis Paullinis, quibus idem nomen, etsi nuda nullaque addita explicandi formula, occurrit, eodem eminentiori sensu de divina quadam servatoris natura esse interpretandum — ubi scilicet mutatae ab apostolo in aliam partem sententiae nec vestigia ulla sint, nec ratio fere cogitari possit. Hoc loco autem, cum Ill. Michaelis et b. Heilmanno persuasum habeo, eiusmodi vestigia esse, ac rationes quoque cogitari posse, ubi Paullus ad Christianos Ex-Judaeos de praestantia religionis Jesu nondum satis convictos scriberet, sententiae in aliam partem mutatae — si potest

---

Vir ille summe venerandus, Magnificus h. t. academiae Prorector, fautor ac praeceptor meus pie suspiciendus.

41) Concinne et egregie hanc vocis vim exposuit praestantissimus Gottingensium Theologus in elegantissimae N. T. notis perpetuis ab ipso illustrati editionis Vol. 1. Excurs. II. — Faxit Deus, ut egregia haec N. T. editio, eximiae, quae in Cel. Viro est, genuinae sacrarum litterarum interpretationis scientiae testis locupletissimus, plures ex somnolentia exegetica excitet, ac grammaticae interpretationis studium quam plurimis commendet! —

quidem mutata dici — quae legitur in prima, qualem hanc ad Hebraeos datam habeo, epistola Paulli, aliqua sententia. Paullus mihi potius videtur deinde a consueta huius vocis, qua Messiam denotat, significatione in hac epistola ipsi adhuc frequentata, demum recessisse, ac illustriorem illi potestatem tribuisse, ubi ad Christianos τελειοτέρους perscriberet.

Ut vero ad eruendam vim ac potestatem vocis υἱὸς in nostro loco obviae redeam, nulla sane adparet ratio, cur alia ipsi notio, quam quae C. I, 2. obtinet, subiicienda sit. Ibi autem υἱὸν Messiam denotare tam ex oppositione, quam ex pradicatis, quae logici vocant, principalibus luculenter satis adparet 42). Ὑιὸς ni-

42) Luculenter id docuerunt Ill. Michaelis in comment. laudatiss. p. et sq. et p. 103. 104. — ac b. Heilmann in prolusione notissima, quae extat inter eius opuscula a S. V. Danovio edita Vol. II, p. 536 seq. Qui vero, cum omnem veritatem ex compendiolo suo, avitisque schedulis dimetiri soleant, lubricam admodum horum virorum auctoritatem pronuncient, sciant, me nil plane cuipiam auctoritati tribuere, sed solis argumentis, quae hic fusius propono, duci; — sed ut horum etiam ingenio aliquid dem — dandum est enim omnino — adiungo virum, quem omnes, si Buezovienses censores excipias, pie suspiciunt S. V. Seilerum Erlangensem Theologum celeberrimum, qui in libro laudatiss. ad defendandam divinitatem Christi conscripto p. 178. verba Ebr. I, 2. seq. nostra lingua ita reddit: Dieser unser *Messias* ist ein Mensch, und als ein solcher ist er von Gott zum Erben über alles gemacht: er ist aber auch der göttlichen Natur

mirum προφήταις v. 1. opponitur, unde patescit hac denominatione non tam naturae quam muneris rationem haberi; adeoque Christum ratione muneris legati divini tamquam illustriorem legatum divinum, Messiam scilicet, opponi illis legatis Dei inferioribus. — Quodsi enim innueretur conditio naturae per vocem υἱός, non dici posset: ἐν τοῖς προφήταις, sed ἐν ἀνθρώποις — vel aliud huic simile, quod conditionem naturae exprimeret. — Idem vero adparet ex praedicatis principalibus v. 2. ὃν ἔθηκε κληρονόμον πάντων et v. 3. ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τῆς μεγαλωσύνης ἐν ὑψηλοῖς. — Notatur quidem prioribus v. 3. verbis illustrior Christi natura, sed incidenter modo, ut ratio ex ipsa illius natura desumta pateat, cur ipsi tamquam Messiae tantus concederetur honos; hoc fere modo: Jesus est κληρόνομος qua Messias; Cur? quia qua λόγος omnia creavit: Jesus qua Messias gloriae divinae particeps factus est; Cur? quia qua λόγος est ἀπαύγασμα τῆς δόξης rel. Sunt igitur hae propositiones tantum incidentes, quae caussas

---

theilhaftig, und nach derselben der Schöpfer der Welt. reliq. Et licet in constituendo sententiarum Paullinarum nexu aliam quodammodo interpretandi rationem sequatur S. V. Seilerus, eum tamen maximam partem mecum consentire video: ipse enim parenthesin suadet p. 211. — Videant igitur hi viri, tantum abesse, ut mea interpretatio faveat Socinianorum placitis, ut inserviat potius ad ipsa melius prosternenda. Haec his hominibus dicta sint; cordatioribus argumenta non propono.

rei aperiant. Manet vero hoc effatum illustre omnino divinitatis J. C. monimentum, modo non in voce υἱὸς, sed in propositionibus incidentibus quaerendum. Sed notio subiecti principalis formanda est ex praedicato principali. Jam vero Jesus non qua λόγος dominus universi factus est, nec qua talis imperium in tempore participavit. Ergo, cum haec tamen sint principalia praedicata, talis quoque subiecti principalis notio est constituenda, qualis permittitur ab illis praedicatis principalibus satis cognitis. Haec autem modo permittunt, per υἱὸν, qui est principale subiectum, intelligi Messiam, cum is eorum modo sit capax; ergo haec notio vocis υἱὸς modo est admittenda, qua Messiam designat. Nullum igitur ad infringendam hanc vocis υἱὸς potestatem argumentum desumi potest ex iis verbis v. 3. quae divinitatem J. C. arguunt. Ex propositionibus incidentibus enim non necessario nexu cum subiecto et praedicato cohaerentibus (quae non in sensu composito, sed diviso exprimuntur, ut logici enunciare solent) determinatio subiecti haud repetenda est. Immo potius, si sensus compositus urgeretur, certo inde effici posset, λόγον in tempore demum maiestatem divinam participasse. Eligant igitur, qui contrarium statuunt, utrum vocem υἱὸς Θεοῦ hoc loco de Messia intelligere, an λόγον pro Deo in tempore facto habere malint. Nec tutum satis est refugium dogmaticum; haec praedicata principalia posse de λόγῳ ex communione ἀξιωμάτων explicari. Nam, si unquam argumentis dogmaticis ad solvendas quaestiones exegeticas utendum sit, nonne eodem iure nobis

hoc loco ἀντίδοσιν statuere licet, quo alii ἰδιοποίησιν assumunt? Quid ergo his dogmaticis ratiunculis efficitur? Praeterea admodum dubito, an certae interpretandi regulae, qualis illa est, ex qua subiecti principalis notio formanda est ad rationem praedicati principalis, unquam cedere possint quibuscunque, quanta quanta sint, argumentis dogmaticis. Dogmaticas enim rationes ad sanam S. S. interpretationem conformare, non vero inverso modo agere decet. —

Vocem υἱὸς vero C. I. Messiam, non secundam ὑποστάσιν, designare, luculentius adhuc adparet ex comparatione τοῦ υἱοῦ cum angelis v. 4. seq. instituta. Si enim statuas, Paullum iam supponere, quod υἱὸς denotet aeternum Dei filium; omnem sane probationem praestantiae Christi prae angelis, quam Paullus hoc segmento instituit, superfluam iudices. Etenim λόγον, cum ipse Deus sit, quovis angelo multo esse excellentiorem, quis dubitet? Quid igitur haec prolixe et sollicite instituta demonstratio praerogativarum τοῦ υἱοῦ prae angelis? Nec quidquam contra nos efficitur, si dicatur: Paullum quidem non supponere, υἱὸν esse λόγον, nec adeo probare velle, Deum esse praestantiorem angelis; vere etiam id agere, ut demonstret, Christum multis prae angelis instructum esse praerogativis: has vero ipsas inde deducere, quod, si nomen υἱὸς θεοῦ ipsi in V. T. tribuatur, divina eius natura designetur. — Nil, inquam, hac subtiliori sensus notatione iuvatur illustrior vocis υἱὸς significatio. Nam eo

4 *

ipso, quod Paullus praerogativas τοῦ υἱοῦ prae angelis (ex hypothesi) inde demonstrare vellet, quoniam illud nomen in V. T. sublimius quid designet, ipsam vocem υἱὸς, qua subiectum non potuit sensu sublimiori accipere, nisi aliquid supponere voluerit, quod demum demonstraturus esset; unde patescit, v. 2. saltem υἱὸν nil nisi Messiam indicare. — Interim non statuimus, Paullum Messiam cum Judaeis cogitasse ut merum hominem; concedimus potius, ac ipsi firmiter persuasi sumus, Paullum simul respexisse ad illustriorem Christi naturam, spectasse Messiam ut θεάνθρωπον, huncque illustriorem sensum nomini Messiae υἱὸς θεοῦ subiecisse. Sed illustrior cogitatio ipsius Messiae potestatem vocis υἱὸς θεοῦ, qua universe ac indeterminate Messiam denotat, non immutat. Et licet Paullum ad naturam Messiae, qua Θεάνθρώπου, simul respexisse haut diffiteor, eum tamen, aeque firmiter persuasus sum, muneris ipsius rationem spectasse potissimum. Sed nec illud consilium demonstrandi, nomen υἱὸς in V. T. de Messia usurpatum illustriorem illius significare naturam, Paullus cepisse, meo quidem sensu, dici potest. Nam in iis locis a Paullo excitatis, ubi vox υἱὸς occurrit, nil continetur, quod divinitatem illius arguat; et in iis locis citatis, ubi divinitas adpareret, nomen υἱὸς non occurrit; sed Judaei modo haec loca de Messia more suo explicarunt. His V. T. effatis, quae ipsi Judaei de Messia intellexerunt, nunc utitur Paullus ad docendas Messiae (υἱοῦ) praerogativas prae angelis. Hoc, nec ficto illo, modo cohaerent singula huius segmenti incisa. Sic, ne quid praeteream, v. 10 — 12.

illustre quidem, mea sententia, divinitatis J. C. monimentum continetur; sed illud modo pertinet ad demonstrandam Messiae prae angelis praecellentiam, non vero referri potest ad notionem υἱοῦ, qua λόγου, constituendam. — Quod enim de aliqua re demonstratur, de subiecto nondum supponitur, nec notioni subiecti inferri potest. Alias eadem ratione vox χριστὸς etiam denotaret ἱερέα, Christus enim demonstratur fuisse ἱερεύς. Haec sufficiant 43) ad intelligendum, Paullum primo capite, ubi cum Judaeis ex concessis et κατ' ἄνθρωπον disputat, vocem υἱὸς in sollemni Messiae significatione accipere. Cur igitur in nostro loco voci υἱὸς illustrior significandi vis tribuatur, equidem non video. —

Sed eandem Messiae significationem etiam omnis huius segmenti cohaerentia efflagitat. Manifeste enim ὁ χριστὸς in commate nostro idem est ac οὗτος v. 3. hic vero refertur ad v. 1. 2. ubi idem Jesus vocatur ἀπόστολος καὶ ἀρχιερεὺς τῆς ὁμολογίας ἡμῶν. Ita vero non describitur qua λόγος s. essentialis ac aeternus Dei filius, sed qua Messias ac θεάνθρωπος hoc nomine insignitur. Vocatur enim v. 2. πιστὸς τῷ ποιήσαντι αὐτὸν, quod manifeste indicat constitutionem ipsius ad munus legati divini, quo novam οἰκονομίαν instruat. Eodem respectu ὄντος Mosi v. 3. opponitur; nulla igitur alia υἱοῦ significatio nostro loco, ubi demonstratio ipsa theseos v. 3.

43) Plura vide apud Michaelis et Heilmannum ll. cc.

propositae traditur, admittenda est, quam quae verbis com. 1. ἀπόστολος καὶ ἀρχιερεὺς alio licet respectu subest. — Quae omnia cum sole clarius meridiano eluceant, υἱὸν nostro loco nil nisi Messiam designare mihi persuadeo. Attamen varia in medium ab aliis proferuntur, quae illustriorem huius vocis significationem nostro inciso stabiliant; quae, ut omnes partes nostras rite expleamus, nunc proponere ac examinare iuvat. — Ad tria redeunt potissimum: 1) Jesum, qua Messiam, non carere domino ac capite, 1 Cor. III, 23; XI, 3. Deique ministris ipsum esse accensendum; Ergo non dici posse ἐπὶ τὸν οἶκον esse. 2) Christo, qua υἱῷ eamdem praestantiam adscribi ac hero familiae N. T. Deo scilicet v. 3.; Ergo ipse Deus sit necesse esse. 3) Christum, qua υἱὸν ecclesiam velut domum suam ipsius administrare dici; ecclesiam autem esse domum Dei Num. XII, 7. Ergo υἱὸν eodem honore habendum esse ac θεόν. — Ad primum regero: 1) Permulta sane extant loca, in quibus expressa mentio fit imperii Christo qua Messiae a Patre collati. Phil. II, 9. 11. 1. Cor. XV, 25, 27. et alibi. Unde etiam denominatio Κυρίου Christo in N. T. propria est. 2) Distinguamus ecclesiam ab universitate rerum et Christum in se et in relatione ad ecclesiam spectatum. Christus, qua Messias, in se consideratus omnino accenseri potest ministris Dei in hac rerum universitate; sed si eum ad ecclesiam referas, ipsius caput ac dominus est, codominus cum Patre. Et hunc respectum hoc quidem loco obtinere, patet ex proxime sequentibus verbis, οὗ οἶκος ἐσμὲν ἡμεῖς. — 3) Distinguamus denique duplicem

Christi statum. Ante exaltationem omnino prae se tulit servi speciem; sed post eam nunc splendet dignitate domini et capitis ecclesiae a se conditae. — Quod ad secundum attinet, iam supra (§. 4.) refutata est haec incisi 3tii, interpretatio; ubi, per κατασκευάσαντα v. 3. non Deum, sed herum quemque intelligi, satis docuimus. Sed posita illa interpretatione, licet non concessa, Deum scilicet v. 3. familiae suae opponi, tamen ei non opponitur qua Deus, sed qua herus: Christus autem est coherus; eidem igitur iam qua Messiae idem gradus praestantiae heri competit. Heri vero et familiae oppositionem in hoc segmento tertium comparationis esse nemo non videt: at ultra tertium comparationis similitudinem extendere non decet. — Argumentum tertium si in formam artis redigas, ita se habet: Ecclesia est domus Dei Num. XII, 7. A. Ecclesia est domus υἱοῦ v. 6. E. υἱὸς est Deus. Quis, quaeso, ita argumentetur? Quis fallaciam divisionis, quam logici vocant, concludendo a coniunctis ad divisa sibi permittat? Id modo sequitur: domum υἱοῦ esse quoque domum Dei. Sed quis hoc neget? Est eadem familia; Deus quidem proprie herus est, sed unius positio non statim est exclusio alterius; Deus est herus suo iure, Christus idem est, iure delato. Paullus spectat nimirum ecclesiam universe, et ecclesiam veteris et novae oeconomiae coniunctim; utraque enim populi Dei nomine insignitur. Jam supremus dominus universae ecclesiae Deus est; in illa ipsa Moses olim erat servus, in eadem nunc Christus, qua Messias, est Coherus. — Quae cum ita sint, nullus plane

alius sensus huic inciso 6to vere inesse potest, quam ille: Christus tamquam Messias herus est ac rector familiae suae.

§. 10.

Videamus iam, ut adpareat, quo tendat scriptionis nostrae ratio, quo nexu haec incisi 6ti verba cum universa argumentatione in hoc segmento a Paullo instituta cohaereant. Thesis probanda erat: Christus est ὁ κατασκευάσας; κατασκευάσας vero primario denotat in segmento nostro herum ac conditorem familiae (§. 3.) idem vero designat ἐπὶ τὸν οἶκον αὐτοῦ (§. 8.). Eadem igitur sententia utrique formulae subest; heri scilicet notio, quam formulae ὁ ἐπὶ τὸν οἶκον proprie, vox κατασκευάσας autem improprie exprimit. Diversus modo in utraque formula loquendi respectus obtinet, qui vero rem ipsam nequicquam immutat: Altera ἐπὶ τὸν οἶκον designat herum, quatenus imperat familiae, eam gubernat; altera vero κατασκευάσας herum denotat, quatenus familiam condidit. Uterque autem ille respectus vere in Christum cadit; Christus ecclesiae suae caput, eam et condidit, et gubernat; Matth. XVI, 18. Eph. II, 10. Hinc vocatur Act. XX, 28. Κύριος 44) τῆς ἐκκλησίας,

44) Lectio κυρίου enim illo loco indubitanter genuina est, ita, ut, qui lectionem vulgarem Θεοῦ adhuc defendere vellet, vereor, ne, se non admodum in κριτικῇ N. T. versatum esse, proditurus sit. Ipse forsan hanc sententiam, gra-

eam ipsam ab caussam, quia τὴν ἐκκλησίαν περιεποιήσατο διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος. Recte igitur Grotius ad verba ἐπὶ τὸν οἶκον observat: Familiae imperat, quare? est enim ab ipso genita. — Itaque ex iis, quae iam dicta sunt, substituere licet verbis: ὁ δὲ χριστὸς, ὡς υἱὸς, ἐπὶ τὸν οἶκον αὐτοῦ, illa: ὁ δὲ χριστὸς, ὡς υἱὸς, ὁ κατασκευάσας τὸν οἶκον αὐτοῦ. Sic com. 6tum ipsis etiam verbis responderet thesi probandae v. 3. propositae. Quod autem Paullus formulam κατασκευάσας cum altera ἐπὶ τὸν οἶκον permutarit, caussa est in com. 5to, ubi de Mose loquitur tamquam 'EN τῷ οἴκῳ; huic, ut clarior fiat praestantia Christi prae Mose, eum ceu 'EΠI τὸν οἶκον opposuit, eodem vero sensu, uti iam vidimus, ac supra demonstraturus erat, Christum esse κατασκευάσαντα. Incisum 6tum igitur, ut nexus perspiciatur facilius, ita reddere licet: Christus vero ut υἱὸς est κατασκευάσας τὸν οἶκον, ille οἶκος enim est οἶκος αὐτοῦ, qua filii familias, aeque ac οἶκος θεοῦ, qua Patris familias; cum

---

vissimis argumentis criticis innixam, alio tempore fusius exponam, ne quis de dogmaticis suis rationibus sollicitus, me ex mero novaturiendi pruritu, a quo alienissimus sum, hanc lectionem praeferre clamitet. Adeat interim lector cupidus praestantissimam N. T. editionem criticam, qua immortali suo nomini monimentum ipse posuit quovis aere perennius S. V. Griesbach, praeceptor meus optimus, usque ad cineres colendus, cujus incomparabilem disciplinam, in qnam me totum per plures annos tradidi, in summis vitae meae beneficiis colloco.

Deus ipsi υἱῷ — Messiae 45) — codominium ac imperium in suum οἶκον detulerit, εἰσάγων αὐτὸν ὡς πρωτότοκον εἰς τὴν οἰκουμένην c. I, 6. et αὐτὸν ἔδωκε κεφαλὴν ὑπὲρ πάντα τῇ ἐκκλησίᾳ. Eph. I, 23. Unde facile fit conclusio: Quanto igitur ὁ κατασκευάσας superior est universo οἴκῳ: tanto superior ac praestantior Christus est Mose, qui ceu θεράπων (v. 5.) ipse ad οἶκον pertinet; cum contra Christus sit ἐπὶ τὸν οἶκον — sive quod idem est — ὁ κατασκευάσας. Haec autem erat thesis demonstranda a Paullo v. 3. proposita. Paullum igitur promissis suis omnino stetisse, egregieque cohaerere omnes illius sententias sic satis supra expositas, facile quisque intelliget. —

VOLZIO SUO

S.

PRAESES.

Per hos sex annos, quos discendo in hac litterarum officina transigere mihi licuit, permultos sane, qui studia mecum coniungerent, nosse contigit: at, qui Tibi aequiparari possint, perpaucos; qui Te superet, profecto neminem. Tantam ingenii vim, tantum tamque

---

45) Egregia sane διλογία vocis υἱός, qua tam filium familias denotat, quam υἱὸν θεοῦ seu Messiam designat, qui omnia iura adeptus est, quae alias filio familias competunt.

constans animi robur, tantam morum probitatem, tantum in addiscendis optimis scientiis ardorem, quanta in Te coniunxisti omnia, vix ac ne vix quidem in aliis, qui mihi quidem innotuerunt, deprehendi singula. Ex quo igitur hanc academiam adires, mihique innotesceres, ita Te mihi probasti, ut nil magis exoptarem, quam familiari Tibi consuetudine iungi. Nec votis meis me excidere passus fuisti, Suavissime! tanta enim hucusque Tecum mihi intercessit consuetudo, quanta solet esse maxima. Nunquam non iucundissima erit recordatio egregiorum, quos subinde mecum misceres, sermonum, quibus me non solum in summam Tui admirationem raperes, sed mentem quoque meam pariter atque animum mire adficeres: mentem quidem, cum recta semper de rebus, quas sedulo investigares, iudicia ferres; animum vero, ubi cum intimo animi Tui adfectu de insigni virtutis colendae praestantia sermones faceres. Per tria haec semestria, quibus in optima litterarum studia incumberes diligentissime, tantam Tibi collegisti doctrinae copiam, ut alius quisque, si per integrum trium annorum decursum eamdem sibi parasset, tempus academicum bene collocasse merito posset dici. Gratulor igitur patriae Tuae amplissima emolumenta ex singulari Tua eruditione atque virtute ad universas terras Badenses reduntatura. Tantum enim, persuasissimum habeo, eminebis Optime Volzi! inter theologos Badenses, quantum Malerus noster, tantus filius tanti patris, in quo, quid primum admirer, plane non habeo, inter iurisperitos Badenses splendebit. Quem igitur graviorem

qualiscunque scriptionis meae defensorem, quem suaviorem periculorum meorum comitem exoptare potuissem, quam Te? Quod vero oblatam hanc provinciam haud recusaris, sed lubentissime potius in Te susceperis, maximas sane pro novo hoc insignis Tuae erga me benevolentiae documento gratias ago, maiores habeo. Qnod reliquum est, Tuo me favori more consueto iam commendaturus essem, nisi persuasione ducerer firmissima, Te, Suavissime! arctissimum amicitiae nostrae vinculum, quod pietate' erga Te haud fucata arctius subinde constringere omnibus enitar viribus, nunquam esse soluturum. Faxit Deus, ut promcrita doctrinae atque virtutis praemia quondam consequaris amplissima; ac fausta quaevis nunqnam non Tibi obtingant atque felicia. Dabam

Jenae a. d. XVI. Cal. Nov. A. R. S.
MDCCLXXVIII.

II.

Dissertatio critica
de
capitibus ultimis
IX — XIII.
posterioris epistolae
Paulli ad Corinthios
ab eadem haud separandis.

Praefatio.

Posteriorem Paulli epistolam ad Corinthios inter libros N. T. difficiliores esse, vix est quod moneam. Tanta enim, tamque multiplici obscuritate laborat, ut in expediendis locorum eiusdem sat multorum difficultatibus optimi quique interpretes suam vel diligentiam vel sagacitatem frustra profudisse videantur. Nec fore, puto, quemquam, si utrasque Paulli litteras ad Corinthios datas diligenter inter se comparet, quin eas scribendi genere dissimillimo esse animadvertat. Qnaecunque enim sermonis

bene compositi dotes, sive apta verborum collocatione, sive eleganti membrorum structura, sive facili unius ad alterum transitu, prioribus litteris singularem suavitatem gratiamque conciliant; eas fere omnes posterioribus his literis ita deesse intelligimus, ut ubivis fere locorum vel ingrati orationis hiatus, et durae dictionum ellipses; vel troporum male mixtorum asperitas, et hebraicae praesertim, tum singularum dicendi formularum constructionis, tum integrorum membrorum compositionis frequentia aures delicatiores haud leviter offendant. Quae vero vitia scribendi omnia calami celeritati, quae, cum Paullus iustam argumenti seriem in his litteris scribendis haud praemeditatus esse videatur, quaecunque inter scribendum occurrerent, turbato ordine neglectoque omni sermonis ornatu effunderet, unice tribuerim. Etenim hoc optimo cuivis elegantiarum magistro accidere novimus, ut, nisi limam scriptis adhibere liceat, plura, quae vel minus terse, vel parum eleganter dicta sint, orationi admisceat. Quid igitur miremur, Paullum Iudaeum, etsi eloquentiae copia reliquis Apostolis antecelleret, Atticae tamen elegantiae non adsuetum, currente calamo, nec argumento satis deliberato, horrido in his litteris usum fuisse dicendi genere? Verumtamen miram ingenii vim, sententiasque sive in persuadendo blandas, animosque occulto circumeuntes, sive in reprehendendo aculeatas vel in his litteris Paullinis nemo non senserit. — Aliud difficultatum genus est in falsa et inepta haut raro capitum et commatum e textu vulgari divisione. Sed maximas sane difficultates iustae huius episto-

lae interpretationi, cum omne argumentum ad primae ecclesiae Corinthiacae aetatem, mores, et institutae maxime pertineat, obiicere videtur commentariorum illius temporis sat idoneorum, a quibus lucem ea accipere possint, summa inopia. — Quo maiori autem obscuritate interpretatio: eo minore κρίσις huius libri impeditur. Quanta enim variarnm lectionu mcopia alii N. T. libri abundant; tanta earum inopia hunc laborare animadvertimus. Cuius rei, quae mira sane videri possit, si quid iudico, caussam opinor hanc: librarios, qui sententiarum vim non satis intelligerent, demto luxuriantis ingenii nutrimento, ingrata quadam necessitate ad fidem sic adactos fuisse, ut singula membra ad verbum describerent.

Verum enimuero S. V. Semler alias adhuc difficultates, easque multo graviores, ab interpretibus quidem hucusque male neglectas, in his litteris detexisse sibi videtur. Ultima quippe huius epistolae capita, a nono usque ad finem, vel nullo, vel certe non satis idoneo, nexu cum antecedentibus cohaerere, opinatur vir venerabilis. Varias hinc hypotheses, quibus vera harum particularum indoles et consilium intelligi posset, pro eo, quo pollet, mentis acumine excogitavit, easque in doctissima huius epistolae paraphrasi, tum in praefatione, tum in notis ad Cap. IX. et XII. larga manu adspersis expositas, variis argumentis haud contemnendis firmare studuit. — Coniicit nimirnm Vir sagacissimus non tantum Cap. IX. separatam aliquam fuisse schedulam, non Corinthiacae sed aliis Achaicis ecclesiis desti-

natam; quam postea demum Corinthii huic epistolae ipsi loco quidem eo, quo Paullus de eadem re ageret, adiunxissent: verum etiam aliam partem, a Cap. XII. inde usque ad finem, Corinthiis quidem fuisse destinatam, sed, ceu separatam schedulam, post hanc epistolam demum ad ipsos missam; quam eamdem posthaec pari modo his litteris inseruissent Corinthii: nisi posterior illa schedula iam a Cap. X. pergere censenda esset; id quod viro venerabili ad Cap. XII. not. 350. vero videtur simillimum. Quibus denique novam opinionem addit hanc: Epist. ad Rom. Cap. XVI. pertinere ad hanc posteriorem epistolam ad Corinthios, VIIIvo scilicet capiti sic subiungendum, ut haec epistola Cap. VIII, annexo quippe Cap. XVI. epist. ad Romanos, claudatur, reliqnae vero partes a Cap. IX. inde usque ad finem epistolae ab eadem separentur, ceu peculiares litterae partim ad Achaicas ecclesias (Cap. IX.) partim ad Corinthiacam, at post illam demum datae (Cap. IX—XIII). Plures enim epistolae Paulli viro venerabili serius demnm ex variis minoribus schedis hoc modo coaluisse videntur. — At Semlerus hic non satis sibi constare videtur. Idem enim not. 366. ad Cap. XIII., 11. contendit, clausulam ibi obviam esse totius epistolae, C. XVIII. ex opinione Viri finiendae, nec particulae illius, quae a Cap. X. pergat; eamque igitur, cum ad fin. C. VIII. pertineat, hoc suo loco esse mouendam. Quomodo vero utraque clausula, et illa Rom. C. XVI. et haec C. XIII, 11 sqq., ad C. VIII. simul pertinere possit, equidem non intelligo. Nullo enim pacto assui posse hanc particulam

C. XIII, 11 sqq. illi Rom. C. XVI. contentae, primo statim obtutu nemo non videt: duplicem autem clausulam inferre absonum est. Neque vero videtur S. V. Semler utrumque simul teneri velle; sed ipse potius primum eam fovisse sententiam, quae not. 366. continetur, et in praefatione demum post illas notas paraphrasi iam adspersas litteris mandata in alteram de Cap. XVI. ep. ad Rom. in epist. II. ad Corinth. transferendo descendisse. Optarim autem Virum Venerabilem hanc sententiae mutationem significasse ipsum, quo de vera eiusdem opinione certius constaret, nec in scriptis Viri adhuc superstitis coniecturis opus esset. Haec sufficiant ad intelligendam S. V. Semleri sententiam.

Equidem is non sum, qui viro venerabili bellum temere inferre, vel insignem victoriam inepte sperare aut possim, aut velim. Etenim mecum habitare, et meo me metiri modulo didici, probe conscius, quam curta mihi sit supellex, quanta contra Venerabili Semlero doctrinae copia; nec immemor, quanti sint fructus, quos in rebus criticis et historicis ex scriptis Viri Summi doctissimis perceperim, quantamve reverentiam Illius et personae dignitati et immortalibus in omnem rem litterariam meritis debeam. Tantum igitur abest, ut impiae ac nefariae cohorti eorum me adiungam, qui, quamvis magnam pietatis ac ardentis doctrinae nostrae studii speciem prae se ferre cupiant, agresti tamen more, atque Theologis prorsus indigno, ubi sola Viri placita

dextere ac modeste excutienda sint, et sola argumenta, absque ulla animi vehementia, aequa lance ponderanda, Virum ipsum, insigni et doctrina et pietate Venerabilem, sollicitare, eiusque famam mordere haud erubescant. — Concedo quoque Viro Venerabili quam lubentissime, rem totam ad ἀκρίβειαν criticam, nequaquam vero ad doctrinam Christianam ipsam pertinere; nullumque igitur iustae eiusdem disquisitioni, quo modo cunque illa cadat, subesse periculum. Summa quidem doctrinae nostrae auctoritas, et absoluta perfectaque singulorum eiusdem decretorum veritas a fide librorum N. T. pendere censenda est: siquidem ex sola doctrinarum indole nec semper nec luculenter satis adpareat, utrum illae a Christo et Apostolis vere traditae sint; an sequiori demum aevo ab ingenio humano haud raro inepte sedulo confictae, atque genuinis doctrinae δόγμασι suppositae fuerint. Quid vero quisque senserit vel docuerit, eius genuina ac certa scientia non nisi ex eiusdem scriptis, si qua adsint, repetenda est: apostolorum igitur placita ex solis eorum libris fide dignis certo cognoscere licet. — Sed nihil omnino neque sanitas doctrinae apostolicae, neque puritas fontium impeditur hac S. V. Semleri hypothesi. Etenim ut sint ultima haec posterioris ad Corinthios epistolae capita seiunctae litterae; Paulli tamen esse a Semlero dicuntur eaedem. Nec vero non in his particulis, cum unanimi primae ecclesiae Christianae, antiquarum versionum et Codd. consensu Paullo ita tribuantur, ut S. V. Semlero videantur in primis iam apographis his litteris fuisse attextae,

non alia, ac in reliquis, authentiae tuendae via tenetur. Pertinebant enim hae schedulae, quae est Semleri opinio, vel ad Corinthios ipsos, vel ad Achaicas ecclesias alias, quarum profecto, ne perirent hae litterae Panllinae, haud parum intererat. Quae vero scidae cum integro epistolarum Paullinarum ad Corinthios datarum volumini adiunctae melius servari posse viderentur, ac singulatim sparsae; eas, censet vir venerabilis recte a Corinthiis posteriori ad se datae epistolae, et argumento et tempore atque occasione simillimae, a primo inde tempore ita iunctas fuisse, ut, hac uno tenore et continua serie a librariis descripta, illae quoque partes cum integro volumine non possent non propagari. — Nec sensum harum particularum hac hypothesi admodum mutari arbitror, illum saltem, qui ad nos pertineat: (universum autem ultimae huius partis argumentum ad primos maxime lectores pertinere, non est, quod moneam) ille enim neque a continua serie, neque a certo segmentorum maiorum ordine pendet. Potuisse vero prima illa aetate fieri eius modi iunctionem alienarum partium, recte illustrat Vir Venerabilis exemplo C. XVI. epistolae ad Romanos, quod, meo quidem sensu, ad Corinthios, nec ad Romanos, pertinet *).

*) Fusius haec exposuit Ven. Semler in peculiari dissertatione de duplici adpendice epistolae ad Romanos, Halae CIↃIↃCCLXVII. in lucem emissa, posthaec autem paraphrasi epist. ad Romanos CIↃIↃCCLXIX. editae sub finem annexa. Quae Viri sententia tam certa mihi vi-

Quo igitur modo haec schedula epistolae ad Romanos iungi potuerit; eodem prorsus modo, quin immo multo facilius ac maiori iure, ad epistolam II. ad Corinthios singulares has schedulas, praesertim cum eidem ecclesiae destinatae fuissent, accedere potuisse facile intelligimus. — Insignem denique vim ad dispellendas haud raras, quibus hanc epistolam tectam videmus, nebulas ingeniosae huic hypothesi Semleriani haud deneges; si ab ea quidem parte recesseris, qua Vir Venerandus sine ulla veri specie (quod in ipsa commentatione nostra diligentius disquirendum erit,) Cap. XVI. epist. ad Rom. ad Cap. VIII. huius epist. II. ad Corinth. vult transferri.

Verum enimuero, quamvis hoc modo omnis invidia ab hypothesi Viri Venerabilis penitus abstersa sit; ipsa tamen non satis firma mihi videtur, vel ad commendandum sese idonea. Nam in explicandis iis, quae difficultatis aliquid habeant, praesertim si sint in scriptis aliorum, ad opinibnum praesidia prius confugiendum non esse, quam omni vel certae rationis vel analogiae et consuetudinis ope destituti simus, inter omnes constat. Existimat quidem Vir sagacissimus, tanta tamque fortiter

---

detur, quam quae certissima, etsi non omnibus argumentis ab eo adhibitis subscribere possim. Nec tamen argumenta, b. Schmidii Vitembergensis Theologi, et Cel. Schulzii, Gissensis Philologi, quae alio tempore curatius excutiam, ad vulgarem sententiam me reducere potuerunt.

in his litteris inesse repugnantia, quae, nisi adsumta sua hypothesi, superari plane non possint. Sed liceat hac de re aliter sentire mihi plene persuaso, omnes sententias in posteriori hac epistola sic satis conspirare: multas contra difficultates, quae textum vere non premant, a Semlero demum illi videri illatas; quae autem litteris vere insint, eas non indigere hac Viri hypothesi. Atque id ipsum est argumentum, quod in hac commentatione, ea, qua par est, diligentia et modestia, prolixius exponendum nobis sumsimus, hac quidem lege, ut illud in duas partes distribueremus. Quarum quidem prior tum in enarrandis C. IX. difficultatibus; tum in iudicandis hypothesibus vel a S. V. Semlero exstructis, vel similibus aliis, quae possent saltem, non sine veri specie, ad rem illustrandam adferri; tum denique in eruendo vero et nativo tam sententiarum ordine, quam integrorum capitum VIII. et IX. inter se nexu ac enodandis inde difficultatibus versabitur: posterior vero in illustranda altera, quae videtur, adpendice huius epistolae a Cap. X. inde usque ad finem ita erit, ut tum varia dubia de iusto horum capitum cum antecedentibus nexu mota diluat, atque repugnantia, quae intercedere videantur, tollat; tum novam Semleri hypothesin aeque ac antiquiorem Stephani le Moyne diligenter excutiat. Haec fere est libelli ratio.

Quam vero operam Virum Venerabilem non aegre laturum esse persuasum habeo, qui omni, qua decet, modestia ac reverentia dubia proferam, atque in re, licet mere critica, cer-

tus tamen esse cupiam. Idem etiam Venerabilis Semler, uti in omnibus fere libris vindicem libertatis sentiendi agit acerrimum; ita eandem in hac eadem praefat. ad epist. II. ad Corinth., postquam hypothesin supra recensitam exposuisset, contra suam ipsius auctoritatem his verbis tuetur: „Patiar autem lubenter alios arbitros; nec enim magnopere pertendam, si qui aliter statuant, et nihil difficultatis ibi inveniant." Quid? quod ipse ante aliquot annos huic Viri hypothesi, certe ex aliqua parte favebam; et repetitis demum superiori anno in epistolas ad Corinthios curis, aequa lance, si qua est virium imbecillitati, singula ponderans, vulgarem sententiam iterum praeferre coepi. Ex praemissa denique ingenua momenti et puncti controversiae notatione facile intellecturum penitus confido S. V. Semlerum, ab omni contradicendi prava cupiditate aeque ac invidia impie ipsi concitanda me esse remotissimum, atque de sola veritate indaganda sollicitum. — Et profecto omnem, quem in conscribendo hoc libello mihi proposui, finem me satis adsecutum, felicissimamque in eo operam collocasse me sentiam, si Viros harum rerum peritos vel ad discutiendam melius hanc materiam sane haud contemnendam excitavero; vel, si iis hypothesis Semleriana arrideat ipsa, adducere potuero, ut argumenta mea suis curis atque iusto examine digna habeant, me corrigant, meliora doceant.

Caeterum, ut vel levissimam contentiosi hominis speciem liberali cuivis ingenio maxime exosam effugerem, atque ingenuum verita-

tis studium ipsa re demonstrarem, nullam amplius in commentatione ipsa S. V. Semleri mentionem inieci, excepto uno alterove loco, quo verba Viri summi pro mea sententia adduxi; cum nihil plane ad veritatem indagandam referat, quis dixerit, sed quid dictum sit? Id potius unice agendum esse putavi, ut argumenta Viri ipsa in libr. cit. hinc inde sparsa diligenter colligerem, eaque pro virium tenuitate candide examinarem, et rationes denique, quae contrariam sententiam mihi suaserint, modeste exponerem. At vero a limine commentationis aliqua libri Semleriani mentio facienda videbatur tum lectorum causa, ut et origines libelli, et animum, quo conscriptus ille sit, rectius intelligerent; tum mea ipsius caussa, ut summam Semlero Venerabili reverentiam testificarer, et, expositis veris libelli caussis, omni invidiae, probi consilii mihi conscius, dextere occurrerem. — Scripsi in Georgia Augusta mense Septembri A. C. cIↃ IↃ CCLXXXII. —

Sectio I.

De capitis IX. epistolae posterioris ad Corinthios vera ad praecedentia capita ratione.

§. I.

Difficultates nexus Cap. VIII. cum IX. exponuntur.

Utroque posterioris epistolae ad Corinthios capite VIII. et IX. liberalitatem in colli-

genda stipe pro Christianis Palaestinensibus primis lectoribus, maiorem in modum gravissimisque argumentis a Paullo commendari, id quidem primo iam obtutu facile intelligimus. Tantum vero abesse videtur, ut, quod exspectari tamen iure possit, argumenta persuasoria, quae Cap. VIII. proponi coeperant, IXno hoc continuentur, novisque augeantur; ut potius prioribus quinque commatibus item contineatur, quod VIIIvo iam capite prolixius expositum legimus, ac Paullus universe ita procedat, atque eius modi dicendi formulis utatur, ac si nihil horum in praecedente capite attigisset, sed novum prorsus argumentum hoc capite tractare incipiat. Haec enim priora quinque commata si inspicimus, repeti videtur variis modo formulis summa eorum, quae tum de egregia spe, quam de liberali Corinthiorum animo conceperat, tum de legatione Titi eiusque comitum ad studium levandi larga manu aliorum miserias in animis illorum alendum et promovendum Cap. VIII. commatt. 6. 7. 8. 10. 11. 18. 22. 24. fusius iam exposuerat. Incipit Cap. IX. verbis: περὶ μὲν γὰρ τῆς διακονίας; qua quidem formula Paullus alibi utitur ad transeundum ab uno argumento ad alterum; v. c. 1 Cor. VII, 1. XII, 1. XVI, 1. Addit Apostolus: περισσόν μοι ἐστὶ τὸ γράφειν ὑμῖν; cum tamen per integrum Cap. VIII. studium aliis benefaciendi Corinthiis suis magnopere iamiam commendasset, ac in eodem argumento per totum hoc Cap. IX. adhuc haereat. Mentionem denique facit Achaiae com. 2; cum praecedens caput Corinthiis maxime destinatum fuerit. — Hae sunt potiores difficultates, quibus solven-

dis ab aliis aliae hypotheses excogitatae fuerunt; quas singulas recensere iam atque diiudicare constituimus.

§. II.

Prima hypothesis exponitur et examinatur.

Prima vero hypothesis ad illustrandam universam Cap. IXni rationem ac indolem stabilita, cuius in praefatione iam mentionem fecimus, haec est: Caput hoc IXnum separatam esse schedulam, nec Corinthiis, sed caeteris ecclesiis Achaicis, ut aeque prolixam et beneficam, ac Corinthii, voluntatem egenis Palaestinensibus demonstrarent, destinatam; nulloque prorsus nexu cohaerere cum praeced. C. VIIIvo; quod potius, adiecto quidem Cap. XVI. epist. ad Romanos, posteriores has litteras claudere censendum sit, sed posthaec demum scidam illam a Corinthiis huic ipsi epistolae loco quidem eo, quo Paullos de eadem re ageret, adiunctam fuisse. Eius modi enim breviores literas per provinciam missas post aliquod tempus, ne perirent, collectas fuisse, atque maiori cuidam epistolae ad metropolin datae, loco quovis aptissimo, omissa inscriptione et apostolica salutatione insertas. Qui antiquae ecclesiae Christianae mos si ad illustrandas Cap. illius IXni origines adferatur manifestum esse, qua ratione in media hac epistola particula quaedam exstet, quae cum antecedentibus non cohaereat. —

Verum enimuero quod ad illam hypothesin attinet, qua maiores nonnullae, quas ho-

die habemus, epistolae Paullinae ex pluribus minoribus in unum redactis natae iudicantur, ea quidem, nisi certa adsint adpendicis indicia, velut in Cap. XVI. epist. ad Romanos, mihi certe, qui Criticae coniecturali in N. T. parum aut nihil omnino tribuerim, non admittenda videtur. Etenim tot tantisque praesidiis criticis et antiquae textus graeci historiae monimentis instructi sumus, ut, si iniustas illas ac idoneis testibus destitutas de perturbatis librorum N. T. foliis querelas audiamus, rem criticam non promovere sed evertere, egregiamque illam autem, quae, quid in quovis libro aut loco genuinum ac certum sit, definiat, dubiam admodum atque incertam reddere haud immerito videamur.

Nonnulla quidem librorum sacrorum segmenta suo loco, quem in vulgaribus editionibus tenent, movenda esse, negari non potest; quo referenda sunt e V. T. variae particulae vaticiniorum Ieremiae, et e N. T. Rom. XVI, 25 — 27. quae verba S. V. Griesbach summo iure ad finem Cap. XVI. retulit. Sed adsunt quoque huius rei sat manifesta vestigia *). Quae vero alii absque idonea ratione, velut in Evangeliorum libris, ut rem exemplo illustrem, ex turbatis singulis variorum librorum scidis explicari volunt, vel, ut in Iustino Martyre,

---

*) Vide sis, quae de his docte differunt praeceptores optimi Eichhorn in Repert. bibl. P. I, p. 143 sqq et Griesbach in Curis in histor. textus graeci epp. Paull. p. 45—47.

ex usu Evangelii Nazaraeorum, ego quidem haec omnia explicare soleo ex studio veterum quascunque de Christo narrationes, sive lectas sive auditas sive veras sive fictas, in harmoniam quandam redigendi, quod, ut de Tatiano, discipulo Iustini Martyris, cumprimis novimus, ita ex variis ac miris haud raro glossematibus in Codd. obviis satis adparet. Summa igitur cautione opus est atque circumspectione in admittenda huius generis hypothesi critica, qua, nisi sobrie ea utamur certis argumentis nec solis opinionibus ducti, quidlibet ex N. T. extorqueri, eiusque non solum interpretatio omnis, sed authentia ipsa incerta admodum ac dubia reddi poterit; cum recto contra Criticae sacrae usu textus N. T. praeclare adiuvatur et firmatur. Maiores vero epistolas, ut ad rem nostram redeamus, ex minoribus nonnullis invicem iunctis succrevisse, id quidem, si ab illa adpendice epist. ad Romanos discesseris, ut omnino ratione idonea caret, ita nec interna posterioris ad Corinth. epistolae oeconomia confirmari infra videbimus. Quae autem similia alia de singulis schedis autographis huc pertinere videantur, de iis in examinanda hypothesi Moynii dicendi locus erit.

Aeque a veri specie aliena mihi videtur altera opinio, qua Cap. XVI. epist. ad Romanos ad fin. Cap. VIII. epist. II. ad Corinth. clausulae instar transferendum iudicatur: tum quod, qua ratione hoc caput, si epistolam II. ad Corinthios primitus finiisset, suo loco pelli et ad epist. ad Romanos migrare potuerit, prorsus non intelligitur; tum quia nulla pristi-

nae sedis vestigia, in antiquissimis ecclesiae monimentis adparent. Equidem concedo, Cap. illud XVI., quod in epist. ad Romanos hodie exstat, eo non pertinere, sed peculiarem scidam fuisse, eamque Corinthiis destinatam. Sed huius rei modum, quo Corinthi haec scida cum epist. ad Romanos iungi, sicque ex recensione Orientali eodem nexu propagari potuerit, sic satis intelligere mihi videor; illius contra huius capitis fati, quo ex epistola ad Corinthios ad epist. ad Romanos transierit, rationem modumque me prorsus ignorare nec adeo cogitare posse lubens confiteor. Qua vero altera hypotheseos parte abiecta alia eiusdem difficultas exoritur haec: Posteriorem epistolam ad Corinthios hac ratione omni omnino clausula destitui. Clausulam C. XIII, 11. sqq. inquis, huc pertinere; sed, annexis particulis minoribus, refectam fuisse eamdem et ad finem totius voluminis reiectam. At nullum vestigium pristini loci in antiquissimis Codd. adparet; quod vero haud obscure animadvertimus in duplici illa adpendice epist. ad Romanos. Cap. XVI. ad Rom. regeris, cum Romam non transierit, sed Corinthi manserit, haud potuisse in antiquissimam recensionem Occidentalem irrepere; unde esse, ut in exemplis vetustissimis primitivi habitus satis manifesta extent indicia: aliam vero rationem esse segmenti illius C. XIII, 11 sqq. quod, cum prima iam aetate a Corinthiis ipsis transpositum fuisset, eundem semper in omnibus ἀντιγράφοις locum servarit. At magnam tamen primi orbis Christiani licentiam mihi narras, quam, nisi certiora afferantur rei argumenta, mihi nunquam persuadebis; praesertim

cum ad tollendas difficultates §. I. recensitas, quod infra docebimus, nulla prorsus hypothesi indigeamus.

Nullam denique rationem, satis quidem idoneam, perspicio, qua Apostolus adductus seiunctam hanc schedulam ad reliquas ecclesias Achaicas misisse censendus sit. — Nam universa haec ad Corinthios epistola cum ob ipsam inscriptionem C. I, 1. non solum ad Corinthios, sed ad reliquas etiam ecclesias Achaicas, pertineret, adeoque ex antiquissima Christianorum consuetudine in singulis praelegeretur; admonitio illa Apostoli de stipe colligenda C. VIII. peculiarem aliam schedulam eiusdem argumenti ad singulas mittendam superfluam reddidisse videtur. Sunt quidem, haud ignoro, qui, cum epistolae argumentum ad Corinthios maxime pertineat, et vero communicanda eadem Apostolus Corinthios suos haud levi ignominiae in reliqua provincia Achaica expositurus fuisse videatur, verbis C. I, 1. non litterarum communicationem sed solam reliquarum ecclesiarum salutationem significari existiment. At vero res Corinthiorum, quas Apostolus Ephesi tum commorans per nuncios accipiebat, caeteris ecclesiis Achaicis per viciniam aeque cognitae atque compertae esse debebant; nec, cum exempli maiorum urbium haud exigua vis sit in mores minorum, improbabile adeo videtur, ecclesias Achaicas minores iisdem vitiis, quibus Corinthii laborarent, sic fuisse commaculatas, ut, quaecunque Apostolus Corinthiis scripserit, haec reliquis etiam convenirent. Sed si vel maxime coetus mino-

res ab omnibus iis, quae in Corinthiis acriter reprehenderat Apostolus, vitiis immunes fuissent, futuris tamen ecclesiarum usibus haec monita Apostoli inservire egregie potuissent. Plures hi coetus Christiani porro in universa Achaia unam quasi ecclesiam universalem, cuius metropolis Corinthus erat, constituebant; ut Corinthii igitur, si antiquam quidem Christianorum simplicitatem ac fraternam unionem ad recentiores mores ac instituta haud exigamus, non magnopere offendi possent, quando coetus minores peccata singulorum ecclesiae Corinthiacae membrorum comperirent. Nullum denique afferri potest certum ac idoneum argumentum, cur Paullus Achaicam ecclesiam, si salutari eam modo, (cui quidem rei sub finem epistolae aptior profecto locus fuisset,) neque vero eacum litteras ipsas communicari voluisset, praeter omnem consuetudinem in ipsa iam inscriptione compellaverit. Quae cum ita sint, certum omnino exploratumque videtur, posteriores has litteras ad Corinthios ex mente et consilio Apostoli ipsius cum reliquis etiam ecclesiis fuisse communicandas. Itaque superflua erat peculiaris quaevis alia epistola praeter nostram ad reliquas ecclesias Achaicas mittenda. Quid enim hae eandem rem bis legerent? Qui vero Apostolus inanem eiusmodi laborem suscipere potuisset? Cui id accedit, constantem Apostoli morem ac consuetudinem fuisse, ut gravioribus subinde negotiis distentus ad principes tantum ecclesias perscriberet, unde cum reliquis metropoleos ecclesiis facillime communicari possent epistolae. Cur igitur Paullus hunc morem perpetuum tum mune-

ris sui gravissimi rationi tum primitivarum ecclesiarum statui maxime congruum hoc loco, nullaque intercedente graviori caussa, deseruisset? Ita sane rationes nostras tuto satis conficere possemus, etsi certum illud et expressum indicium C. I, 1. non haberemus. — Sed ponamus. quod certe per ea, quae supra prolixe exposuimus, concedendum non est, has litteras ad caeteras Achaicas ecclesias non pertinuisse; scribenda tamen ad illas peculiari quadam epistola, sine ullo rei commendandae detrimento, Apostolum supersedere potuisse arbitror. Poterat enim ecclesia Corinthiaca ipsa haec beneficia pro egenis Palaestinensibus, ut in Macedonia, ita et in universa Achaia colligenda minoribus illis coetibus omnium optime commendare; et vero etiam post multas Apostoli preces, quas legati a Paullo singulis ecclesiis Achaicis sine dubio confirmabant, de stipe ubique cogenda serio cogitasse censenda est. Paullus itaque ad ecclesias Achaicas, nisi alia vel ad emendandam animi indolem vel corrigendam externam ecclesiae rationem ac disciplinam, qualia vero in hoc Cap. IXno reperiuntur nulla, iis simul iniungere constituerit propter solas symbolas paullo lautiores commendandas litteras nullas daturus fuisse videtur. Cum igitur nulla prorsus ratio adsit peculiaris schedulae tam brevis tamque superfluae a Paullo scribendae; prima illa hypothesis hactenus excussa parum mihi probatur.

§. III.

Altera hypothesis excutitur.

Sed aliae adhuc dantur hypotheses, qui-

bus, si nativa nulla ac plana ratione nexus utriusque Cap. VIII. et IX. demonstrandus esset, difficultates eiusdem expediri possent. Duplex quidem rei artificiosae explicandae modus mentem subit; sed dantur forsan plures, in quibus vel ornandis vel confutandis vires ingenii exerceant alii. At vero ne duplex quidem ille modus mihi probatur. Quibus ergo rationibus permotus utrumque abiiciam, ut alii, quibus alteruter forsan arrideat, sciant, recensebo iam utrumque, priorem quidem hoc, posteriorem vero sequenti §o; additis rationibus, quae, ut opinor, utrumque destruant vel saltem infringant. — Prior hypothesis haec est: Apostolum, cum posterior haec ad Corinthios epistola ex consilio ipsius, aeque ac illa ad Ephesios data (quod quidem manifesta utriusque recensionis antiquissimae dissensio in inscriptione eiusdem exprimenda haud obscure indicare videtur) cyclica esset, duo eiusdem exempla describenda curasse, Corinthiis alterum, alterum caeteris ecclesiis Achaicis destinatum; quae vero, summo licet in reliquis omnibus consensu, in loco tamen de stipe pro egenis Palaestinensibus cogenda mire a se invicem discrepassent: alio quippe caussarum genere ad commovendos Corinthios, alio ad reliquas ecclesias excitandas ab Apostolo adhibito. Corinthios enim, cum et divitiis abundarent, et vero gloriae magnopere studerent. honoris maxime periculo, Achaicos vero colonos illos, vel mediocris fortunae homines vel gloriae non adeo cupidos, largiorum potissimum praemiorum divinorum spe ad liberalitatem erga alios adduci potuisse. Hinc esse, ut

Apostolus in concitandis ad benefaciendum Corinthiorum animis C. VIII. tum florentissimam earum fortunam rerumque omnium abundantiam celebret, tum solidioris gloriae studium in iisdem acuere, ad suasque rationes trahere allaboret: Achaicis contra colonis C. IX. (ubi com. 2. expressam etiam Achaiae mentionem fieri,) repetitis breviter tantum strictimque, vv. quinque prioribus, argumentis C. VIII. fusius expositis, gratiae divinae beneficium atque insignioris felicitatis futurae spem prolixe satis et ad vitae eorum genus accommodate, petitis passim (vv. 6. 10.) ab agricultura loquendi formulis proponat. Quod argumenti discrimen cum animadvertissent Corinthii, utrumque locum eos coniunxisse, observata quidem ad oram libri utriusque loci (C. VIII. et IX.) vera ratione atque origine; qua vero observatione historica, cum aliis multis, temporis iniuria deleta, veram rationem iudicandi miri utriusque capitis consensus, in eoque iterum discriminis simul periisse, probabili modo coniectura nunc restituendam. —

At enimvero, quamvis non opus erat peculiari epistola ad ecclesias scribenda, cum, quaecunque ad se pertinerent, facile comperire illae potuissent a Corinthiis litteras suas cum illis pariter ac Colossenses cum Laodicenis Col. IV, 16. communicaturis; hoc tamen certum puto, Paullum, si duo harum litterarum exempla, alterum pro Corinthiis, pro Achaicis alterum, sic exarare voluisset, prout ratio et status cuilibet ecclesiae proprius efflagitaret,

longe plura in hac epistola, quae ad Corinthios maxime pertinent, vel omittere prorsus debuisse, vel certe ita immutare, ut duae potius epistolae inuicem prorsus diversae, quam duo eiusdem epistolae exempla, exstiterint. Quamquam enim Achaicae ecclesiae a morum ac disciplinae ratione Corinthiorum haud magnopere alienae fuerint, ut, quaecunque hac de re Corinthiis dicerentur omnino, illae ad se quoque transferre possent; hac tamen epistola maximam partem Apostolus in singularia Corinthiorum facinora sic descendit, ut, si propter solam fortunae, qua metropolis atque vicinae ecclesiae uterentur, varietatem ipsa argumenta ad persuadendum vario modo ad ingeniumque cuiusvis accommodato instruere ei visum fuerit, universa profecto epistolae forma, quae ad Corinthios maxime pertinebat, in exemplo Achaicis destinato apte ad singularem eorum usum immutanda fuisset. —

Quid sit porro, quod Corinthii in sua epistola carerent persuasionibus iis, quas Apostolus ex insigni praemiorum divinorum copia atque immensa felicitatis futurae ex prolixa erga inopes voluntate ipsis sperandae magnitudine C. IX. depromserat, equidem non intelligo. Num Christiani locupletiores gratia divina minus indigent ac inopes? Vel fuerunt Corinthii ea mentis imbecillitate, ut vim horum argumentorum capere non possent? At coloni illi Achaici capere poterant; et persuasio sane ex felicitatis spe depromta cuiusque hominis ingenio apta est, ut, cur minus idonea fuerit Corinthiis, quibus difficiliora tamen ac subti-

liora multa in utraque epistola proposuerat Apostolus, prorsus non videam. — Dein hypothesis illa non satis conspirare videtur cum argumento priorum quinque C. IXni commatum, quae tamen, cum idem illud continere videantur, quod iam C. VIII. copiose tractatum fuerat, potissimas, ne dicam, omnes difficultates gignunt. Etenim, si argumenta Corinthiis C. VIII. proposita non quadrant ad Achaicos, cur repetit ea Apostolus in exemplo Achaicis exhibendo (C. IX)? cur concludit eadem angustius? cur excitare studet in his vv. honoris gloriaeque studium in hominibus, qui eo exstimulari non poterant? quare non versu 6to nostro potius, paullo aliter quidem informato, omissis prioribus quinque, paraenesin suam, ingenio ac moribus Achaicorum accommodate, incipit? Sin vero hae ecclesiae minores iisdem persuadendi locis ad rationes Paulli adduci poterant, cur premit Apostolus argumenta, nec ea vi, eaque ingenii ubertate, quae Cap. VIII. cernitur, illa exprommit?

Itaque cum nullum vestigium diversorum lectorum utroque hoc capite adpareat; eadem potius lectorum, C. IX. pariter ac VIII, ratio ex omni contextus habitu ponenda sit (promissionem enim gratiae divinae etiam ad Corinthiorum animos vim habuisse, supra iam observatum est); potissimas difficultates, quae priora cum primis commata quinque premunt, hypothesis illa expedire haud videtur. Nullam denique vim inesse, vix est quod moneam, neque mentioni Achaiae v. 2., cum Corinthus

metropolis stipem cogendam in universa Achaia procuraret; neque imagini ab agricultura C. IX. desumtae, quae et Paullo admodum frequens est, et in se adeo trita, ut perquam commode adhiberi possit in urbe quavis florentissima et ab agricultura vel maxime aliena.

§. IV.

Tertia hypothesis recensetur et examinatur.

Transeamus nunc ad ultimam hypothesin, quae, missa opinione illa in duabus prioribus stabilita, qua C. VIII. ad Corinthios, IXnum vero ad Achaicas ecclesias pertinere putant, in sola argumenti similitudine, qua priora quinque commata Cap. IX. cum C. VIII. iuncta sunt, unde illa sit, explicanda versatur. Est vero haec: Cap. VIIIvum et IXnum pertinuisse quidem utrumque, pari ratione ac reliquas huius epistolae partes, ad Corinthiacam aeque ac caeteras Achaiae ecclesias: primitus vero Apostolum, cum primus hanc epistolam ad Corinthios daret, Cap. IXni v. 6tum nostrum, aliter licet structum, Cap. VIIIvo sic iunxisse, ut accurate cohaereret ille cum commate huius ultimo; atque, cum C. VIIIvo gloriae cupiditatem, qua ferrentur Corinthii, ad beneficentiam ille adduxisset, multis etiam gratiae divinae beneficiis ex liberalitate exspectandis animum eorum flectere Cap. hoc IXno eundem studuisse. Sed in nova scriptorum suorum editione ab ipso adornata priorem illam rationem in Corinthiorum animos se insinuandi C. VIII. copiosius paullo diffusam in quinque haec priora Cap. IXni commata Apostolum sic conclu-

sisse, ut ex ipsius consilio illo Cap. VIIIvi argumento, cum summa eiusdem in prioribus his C. IXni segmentis velut in compendium redacta exhibeatur, carere adeo nos hodie possimus: reciso enim Cap. VIIIvo integro Apostolum prima haec Cap. IXni commata, quippe quae summam argumenti Cap. VIIIvi contineant, cum nostro v. 6to, qui in priori editione primus, ut ita dicam, fuisset h. e. cum C. VIII. nostro proxime cohaesisset, hac posteriore editione ita coniunxisse, ut hic vi tantum ab illis hodie divelli possit, atque aegre admodum cum ultimo C. VIIIvi segmento, quocum tamen ante secundas Apostoli curas ipsa verborum forma arcte cohaeserit, coniungi. Qua igitur utriusque harum litterarum editionis dissimilitudine a Corinthiis observata, vel quinque haec priora, quae nunc habemus, C. IXni commata in exemplis ex prima epistolae editione descriptis ad marginem primum adscripta, dein autem in textum ipsum illata fuisse; vel Cap. VIIIvum integrum in exemplis ex altera editione descriptis, addita quadam nota historica dein perdita, insertum, ne quidquam, quod e calamo Paulli profluxerit, periret: sicque textum, quem in nostris exemplis legimus, exstitisse, cohaerente quidem commate 5to et 6to Cap. IXni, utroque vero capite ipso VIIIvo et IXno non itidem. —

Evanescerent quidem, haud nego, omnes difficultates §. I. recensitae, citiusque multo ac ulla praemissarum hypothesium, admissa hac fabula, modo vera sit. — Sed mirum profecto esset, in tanta monimentorum vetustissimo-

rum, quae tot genuinas lectiones nobis seruarunt, copia nullum superesse vestigium vel omissi Cap. VIIIui, vel deficientium quinque priorum commatum Cap. IXni, vel primitivae saltem formae v. 6ti Cap. IXni, qui, uti nunc est, nullo modo cum ultimo commate Cap. VIIIui, optime vero cum proxime praecedente v. 5to eiusdem Cap. IXni cohaeret. Sed quid in dubitatione hac haereamus? Falsa omnino est, si quid iudico, illa nonnullorum opinio, qua editio Ἀποστόλου a Paullo ipso procurata censetur. Etenim huius rei, quae notatu dignissima fuisset, nullus sane scriptor antiquus mentionem facit, ne in tuenda quidem librorum quorumdam N. T. αὐθεντίας: nullibi Tertullianus aduersus Marcionem prouocat ad hanc collectionem a Paullo ipso factam, qua tamen quaeuis dubia Marcionis aduersus epistolas ad Timotheum et Titum facile dilui potuissent; neque lis illa de authentia epistolae ad Hebraeos potuisset excitari, si Paullus epistolas suas collegisset atque edidisset ipse. Adfuisse vero iam sub finem sec. I. τὸν Ἀποστολικὸν ab ipsis apostolis collectum iure nostro negamus: si enim adfuisset, intelligi sane non posset, cur Iustini Martyris tempore sola ἀπομνημονεύματα τῶν ἀποστόλων s. Euangelia in publicis Christianorum conuentibus praelecta fuerint, nec illa etiam collectio epistolarum apostolicarum, cum tamen a Paullo ipso ex illa hypothesi dudum publici iuris facta fuisset. Particulares quidem collectiones epistolarum apud priuatos tum temporis iam extitisse non negamus; hae vero hic in censum non veniunt, ubi de illa modo collectione epistolarum a Paullo ipso adornata

quaeritur. Ex his igitur colligimus, Versionem Italam atque Syriacam, quarum aetatem ad finem Sec. I. vulgo referre solent, cum utraque τὸν Ἀπόςολον contineat, ante exitum Sec. II. factas non esse: tum demum, cum numerus graece loquentium decreuerat, versione librorum sacrorum indigebant Christiani; non vero eo iam tempore, quo plerique graece sciebant *). Nec cum b. Schmidio (histor. Canon. p. 720) ex II Petr. III, 15. 16. concludere licet, integrum codicem omnium epistolarum Paullinarum a Petro iam fuisse usurpatum: singulas modo epistolas Paulli hic illic in itinere ille legisse, et hoc quidem loco ad certas (ἐν πάσαις ΤΑΪΣ ἐπιςολᾶις) epistolas ad Proselytos per Asiam dispersos datas respicere videtur; (cogitasse enim eum de epist. ad Hebraeos vel ad Thessalonicenses mihi persuadere non possum,) neque in omnibus epistolis suis Paullum ea, de quibus Petrus suos admonet, exposuisse res ipsa docet. Certum igitur mihi videtur, eas ex epistolis Paullinis nondum deperditis, quae ad religionem vel ecclesiam Christianam potissimum pertinerent, post obitum Apostoli demum a Graeco quodam collectas, sicque illam ipsam epistolarum Paullinarum collectionem, quam hodie habemus, ante exitum Sec. II. euulgatum fuisse. — Commata denique quinque priora Cap. IXni epitome C.

*) Prolixius haec et docte, ut solet, exposuit S. V. Griesbach in Curar. in histor. text. graec. epistolar. Paullinar. Spec. I. Sect. II. .11. 12. inprimis et alibi. —

VIIIui modo videntur, sed vere non sunt; id quod ex nexu utriusque capitis §o sequenti curatius euoluendo adparebit luculentius. Quin variae Cap. IXni partes, nisi Cap. VIIIuum legendo praemittatur, obscuritate aliqua laborent; velnti illa mentio τῶν ἀδελφῶν v. 3. referenda ad Titum (C. VIII, 16.) duosque illos ἀδελφὰς (v. 18. et 22.) Titi comites: et omne omnino argumentum C. IX. facilius multo intelligi, eiusque lectionem minus impediri, si C. VIIIuum ante legerimus, suo quemque sensu edoceri posse existimo. Paullus igitur, si pressisset C. VIIIuum prioribus his quinque Cap. IXni commatibus, obscuritatem sane haud leuem hac sua brevitate in Cap. IXnum intulisset. Quibus omnibus rite expensis illa hypothesis vel specie adeo carere intelligitur, qua commendare sese posset. — Sufficiant vero haec ad obseruandum, quorsum ingenii luxuria nos abducere possit, nisi id continuo sectemur, quod in quaque re verum certumque sit: neque in his opinionibus iudicandis tamdiu haesissemus, cum res ipsa, nulla prorsus admissa hypothesi, clare satis nobis luceat, nisi et aequitas erga viros graues et doctos, et nostri temporis ingenium curatiorem hanc et pleniorem disquisitionem postulare videretur.

§. V.

Verus nexus C. VIIIui et IXni demonstratur.

Ab erronea igitnr, ingeniosa licet, opinionum subtilitate ad natiuam ac simplicem veritatem textus nunc transeamus. Videtur autem,

meo quidem sensu, Cap. VIIIunm et IXnum nexu cohaerere hoc: Apostolus ad leuandam Palaestinensium Christianorum miseriam Corinthiorum animos commoturus pro singulari, qua gaudebat, persuadendi vi efficere id studuit, non tantum, (animo quippe Corinthiorum suorum, quos rerum abundantia affluere nouerat, honoris cupidissimo fretus,) proposito Macedonum exemplo, qui, quamuis magna rerum angustia conflictabantur ipsi, largas tamen symbolas coegerant; sed describendo etiam liberalitatem erga alios tamquam rem religiosam, atque officium a quouis Christiano pro viribus praestandum, eamque egregio Seruatoris nostri ipsius exemplo illustrando. — Haec agit Apostolus versibus quindecim C. VIIIui prioribus. At vero Paullus, qui magno sustentandorum Palaestinensium studio flagraret, prolixam erga illos voluntatem non solis litteris Corinthiis commendandam putauit, sed Titum etiam cum duobus aliis itineris atque laborum sociis Corinthum misit, qui stipem illam, cuius colligendae initium uno abhinc anno iam fecerint Corinthii, prius cogerent, quam ipse veniret. Abscindit igitur Apostolus, quam exorsus erat, telam, atque incidit in memoriam Titi eiusque sociorum, quorum fidem, auctoritatem, ac singularem, quo in Corinthios ii ferantur, amorem vehementer laudat, iisque confirmat. Commemorat inprimis τὰς ἀδελφὰς Titi comites, quantum de legatione ad illos sibi gratulentur, quamque liberale hospitium, quo Titum iam receperint (cf. VII, 13-15.) ab eorum humanitate, copiose satis ab ipso commendata, atque amore, quo et ipsum et ipsius

socios prosequantur, exspectent (v. 22). Commendat igitur Corinthiis legatos (v. 24.) ne hi eximia, quam foueant, spe, frustrentur, neque se ipsum ab humanitate illos commendasse poeniteat: adhortatur eos, ut beneuolo ac liberali hospitio, quo Titum eiusque comites excipiant, prolixas illas laudes confirment, suamque praesertim liberalitatem ac hospitalitatem ecclesiis circumquaque sitis, iis in primis, a quibus legati illi sint, egregie commendent (εις πρόσωπον τῶν ἐκκλησιῶν). — Illico ipsi in memoriam redit primum illud atque potissimum eorumdem consilium, colligendae scilicet stipis; quod igitur breuibus modo, cum C. VIII, 1-15. eadem rem prolixius iam tractasset, sub finem attingit (C. IX, 1. 2.) verbis his: περὶ μεν γὰρ διακονίας τῆς εις τὰς ἁγίας περισσόν μοι ἐςὶ γράφειν ὑμῖν· οἶδα γὰρ τὴν προθυμίαν ὑμῶν κ. τ. λ. Referenda itaque sunt prima C. IXni commata ad v. 24. Cap. VIIIui, nexu sententiarum hoc: C. VIII, v. 24. „Vestram erga nos beneuolentiam, laudesque, quibus humanitatem vestram ubique locorum celebrare solemus, comprobetis velim ecclesiis omnibus, quocunque demum legati venerint, beneuolo ac liberali illorum hospitio. C. IX, 1. 2. Quod enim attinet ad stipem colligendam, cuius caussa legati veniunt, non est, quod magnopere vos moneam, velitis hac etiam larga et promta manu conferenda vestram iis liberalitatem probare: noui enim animum vestrum ad bonum quoduis promtum atque paratum.“ —

Cohaeret igitur utrumque caput hoc modo,

ut, cum Apostolus Corinthios ad hospitalitatem excitaret, ei in mentem redeat primum itineris consilium; resumit itaque illud, sed ὡς ἐν παρόδῳ tantum ac velut in parenthesi, quam vero ad finem usque capitis produxit tandem ingenii ubertas. Quo sententiarum nexu vocula γὰρ v. 1. vulgarem vim ac potestatem retinet, qua Latinorum Nam respondet. Videtur denique Apostolus argumento omni, in quo hactenus versabatur, v. 2. vere terminum statuisse; idem vero ipsi accidisse, quod cuivis fere in conscribendis litteris, ad familiares in primis, accidere solet, ut, dum concludere disputationem vellet, oblatis nouis rei argumentis, eamdem persequeretur longius. Solemus quippe omnes in quaque re nobis in primis cara ita toti esse, ut ab eadem aegre admodum diuelli nos patiamur: abimus, redimus; multis iam ab omni fere parte de re disputatis modum tandem orationi statuimus, en occurrit ex improuiso alia pars rei nobis tam carae! laetamur nouam dicendi materiam, resumimus filum orationis modo missum idque persequimur; sicque noua subinde fila, dum telam conficere volumus, atteximus, idque eo lubentius, quo aegrius rem adeo gratam atque iucundam, in qua plenius describenda ab omnique parte commendanda omnes sumus, deserimus. Convenire autem huic mentis humanae indoli atque consuetudini animi Apostoli hoc capite situm ipsa sententiarum consecutio abunde satis demonstrat. Nam τὸ περισσὸν v. 1. prodit celeritatem calami Apostoli ad alia transituri; at occasione vocum singularum noua subinde offertur dicendi materia. Cum Paul-

lus scriberet illud καύχωμαι v. 2., mentem subit nouum persuadendi argumentum hoc: Velint stipem promissam mature colligere, ne suus ipsius honos apud Macedones, quibus liberalitatem ipsorum egregie laudasset, periclitetur, si euentus praeconio haud responderit. (v. 3-5.) Quo absoluto aliud in mente Apostoli nectitur ex voce εὐλογία v. 5, quae vi voc. haebr. ברכה non tantum beneficium denotat, sed largitatis etiam notionem adiunctam habet: quae igitur vox cum pro stipe calamo Apostoli v. 5. exciderit; simul redit altera eiusdem significatio, nouamque persuadendi materiem v. 6. affert ex liberalitatis remuneratione, quam Deus pro ratione et munerum et animi ipsius, quo ea dentur, cuivis demensurus sit, verbis his; τοῦτο δὲ, ὁ σπείρων φειδομένως, φειδομένως καὶ θερίσει· καὶ ὁ σπείρων ἐπ' ΕΥΛΟΓΙΑΙΣ, ἐπ' εὐλογίαις καὶ θερίσει. Quae autem enunciatio ne sinistre accipiatur, atque liberalitas, quae vera eius ratio sit, rectius intelligatur, eam non ex copia et magnitudine munerum, verum ex animi, quo distribuantur, facilitate et promtitudine, dimetiendam esse v. 7. significat, sicque ad declarandos liberalitatis fructus uberrimos pergit vv. 8-14. — Possumus ergo in quouis fere huius capitis versu demonstrare, quomodo una idea alteram excitauerit, una ex altera, per unam saepe voculam, nexa fuerit. Paullum vero occasionem transeundi ad alia ab unica haud raro vocula arripere, idque in primis fieri, ubi scriptionis argumentum non satis praemeditatus fuerit, (quod vero accidisse ei in hac ipsa epistola scimus) inter omnes constat. Itaque intelligimus, qui fieri potuerit,

ut Apostolus, cui inter scribendum, natis subinde e tanta ingenii ubertate nouis animi sensibus, dicendi materia succresceret, in liberalitate Corinthiis commendanda, quamuis hoc argumentum 2do iam commate deserere vellet, per integrum hoc caput haereret. Haec sufficiant ad declarandam veram, quae mihi certe, meditationis Paullinae seriem diu satis et sollicite rimanti ac obseruanti, videtur, capitis, utriusque VIIIui et IXni rationem.

Sed posset etiam cum aliis nexus utriusque capitis aliter cogitari; ut unum tantum modum adhuc addam, qui post illum iam recensitum primum locum tenere videtur: (omnium enim interpretum, quos in declarando harum sententiarum nexu desudasse nouimus, labores examinare, cum id huius loci non sit, iure nostro supersedemus.) Est vero hic: Deseruisse Apostolum inde a v. 16. Cap. VIIIui eam dicendi materiam, quam adhortando Corinthios ad colligendam stipem initio Cap. inchoasset, atque ad commendationem Titi eiusque sociorum usque ad fin. Cap. transiisse; at C. IXno filum illud C. VIII, 1. exorsum, sed v. 16. abruptum, resumere nunc, atque pertexere hoc modo, ut primum ostendat, honorem suum, nisi larga ac promta manu stipem conferrent, admodum periclitari, cum prolixe adeo liberalitatem eorum apud Macedones celebrasset; cauendum igitur ipsis esse, ne in impudentis mendacii, (quod foret, si res aliter ceciderit,) suspicionem incidat: deinde ut doceat, Deum largiter remuneraturum esse beneficia quaeque inopi collata. Sensum ita-

que v. 1. hunc esse: „Quod vero attinet ad „stipem colligendam (ut eo redeam, unde di- „gressus sum) superfluum sane iudico, ad lar- „giter ac lubenter eam praebendam copiose „Vos cohortari; noui enim animum vestrum „liberalem" etc. — Quo admisso sententiarum nexu duo modo monenda sunt: primum formulam illam loquendi: περισσὸν, τὸ γράφειν, cum duobus his commatibus contenta sit captatio beneuolentiae, premendam non esse, ut igitur obiectio illa: „Apostolum tamen eodem argu- „mento integrum adhuc caput replere", nulla sit, sensumque prorsus non feriat; id quod Theodoretus etiam ad h. l. eleganter monuit verbis: οὐ περιττὴν ὄντως ὑπολαμβάνων, ἀλλὰ τῇ τοιαύτῃ τῶν λόγων μεθόδῳ πρὸς πλείω διεγείρων φιλοτιμίαν: deinde, particulam ΓΑΡ hoc sententiarum nexu modo esse transeuntis et reassumentis, atque reddendam: Sed, Vero. Voculam Nam apud Ciceronem aliosque probos auctores eodem sensu occurrere notum est; et de graecorum γὰρ idem hucusque pro certo statuerunt graecissimi *). — Duplex haec

*) Nuper quidem Cl. Zevae in notis ad Vigeri libr. de praecipuis graecae dictionis idiotismis p. 481. contradixit: „Semper particulam Γὰρ „reddere rationem antecedentis, quod aut di- „serte sit expressum, aut per ellipsin facile „intelligatur." Sed ut taceam, in ipsis exemplis profanorum a Viro clarissimo adductis sententiam illam subintelligendam potius ab eo videri, illatam, quam ab Auctoribus vere cogitatam; miror sane Virum loca ex Xenophontis Cyropaedia iam a Raphelio ad Act. VI, 27 excitata non excussisse; quae quippe, nec non

nexus utriusque capitis expositio potissima videtur, sensusque notatio, si usum particulae γὰρ attenderis, ei similis, quae Hebr. III, 4. praeferenda sit *). Differunt vero inuicem, ut rem paucis complectar, hoc modo: ut ex priori Apostolus tantum in transitu argumentum de colligenda stipe attingat, strictimque sic repetat, ut ad finem eum festinare adpareat, uno autem alteroque nouo sensu suborto rem, quam attingere sub finem modo vellet, pro insigni vi ingenii longius diducat; ex posteriori vero ad idem argumentum C. VIII, 16. abruptum ex instituto redeat, nouaque persuadendi genera consulto addat. Utra autem recta sit, id quidem certo definire aeque difficile hoc loco videtur, atque in illo Hebr. III, 4: sed

---

alia tam ex N. T. Matth. I, 18. Io. IX, 30. Act. II, 27. XVI, 37. quam ex V. T. apud LXX. Ies. XLV, 15. ubi hebr. אכן et Iob. XIX, 23. ubi hebr. אפא responset, si suo Ille modo, at facili nec contorta ratione, explicuerit, victas demum Ei, at lubenter, porrigam manus; quod vero ab Ipso fieri posse eo magis dubito, quo plura in quauis fere pagina praestantissimae editionis N. T. Koppianae varii vocis γὰρ usus exstent exempla. In concitatiori contra sermone id, quod Cl. Zevne vult, accidere maxime, dudum monuerunt Cl. Krebs et alii. Potest igitur et debet, meo quidem sensu, vocula γὰρ multis in locis per: Vero, efferri.

*) De quo loco vide sis commentat. nostram Ienae 1778. editam p. 13-17, qua duplicem illum vocis γὰρ usum accommodate ad locum copiose satis exposuimus.

si sensum sequi fas sit, priorem praeferendam iudico posteriori, quoniam tum indicia abrumpendae subinde orationis, at noua oblata occasione continuatae iterum, luculenter satis adparent, tum ex uniuersa epistolae oeconomia, Paullum eiusdem argumentum haud praemeditatum, sed meditationem sponte ex se ipsam inter scribendum necti passum fuisse, clare intelligitur. —

§. VI.

Difficultates nexus tolluntur.

At idem in Cap. IXno continetur, quod iam praecedente Cap. VIIIuo prolixe satis ab Apostolo propositum fuerat? Cur igitur Paullus idem ad eosdem, aliis modo formulis, Cap. hoc IXno repetit? Huius quidem rei disquisitio, quamuis ex nexu sententiarum supra constituto facillima sit, instituenda adhuc restat. Ex praemissa argumenti utriusque capitis delineatione, me non idem argumentum utrique capiti statuere, facile quisque intellexerit: quod vero, qua ratione, quoue iure id faciam, ut eo magis eluceseat, difficultates obiectas ipsas (§. 1.) ad rationem mutuam utriusque capitis §o praeced. expositam iam examinabimus. — Quod primum ad formulam illam: περὶ μὲν γὰρ τῆς διακονίας, attinet, haec vere nostro quoque loco est transeuntis ad nouum argumentum, C. VIII, 16. quippe abruptum, nunc vel breuiter tantum, (quae mea est sententia,) ex eo, quod primum Apostolus ceperat, consilio sub finem attingendum, vel, (quod alii volunt), copiosius paullo, additis

nouis persuasionum generibus, persequendum; cum Apostolus, dimidia licet parte Cap. VIIIui eodem argumento occupata, singula tamen, quae de re dici possent, nondum exhausisset, loco igitur his expromendis perquam idoneo Cap. hoc IXno relicto. Τὸ περισσὸν vel merae captationis beneuolentiae formula censenda est; siquidem Apostolus, quod Theodoretus ad h. l. recte monuit, persuadendi atque in aliorum animos se insinuandi peritissimum hac ipsa epistola sese demonstrat; vel proprie intelligendum, quod rectius videtur, ad primum illud, quod Apostolus cepit, consilium abrumpendi scilicet hoc IXno capite argumentum, quod C. VIIIuo tractauerat, pertinet. — Perfectam porro argumenti in utroque capite paritatem nemo sane contenderit, cum argumentum segmenti C. IX, 6 — fin. de egregiis liberalitatis fructibus vere nouum sit, atque C. VIIIuo plane intactum. Neque vero prima quinque C. IXni commata idem continere suo quemque sensu edoceri posse arbitror. Etenim C. VIII, 7. 8. 10. 11. exhortatur Paullus Corinthios ad stipem colligendam, ne turpem sibi maculam contrahant ipsi (τοῦτο γὰρ ὙΜΙ͂Ν συμφέρει); sed C. IX, 3. 4. idem iisdem commendat, ne sua ipsius existimatio apud alios eorum negligentia in discrimen adducatur; sicque illud ἵνα μὴ λέγωμεν ὙΜΕΙ͂Σ v. 4, quod Cap. VIII. abunde iam excusserat, hoc loco in parenthesi modo attingit. — Fratrum illorum C. VIII, 18. 22. 24. mentio fit, ut celebrentur eorum virtutes, in primisque insignis amor Corinthiorum, hique excitentur ad beneuolum

lautumque legatorum illorum hospitium: per πεποίθησιν enim v. 22. et ἔνδειξιν τῆς ἀγάπης significari, quod nonnulli volunt, diligentiam Corinthiorum in colligendis beneficiis, mihi persuadere non possum; cum idem ratione faciliori de liberali potius hospitio, quo legatos ipsos excipiant, intelligatur. C. IX. vero Apostolus agit de prouincia, qua hi legati inter Corinthios ad leuandam Palaestinensium Christianorum miseriam defungerentur. Varia igitur adest ratio narrationis in utroque capite: Titus contra, cuius mentio fit C. VIII, 6. 16. 17., haud commemoratur C. IX, certe non expresse, quamvis sub ἀδελφοῖς v. 2. 5. comprehendere eum iure possis. — At fingamus, legatos hos eodem prorsus respectu in utroque capite commemorari: nonne Paullus eamdem rem, ubi sententiarum opportunitas id iuberet, bis variis quidem locorum interuallis narrare posset? Varius certe ac diuersus foret nexus ipse, etiamsi eadem res eodem plane ad personas respectu rediret. Rarone adeo Apostolo id accidit, ut eamdem rem, ubi exigat loci ratio, repetat? Quin, ubi non opus sit, idem retexere Apostolum nouimus: quare igitur idem cap. hoc IXno legatorum mentionem, sine qua totum argumentum luce sua cariturum esset, praeteriret, equidem non intelligo. Sed ponamus, quamuis non concedamus, abesse posse v. 3. et 5. mentionem legatorum salua textus perspicuitate; rationem tamen idoneam videmus nullam, cur nostro quidem loco difficultatem atque obscuritatem pariat illud ipsum, quod in nullo alio, cum Paullo admodum frequens sit, suspicionem moueat, vel ullum Criticum

aut interpretem impediat. Possunt potius repetitae sententiae, si quae in hac epistola occurrant, eo minus vel Apostolo exprobrari, vel lectionem ipsam morari, modo veram cogitatorum consecutionem disquiramus diligentius; quo magis certum nobis sit, has literas, si ullae aliae, a Paullo, antequam eas consignaret, mente haud fuisse delineatas, omnemque adeo argumenti repetitionem vel maxime crebram currenti calamo ac velociori et abundantiori ingenio Paulli deberi. — Quomodocunque igitur nexum horum capitum cogites, ex hactenus dictis intelliges, aut nihil prorsus in Cap. IXno repeti, aut, si quid repetatur, id vel leuioris momenti esse, vel contineri eiusdem rationem iustam vel in ipso sententiarum nexu vel in calami festinantia ingeniique Apostoli ubertate; nullamque propterea caussam subesse vel struendae difficultatis vel hypothesis ad componenda, quae nulla sunt, textus repugnantia excogitandae. Dubium denique ex mentione Achaiae v. 2. expressa repetitum nullum est; Corinthus enim erat metropolis Achaiae, quae et stipem per uniuersam prouinciam cogendam administraret, et has ipsas literas cum reliquis ecclesiis Achaicis communicaret. — Haec de Cap. IXno a posteriori epistola ad Corinthios haud separando!

Sectio II.

De Cap. X. usque ad Cap. XIII. epistolae posterioris ad Corinthios vera ad praecedentia capita ratione.

§. 1.

Difficultates nexus horum capitum recensentur.

Primo quidem obtutu graues omnino difficultates se obiiciunt, quibus aptus posterioris segmenti C. X-XIII. nexus cum priori epistolae parte haud parum impediri videtur; at curatius expensae eae non sunt, quae nos ad partem hanc a totius epistolae argumento separandam adducere possint. Sunt vero potiora dubia haec: primum in his Capp. praesertim C. XIII, 1-10. inuehi vehementius Apostolum in Corinthios, quos vero in prioribus epistolae segmentis, C. VII. inprimis, tam egregiis laudibus exornasset, ac fere cumulasset; magisque igitur conuenire hanc particulam cum argumento prioris epistolae ad Corinth. inprimisque cum C. IV, 21. et C. Vto. — C. VII, 16. Paullum ad Corinthios scribere: ἐν παντὶ θαῤῥῶ ἐν ὑμῖν; sed C. XII, 20· φοβοῦμαι pari modo, ac 1. Cor. II, 3. — C. XII, 21. Paullum vituperare acriter mollem et dissolutam viuendi rationem Corinthiorum pariter atque 1. Cor. V, 9-13; dicere eos μὴ μετανοήσαντας, nec ip-

sius epistolas reueritos, sed proterue potius suam seueritatem experturos: cum C. VII. contra unius tantum πράγματος mentionem faciat, ac reliquos Corinthios pronunciet ἁγνὰς ἐν τῷ πράγματι (v. 11.) eosque ab hac parte prolixe collaudet (vv. 7-16.)

Dein illam accusationem, Paullum, etsi non manifeste, tecte tamen et dolose Corinthios quasi expilasse (C. XII, 16-17.), locum non habere videri in epistola, qua Apostolus Corinthiis exprobret, quod nihil eorum, quae inde ab anni spatio promiserint, adhuc paratum sit (C. VIII, 11. IX, 2. 4. 5.) unde igitur adpareat, nihil adhuc corrogatum fuisse. — Cum porro verba C. XII, 18. παρεκάλεσα Τίτον, καὶ συναπέστειλα τὸν ἀδελφὸν eadem sint cum iis, quae C. VIII, 17-18. occurrunt, de eadem legatione agere, eademque adhortationem continere illa censenda esse; sed Paullum C. VIII. et IX. primum studiose id agere, ut, quando Titus venerit, Corinthii largiter conferant λογίας εἰς ἁγίους: quomodo igitur Apostolus accusationes aliorum atque calumnias fraudum Paulli et Titi, qui tamen Corinthum nondum abierit, sub hac pecuniarum collectione tectarum commemorare possit C. XII, 16-18. nequaquam intelligi. Quae vero calumniae quo minus ad primam legationem Titi spectare existimentur, obstare tum supra iam notatam perfectam similitudinem formularum loquendi C. VIII, 17-18. obuiarum, quae de secundo itinere Titi modo intelligendae sint; tum laudum illarum copiam C. VII, 7-16. cum calumniis istis Corinthiorum prorsus non conciliandam. —

Denique Apostolum C. XIII, 1. scribere: ΤΡΙΤΟΝ τῦτο ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς. Sed Paullum bis tantum Corinthi fuisse, Act. XVIII, 1. et XX, 2. Sin vero ἔρχεσθαι de literis accipiatur; duas modo has epistolas ad Corinthios exstare. Quid igitur illud τρίτον ἔρχομαι?

§. III.

Hypothesis prima ennaratur et diiudicatur.

Quae itaque sententiarum Paullinarum difficultates, siue omnes siue quaedam saltem, (nam non omnes ab antiquioribus philologis iam obseruatae fuerunt) cum plura ingenia exercerent; duo potissimum inde nati sunt modi soluendi perplexos hos nodos, et quae repugnantia viderentur componendi. Quorum prior isque potior hic est: A Cap. Xmo inde incipere nouas literas, quas Paullus post hanc posteriorem epistolam, accepto quippe a Tito nouo atque ingrato nuncio de nouis turbis, flagitiis, atque criminationibus Corinthiorum, ad eosdem dedisset: has vero literas posthaec ab ipsis Corinthiis una cum illis ad ecclesias Achaicas missis posteriori huic epistolae fuisse adiunctas. — Omnes quidem difficultates §. I. recensitae, haud diffiteor, assumta hac hypothesi felicissime tolluntur. Nam si hoc segmentum secundo itinere Titi posterius fuit, facile intelligimus, quomodo, dono illo publico a Tito iam procurato, Paullus a simulatis Christianis, moribus et disciplinae Apostoli insidiantibus, apud Corinthios in inuidiam adduci potuerit, tecto hoc modo per legatos suos quasi expilare eos se velle, nec tantam pecu-

niae vim, quam Titus Corinthi et in universa Achaia coëgisset, ad Palaestinenses delaturum, sed in suos usus potius haud parum corrogati aeris retenturum esse. Nec, si Titus Apostolum de sinistro hoc rerum suarum progressu Iudaeorumque obtrectationibus certiorem fecisset, mirum videri posset, Paullum, postquam mutatum erga se maleuolis Christianorum simulatorum studiis Corinthiorum animum intellexisset, atque quantum Iudaei illi laruati apud Corinthios valerent, quantumque auctoritatem ipsius apostolicam imminuérent, cognouisset, acerbiori animo epistolam illam ultimis his capitibus contentam scripsisse, vehementiusque in Corinthios efferbuisse. Posset denique summa etiam similitudo horum capitum cum argumento prioris epistolae §. I. iam significata commode admodum ex hac hypothesi explicari: etenim si post literas posteriores ad Corinthios tota illius ecclesiae facies immutata fuisset, pristinaque morum corruptio, quam in priore epistola acriter notauerat, rediisset, non potuisset non Apostoli quoque severitas redire. Et quamuis hic argumenti utriusque concentus atque ipsius iterum epistolae posterioris dissensus ex transpositis utriusque epistolae foliis facillime quoque hoc modo explicari possit, ut folia nonnulla epistolae prioris casu, nescio quo, ad calcem posterioris transiise statuantur; faciliorem tamen minusque violentum conciliandi modum putant hunc: Paullum hanc partem posterioris epistolae a Cap. X. inde pergentem, siue ceu peculiarem scidam s. epistolam, siue ceu adpendicem illius tantum, (quae posterior ratio huius hypotheseos

fautoribus praeferenda videtur,) dimissa iam posteriori epistola ipsa, quae prioribus octo capitibus contineatur, ad Corinthios dedisse: unde simul adpareat, quomodo Apostolus in tertia hac epistola scribere potuerit: (C. XIII, 1.) τρίτον τοῦτο ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς.

Atenimuero ut transeam nonnulla, quae supra (Sect. I. §. 2.) iam monita sunt contra similem hypothesin de C. IX. stabilitam, v. c. de foliis vel maioribus particulis non temere separandis aut transponendis, nisi certa et vere critica adsint pristini loci indicia; quaeue praesertim contra eam opinionem valent, qua ultima haec epistolae posterioris capita ob simile argumentum ad priorem transferenda iudicantur: eam potius attingo huius hypotheseos partem, qua Paullus ipse censetur haec segmenta a C. Xmo inde usque ad finem epistolae non ceu singulares literas, sed tamquam adpendicem posterioris epistolae iam dimissae ad Corinthios dedisse. Occurritur quidem hac opinione multis dubiis, quae contra hanc partem praeter omne consilium Apostoli epistolae posteriori adiunctam moueri possent, si Paullus scilicet hanc particulam ceu peculiarem et separatam epistolam ad Corinthios misisset. Verumtamen aequo iure de eo dubitare licet, an Apostolus has literas tamquam solam epistolae posterioris adpendicem ad Corinthios dare potuerit. Quid esset, quod Paullus schedulam post scriptam prioribus literis argumento adeo dissimilem (κατ' ἄνθρωπον dico) adpendicem iisdem decerneret? Forsan vero in capiendo hoc consilio apud Apostolum breuitas schedulae vi-

cit argumenti ipsius similis an dissimilis rationem? At tot aliae exstant Paulli epistolae multo breuiores: quare igitur hae separatae exsistunt? Cur e. g. Thessalonicenses utrasque Apostoli literas ad se datas et argumento et tempore simillimas non in unum volumen coëgerunt? Nulla igitur ratio idonea, si argumento inuicem disiuncta habeantur huius epistolae segmenta, consilii illius, quod Paullus ceperit, adparet. Ceterum id quam lubentissime largior, si C. XIII. pro adpendice sit habendum, hanc iam a Cap. Xmo incipere censendam esse. Quae enim mutati Apostoli in Corinthios animi vestigia C. XIII. deprehenduntur, ea iam conspiciuntur C. XII, 20. Si vero inchoare velis nouam hanc epistolam verbis C. XII, 14. ἰδὲ τρίτον ἑτοίμως ἔχω κ. τ. λ. eundem tamen animum Apostoli video C. X, 9-11. —

Quod autem verba C. XIII, 1. ad nouam hanc epistolam detorqueantur, ut taceam, de literis hunc locum omnino non intelligendum esse, quod infra demonstrabitur prolixius, miror sane, viros doctos, quae ad 1. Cor. V, 9. recte monuissent ipsi, h. l. penitus oblitos esse, aliam scilicet epistolam ad Corinthios primam nostram praecessisse *), ideoque priorem

*) Vere praecessisse priorem epistolam ad Corinthios aliam, iam deperditam, quicquid b. Stosch in libr. de epistolis apostolorum non deperditis contra dixerit, eamque 1. Cor. V, 9. innui, (ut quaestionem hanc criticam breui-

nostram proprie esse secundam, ac posteriorem tertiam. Si igitur Apostolus aliam adhuc post hanc posteriorem epistolam ad Corinthios de-

---

ter discutiam) intelligitur non solum ex eo, quod ante hoc Cap. Vtum nulla conuersationis cum πόρνοις devitandae mentio fit, atque Apostolus hoc ipso capite sententiarum suarum male iam intellectarum ambiguitatem tollere studet, (cf ill. Michaelis Einleit. in d. Schriften d. N. B. ed. nou p. 1036-1037. et Moshemii Erklaer. d. ersten Briefs an die Corinthier p. 297.) ipsaque denique formula ἐν τῇ ἐπιςολῇ, si hac de re in eadem epistola iam egisset, Apostolus, prorsus superflua foret; sed etiam tum ex oppositio νυνὶ v. 11. quod referendum est ad illam ἐπιςολὴν ante ad ipsos missam, tum ex potestate formulae ἐν ΤῊ ἐπιςολῇ in loco simillimo 2. Cor. VII., 8. quae ibi necessario intelligenda est de priori epistola, unde et Apostolus in eod. versu substituit alteram: ἡ ἐπιςολὴ ’ΕΚΕΙ'ΝΗ, tum denique ex 2. Cor. X, 9-11. ubi Paullus expressis verbis plures ἐπιςολὰς ad Corinthios datas commemorat; cum tamen ex canone nostro una tantum praecessisse censenda esset (quod quidem argumentum apud eos valere non potest, qui nouam aliquam a secunda nostra separatam epistolam a Cap. Xmo inde inchoari praecipiunt). — Plures vero apostolorum literas periisse, in aprico est. Quis enim sibi persuadeat, tot Apostolos, quorum nulla in canone nostro scripta extant, nihil omnino, ne epistolas quidem scripsisse; quorumque aliquot epistolas in canone habemus superstites, eos non scripsisse plures? Num existimemus, Paullum pro omnibus apostolis scripsisse unum - Paullum, qui εἰς τὰ ἄμετρα nunquam exspatiaretur, sed intra το μέτρον τ. κάνονος continere se et suo modulo ac pede

disset, quarta haec fuisset, nec tertia; atque Apostolus, si literarum seriem ac numerum h. l. voluisset significare, scripsisset: ΤΕ'ΤΑΡ-

---

metiri (2. Cor. X, 12-13.) didicisset? Paullumque ipsum, a quo plurimas quidem habemus, at omnes intra decennium A. C. LII-LXII. conscriptas, credamus neque hoc ipso interuallo plures, neque ante hoc decennium intrá integrum XVI. annorum spatium A C XXXVI-LII. ullam exarasse? Unde quaeso copia illa dicendi, et natiua dictionis elegantia in scriptis Paullinis? unde insignis, quam mirantur omnes, literarum conscribendarum facultas? — Hanc vero de prima epistola Paulli ad Corinthios deperdita sententiam nec temerariam esse, nec monstri quid alere, abunde satis demonstrat assensus Calovii, Bengelii, Moshemii, Carpzovii, aliorumque virorum celeberrimorum, quorum prolixum catalogum suppeditat laudatus Carpzovius Ven. in praef. ad nouam edit. duarum epistolarum apocrypharum Corinthiorum ad Paulum et Pauli ad Corinthios, p. 17. quibus addes Semlerum Ven. in paraphr. epist. I. ad Corinth. p. 121. et b. Zachariae in paraphras. eiusd. epist. p. 37. — Neque vero epistolam illam ad Corinthios ex Cod. Massoniano a Wilkins editam, neque uberiorem alteram ex integro MSto Armenico a Whistoniis, patre ac filio utroque, vulgatam atque a Carpzovio Ven. repetitam, genuinam illam Paullinam esse, et res ipsa docet et harum rerum periti iudicant omnes. Qua de re conferas modo praeter Moshemii Commentar. p. 296-297. solidam et concinnam disquisitionem Carpzovii Ven. in supra laudata praefatione. — Periit igitur haec epistola, quod facile ei accidere poterat, cum argumenti esset mere historici, ed ad Corinthios unice pertine-

ΤΟΝ (non τρίτον) τοῦτο ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς. — Itaque hanc opinionem suis haud carere difficultatibus satis intelligimus: neque vero illa opus esse ad coniungendas inuicem partes huius epistolae infra docebitur. —

§. III.

Altera hypothesis enarratur et refellitur.

Altera hypothesis, quae vero ad solum C. XIII. spectat, auctorem habet Steph. le Moyne *). Cuius quidem Viri opinionem

---

ret. Somniabat quidem Lightfoot et post eum Poleman, primam hanc epistolam, quamuis non integra exstet, singulis tamen illius partibus passim sparsis in epistola priori ad Corinth. superstitem esse; at copiose refellit hanc opinionem Ven. Winkler in animadu. philol. et crit. p. 281 sqq. Quorsum enim deferremur, si sententias Apostolorum, quae e textu nostro optimo nexu inter se cohaerent, tam violenter dissecare liceret? Aeque inepte opinatur van Till, posteriorem epist. ad Thessalonic. esse illam epistolam 1. Cor. V, 9. laudatam. — Quando vero deperdita illa epistola scripta fuerit, non constat: poterat per Timotheum afferri, ut domestici Chloës nuncium referrent; et vero poterat, cum Paullus quatuor annos Corintho abfuisset, Timothei iter longe superare. —

*) In Variis Sacris T. II. p. 332-343. ad locum Polycarpi in epist. ad Philippenses C. 3. ubi de Paullo ille inquit: ὃς καὶ ἀπὼν ὑμῖν ἔγραψεν ἘΠΙΣΤΟΛΆΣ. At unica tantum in canone nostro exstat Paulli ad Philippenses epistola; nec plurium apud ullum antiquioris

male nonnulli eo detorquent, eum C. XIII. proprie adpendicem extremae epistolae adiunctam (postscriptum vulgo vocant) existimasse. Quamuis enim hac formula ille utitur, longe aliam tamen, ac nos quidem in hac commentatione expressimus, sententiam ei subiicit. Vera potius huius viri sententia haec est: Consuesse Veteres libros prolixiores in plura distribuere

---

aeui scriptorem mentio fit. Quid ergo est, quod Polycarpus ἐπιστολὰς Paulli ad Philipp. commemoret? Plerique h. l. admittunt enallagen numeri pluralis pro singulari, quae hac praesertim in re sit omnium temporum omniumque locorum. Sic Iustino domesticum est, epistolas dicere pro una epistola; eodemque sensu occurrit vox ἐπιστολαὶ apud Eusebium H. E. l. VI, c. 11. 43. id quod uniuersalis etiam loquendi consuetudo recentiorum populorum confirmat; ita enim nos in vernacula lingua dicere solemus: Ich habe Briefe von ** erhalten, etiamsi unam modo epistolam accepimus. Quem igitur explicandi modum etsi ego quidem praetulerim, neque tamen prorsus contemnenda videtur sententia Salmeronis, qui ad has ἐπιστολὰς a Polycarpo commemoratas etiam referri vult epistolas ad Thessalonicenses: hos enim, qui eandem Macedoniam cum Philippensibus incolerent, hisque proximi essent, suas quoque epistolas quam primum cum illis communicasse videri; itaque Polycarpum Philippenses suos haud inepte dicere ἐπιστολὰς a Paullo accepisse. — Sed Moynius has ἐπιστολὰς suo modo explicat de variis, duobus minimum, voluminibus s. χαρτίοις separatis, quibus epistola ad Philippenses sic diuisa fuisset, ut ab his una pro pluribus haberetur. At quot quaeso epistolis tum distribuenda fuisset maior aliqua

volumina, et a pluribus his εἰλήμασι libros ipsos dicere plures; itaque hanc posteriorem etiam epist. ad Corinthios a Paullo duobus digestam fuisse voluminibus s. χαρτίοις: quorum alterum, idque ultimum, unde possit adpendix epistolae illud dici, cum inciperet C. XIII, Apostolum ex more veterum recte dixisse: ΤΡΙΤΟΝ τοῦτο ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς; quamvis hoc

---

epistola Paulli (quod vero factum esse omnis antiquitas Christiana ignorat), si haec literae tam exiguae molis pluribus jam constitissent εἰλήμασι? Attamen opinionem suam exornare studet Moyne tam illo loco 2. Cor. XIII, 1. quam alio loco vexato Josephi Archaeol. l. X. c. 6. (al. c. 5.) de duobus libris Ezechielis de exilio (ex vulgari quidem interpretatione verborum: ὃς πρῶτος περὶ τούτων δύο βιβλία γράψας κατέλιπεν). Sunt scilicet, qui existiment, Ezechielem re vera duos libros singulares de exilio scripsisse. Quorum vero cum alter periisset, hinc esse, ut loca nonnulla ex libro Ezechielis excitata in scriptis Patrum legamus, quae frustra quaerantur in libro Ezechielis superstite; v. c. de vacca, quae peperit et non peperit apud Tertull. de carne Christi, Epiphan. haer. 30. n. 30 et Clem. Alex. Stromat. l. 7. Quoniam autem Ezechiel ille socius Ieremiae πρῶτος adpellatur, alium simul producunt Ezechielem, cognomine Tragoedum, qui, quamvis non commemoratur a Iosepho, ab aliis tamen Christianis scriptoribus v. c. Clem. Alexandr. Stromat l. I. et Euseb. praepar. euangel. l. 9. laudetur, nomine Tragoedi quidem accepto ab ipsius dramate Ἐξαγωγὴ inscripto, quo exitus Israelitarum ex Egypto ab illo celebratur, ad animos Iudaeorum post excidium Hierosolymorum longe lateque disperso-

caput indiuulso nexu cum praecedenti segmento cohaereat, nec de singulari aliqua epistola tertia cogitandnm sit. Haec enim viri verbasunt: „Sic forsan est etiam intelligendus locus epist. II. „ad Cor. C. XIII, 1. τρίτον τϰτο ἔρχομαι πρὸς „ὑμᾶς — — — Non quod iam bis ad illos srci„psisset, et tertiam tum scriberet epistolam; sed „quia hac secunda sat longa videretur, et quae

---

rum inter aerumnas erigendos, in iisque spem noui cuiusdam Mosis, libertatis eorum vindicis, excitandam atque alendam. Alii eidem tribuunt locum illum de vacca pariente et non pariente; at certe non occurrit in fragmento huius carminis adhuc superstite (in corp. poëtar. ab Henr. Stephano editorum cum vers. Morelli). Praeterea formula πρῶτος, si de Ezechiele quidem illa accipienda sit, non referenda est ad subiectum sed ad praedicatum, et plane eadem cum πρῶτον existimanda. — Quod autem ad deperditum, quem putant, alterum Ezechielis prophetae librum attinet, in tanta Iudaeorum fide et religione in libros sacros, praesertim post exilium, periisse illum verosimile non est. Videtur potius ille locus de vacca pariente et non pariente pertinere ad ista apophthegmata, sententias atque prouerbia, quorum magna pars in פרקי אבות continetur, ab ipsis forsan prophetis, Ieremia, Ezechiele, Daniele partim proposita, partim, cum audiuissent, comprobata, posterisque tradita. Atque ex his capitulis patrum et prophetarum multos flores decerpere solebant primi Christiani, quod demonstrant scripta Iustin. Mart. Clem. Alex. Tertull. Lactantii large iis conspersa. Itaque ab hac interpretum sedulitate lucis nihil accepit locus ille obscurus, nondum quippe solutis difficultatibus his: quisnam post Ezechielem de

„iam addit Apostolus pro tertia haberi possint,
„licet prioris sint tantum appendix et pars
„ultima." — At vero difficilem admodum esse
hanc hypothesin quisque facile intelligit. Plura enim eiusdem libri volumina nequeunt profecto hunc unum in plures conuertere. Cur Paullus v. c. non dicitur, quod prolixam illam epistolam ad Romanos scriberet, plures

---

exilio scripserit, et ubi sint duo libri Ezechielis de eodem argumento. Quarum quidem prior, ex vulgari loci interpretatione, qua formula πρῶτος ad Ezechielem referri iubetur, profecta nunquam sane expediri poterit; nam post exilium non poterat quisquam existere, qui illud praediceret. Posteriorem vero, priori plane praetermissa, Moynius ex sua hypothesi dissoluere studet modo hoc: grandem Ezechielis librum in duo volumina fuisse distributum; incipiente quippe a Cap. XL. nouo eoque sublimiori argumento. At ab hoc inde capite describitur templum, nequaquam vero βαβυλονία ἅιρεσις. Iosephus igitur alteram hanc Ezechielis partem non habere poterat pro secundo quodam libro de exilio; multo minus, pugna Iosephi, quem hoc capite male carpit Moyne, cum se ipso admittenda est, quod h. l. Ezechieli duo volumina tribuat, et c. Apion. l. I. tamen XXII. modo libros V. T. enarret. Nonne enim Iosephus duos hos libros (mea quidem sententia non Ezechieli sed Ieremiae tribuendos) aeque pro uno numerare poterat, ac duos libros Samuel. Reg. et Paralipom.? Melius vero (ut aliorum, recentiorum etiam interpretationes h. l. coactas et violentas praeteream) et egregie, ut solet, rem declarauit cl. Eichhorn (Repertor. Orient. P. I. p. 161 sqq.), formulam ὅς πρῶτος ad Ieremiam, cuius proxi-

ad eosdem exarasse? Nec ullibi epist. prior ad Corinthios plurium nomine venit. Quis quaeso est, qui, si literas aliquas scribat per plures plagulas diffusas, neque eas per partes mittat, plures se epistolas scripsisse affirmet? Cicero quidem ad Q. Fr. III, 1, 3. literas illius commemorat, quas tribus epistolis accepisset: sed Cicero intelligit per literas omnia

---

me mentionem fecerat Iosephus, referens τὰ δύο βιβλία de duobus voluminibus vaticiniorum Ieremiae ex recensione τῶν LXX intelligit. Haec enim versio LXX viralis veram et primitiuam textus indolem, si a nonnullis, quae turbatum foliorum ordinem produnt, discesseris, exhibere videtur; quamuis ipsa, cum uterque textus graecus aeque ac hebraeus, in singulis iisdem foliis turbatis mire consentiat, ex Palaestinensi aliquo exemplo facta sit: textus contra hebraici ratio vaticinia aduersus Iudaeos ex utroque libro coniungens Esdrae studio, meo quidem sensu, deberi videtur. Aliorum aliter sit iudicare! — Tota quidem haec disputatio, haud diffiteor, non proxime ad rem hoc libello propositam pertinet; atque verendum mihi est, ne in eandem cum Moynio, quem refutaturus haec scripsi, inuidiam adducar, quod alia quaeuis, ac instituti ratio postulet, hoc libello agam. Et sane praeteriissem haec omnia, nisi Moynii librum varia et copiosa doctrina refertum animaduertissem haud pauca continere, quae in explicando loco Iosephi hodie vel ignorari vel negligi saltem videantur, nec intellexissem, non facile aliam mihi iam alia omnia molienti oblatum iri occasionem, qua, quid de critica ratione vaticiniorum Ieremiae sentiam, exponere possim. Hanc

ea, quae Q. Fr. tribus epistolis ipsi scripserat, integrum epistolarum fasciculum, quem eodem die ab illo acceperat; fuerunt autem epistolae, quod ex omni contextu patet, et argumento et forma diuersae atque inuicem seiunctae, nec tria tantum εἰλήματα unius eiusdemque epistolae. Quomodo igitur Paullus, si vel maxime caput hoc ultimum in separatum aliquod χαρτίον coniecisset (quod vero idoneo argumento firmari nequit), cum ratione potuisset rem sic exprimere: tertia vice iam ad vos venio, qui tamen scribendo a Corinthiis nondum discessisset? Nam diuersum modo tempus scriptionis ac diuersa literarum initia plures demum epistolas constituere inter omnes constat. Neque Apostolus denique, ubi nouum χαρτίον, idque ex Moynii ipsius sententia secundum, nec tertium, coepisset, dicere potuisset: τρίτον, sed δεύτερον τοῦτο ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς. Referendam vero simul esse hanc formulam τρίτον ad priorem ep. ad Corinth., id non sine vi et orationi et Paulli adeo, ipsius ingenio illata a

---

igitur sententiam, cum ex diligentiori tum ipsius argumenti, tum aliorum de eo opinionum disquisitione sollicite et ab omni parte instituta nata sit ipsa, atque ab aliorum opinionibus, quae mihi quidem innotuerint, paullum recedat, uberioremque igitur et cogitandi et disserendi materiam viris doctis harum rerum peritis, quorum iudicium auide exspecto, suppeditare, queat, loco hoc, quamuis minus opportuno, breuiter expromere, quam omnem supprimere malui. —

Moynio affirmatur. Etenim mirum profecto esset, priorem ep. ad Corinth., quae longior esset posteriori, non aeque ac illam in plura εἰλήματα fuisse diuisam: neque sane poterat particula aliqua epistolae posterioris ab Apostolo pro parte prioris haberi. Felicius igitur Moynius exornaturus fuisset suam hypothesin, si formulam τρίτον τοῦτο retulisset ad tertium χαρτίον quoddam solius epistolae posterioris ad Corinthios. Quodsi vero omnem orationis contextum diligenter comparamus, facile animaduertimus, (quod infra certis argumentis efficere nos posse confidimus) hunc locum non de tertio quodam aduentu per literas, sed de tertia praesentia adspectabili intelligendum esse; et plane παράλληλον verbis C. XII, 14. ἰδοὺ τρίτον ἑτοίμως ἔχω ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς. Vel poterat Paullus duobus locis simul idem tertium epistolae εἴλημα inchoare?

§. IV.

De iusta difficultatum expediendarum ratione quaedam obseruantur generatim.

Missis igitur his aliorum opinionibus, iam dispiciamus ipsi, queantne difficultates illae §. 1. expositae, retenta quidem nec interrupta segmentorum epistolae serie continua, alio modo eoque meliori dissolui. Posse vero has difficultates, seruato e textu nostro arctissimo capitum inter se nexu, omnes sic satis expediri, omniaque, quae videantur, repugnantia amice inuicem conciliari penitus confido. Sed si vel maxime omnino solui ea non possent,

propterea tamen partes epistolae violenter divellere aut temere transferre nefas esset. Quis enim tanta se perspicacitate esse putet, ut in summa historiae illius temporis obscuritate omnem loci temporisque rationem epistolae adiunctam circumspiciat? Quis igitur confidenter enunciet, unde sit in iisdem literis varius ille Apostoli in Corinthios animus? Nonne Paullus inter scribendum nouos nuncios eosque ingratos de Corinthiis accipere poterat, qui maiorem in corrigendo et vituperando severitatem requirerent; unde finis epistolae hoc Apostoli animo ad vituperandum composito exaratus respondere plane non posset argumento primorum capitum ad animum Apostoli per laetos Titi nuncios exhilaratum atque in Corinthios bene affectum conformato? Quis est, qui, ubi non omnia in antiquis monimentis pateant, illico turbatum foliorum ordinem vel particulas male consertas suspicetur, spuriamque iudicet rem, cuius veram indolem ipse quidem cognitam non habeat? Quis quaeso, ut rem exemplo illustrem, si remouendis C. XVI. epist. ad Rom. difficultatibus imparem se sentiat, nec velit Semlerianam has expediendi rationem admittere, illico totam epistolam ad Rom. — scriptum illud maxime omnium ὁμολογούμενον — tamquam spuriam reiiciet? Hac enim coniecturarum criticarum audacia tenebras illas, quibus antiqua monimenta tecta videmus, non dispellimus, sed conspissamus. Eam profecto sacris literis religionem debemus, ut in tractandis illis, ne quid a nobis fiat temere aut cupide, sedulo caueamus. — Illa quidem ratio varium in hac epistola Apostoli

in Corinthios animum conciliandi, quam, paulo ante tradidi, mihi ipsi non arridet; nam notasset sane Apostolus in extremis his literis subitaneam, si qua acciderit, ecclesiae Corinthiacae conuersionem, atque tristis nuncii allati, velut in epistola priori, mentionem iniecisset ipse: at nihil horum in his capitibus reperimus. — Possemus vero etiam eamdem rem, si in eo, quod fieri possit, vires ingenii exercere vellemus, modo explicare hoc: Apostolum, dum haec scriberet, vel grauiores aliunde nuncios accepisse, qui eum contristarent atque commouerent vehemetius; vel alia ei in Macedonia tum commoranti accidisse aduersa, quae ipsum adeo officerent, ut durius etiam atque asperius scriberet. Quoties enim id nobis accidit, ut, si quid ingrati nobis euenerit, austeriores erga alios fiamus ipsi, atque oratione utamur, nec opinantes, asperiori vel in eos, qui nihil peccarint, animaduertamusque in vitia aliorum, quae alio tempore plane praeterissemus, iusto seuerius? —

Sed his artificiis omnibus, quae quidem sufficerent, si alia ratio non suppeteret, carere facile possumus ad declarandum animum Apostoli varium mox leniorem mox acerbiorem, modo attentiori mente atque uno tenore argumentum epistolae perlegamus, varium in quouis segmento animi Apostoli habitum, variumque, quod in eo secutus ille, fuerit, consilium penitius indagemus, atque uniuersam denique meditationis consecutionem ad intimos usque mentis Paulinae recessus studiose persequamur. Verum experta est hucusque sacra scriptura

tristem illam sortem, ut pauci admodum Lockii, diligentes et prudentes humanae mentis inuestigatores ad interpretationem illius accederent; plurimique contra, quos nacta esset, interpretes de perscrutandis sollicite auctorum sacrorum animis haud cogitarent, sed solas opiniones vel syllabas aucuparentur. — Quodsi vero non hebetiori aliquo aut tardiori sensu ad scripta Paulli accedamus, nec Apostolum ipsum fingamus natura frigidum, tardum, languentem, sed talem, qualem eum scripta eiusdem omnia clare demonstrant, virum scilicet ingenii acris et feruidi, quouis sensu, grato vel ingrato, vehementer commotum, atque incredibili et virtutis et doctrinae Christianae promovendae studio nullo non tempore totum conflagrantem; et in interpretandis eiusdem epistolis, quid nobis, nisi sensu acriori a natura destituti simus ipsi, in literis ad familiares potissimum exarandis accidat, diligentius attendamus, quibus nempe modis ab uno argumento ad alteram transeamus, quasque vicissitudines sensus animi, ex eoque ipsum dicendi genus vel inter scribendum subire soleat — si hac mente, inquam, hocque sensu posteriorem epistolam ad Corinth. adeamus, atque difficultates §. 1. propositas ad constantes has mentis humanae leges curatius examinemus; dici vix potest, quam cito, quamque facile nubeculae illae dissipentur omnes. —

Quod enim ad primum dubium attinet, Apostolum in ultimis his capitibus cum seueritate et acerbitate pronunciare in Corinthios, cum prioribus contra segmentis oratione uta-

tur leniori ac blandiori, ut adeo posterioris partis argumentum aptius ad priorem quam ad posteriorem epist. ad Corinthios pertinere videatur, generatim dicendum erit hoc: Ineptius sane egisse Apostolum, si in eodem dicendi modo per uniuersam epistolam haesisset. Nonne recte a Corinthiis facta ipsi laudanda, praui contra illorum mores vituperandi et corrigendi erant? Quemadmodum enim nulla unquam exstitit societas, quae nihil omnino, quod reprehensione dignum esset, admitteret; ita et illa aetas in ecclesia Corinthiaca homines tulit variae indolis, alios digna laude in pietatis studio confirmandos, alios iusta vituperatione ad illud reducendos. Pro hac igitur ratione membrorum ecclesiae varia varium etiam dicendi genus ab Apostolo, ut omnibus prodesset, adhibendum erat. — Audiamus hac de re Semlerum Vir. Ven. ipsum (paraphr. not. 289): „Hic autem quaerere licet — inquit — „quomodo ista conueniant cum istis, quae a „Tito narrabat se audiisse C. VIII, atque Co„rinthios mirum in modum ideo laudabat? „Nempe ibi agitur de illis, qui redierant ad „bonam frugem; hic vero de quibusdam aliis, „qui adhuc quasi exspectabant, seiuncti inter„ea a partibus Pauli; hi poterant eo sen„sim delabi, ut putarent, si maxime Pau„lus ipse veniat, tamen eum nihil prae„terea ausurum, vanas minas istas fore. Sal„tim isti Iudaizantes s. Palaestinenscs faci„le poterant sermonibus scaeuis istam leui„tatem pervertere et in contemtum addu„cere.“ — His autem generatim obseruatis accedamus iam ad accuratiorem explica-

tionem eorum, quae in his literis invicem pugnare videantur.

§. V.

Status ecclesiae Corinthiacae narratur.

Quod negotium quo procedat felicius, inquiramus ante omnia, quantum quidem ex ipso epistolae argumento id intelligere liceat, in uniuersum statum et conditionem internam ecclesiae Corinthiacae, eo certe tempore, quo Paullus has ipsas literas ad illam conscriberet. — Acceperat vero Apostolus a Tito haec: Plurimos Corinthios a partibus ipsius stare omnique eundem pietate colere (C. VII, 6 - 7): quaeque prioribus literis animo intendisset, ea omnia etiam ex animi sententia in ecclesia Corinthiaca vere per illas effecta fuisse: quaeue in iis v. c. de incestuoso puniendo praecepisset, a Corinthiis fideliter peracta (C. VII, 8 - 12); hos denique de stipe pro Palaestinensibus colligenda admodum esse sollicitos (C. VIII, 10. IX, 2.). Hactenus nuncius allatus erat laetissimus, qui Apostolum permoueret, ut, (quod maximam partem argumenti IX priorum epistolae capitum occupat) tum animum Corinthiorum per priores literas, acriores illas atque seueriores, vehementer compunctum, quem vero ad quaeuis officiorum genera paratum atque ad obsequendum alacrem nunc cognouisset, et debitis laudibus iis ex animo concedendis, et insigni suo ipsius in illos studio testificando reficeret; tum explorata iam eorum obedientia et prolixa in se voluntate lenitatem iis, in incestuosum, qui ad meliorem

frugem rediisset, commendaret ipse; tum denique confirmanda eorum in se pietate illos ad aduentum suum rite praepararet atque ad promouendam stipem acriter eosdem excitaret. Sed attulit Titus alium quoque nuncium, eumque tristiorem hunc: Adesse adhuc Corinthi hostes Apostoli, doctores fallaces et mendaces *), qui disciplinae Christianae dignitatem

---

*) Fuisse vero Corinthi non unum quendam, (quae est Grotii et Lockii opinio), sed plures, qui Paullum in inuidiam adducerent, factiones Apostolo aduersas alerent, atque dogmata puriori doctrinae Christianae contraria spargerent, luculentissime demonstrant loca C. X, 2. 12. XI, 5 12-15. 18. 22-23. rel. Neque contra locis C. X, 7. 10. 11. XI, 4. satis firmum inest praesidium contrariae opinionis, unum modo exstitisse ducem totius gregis. Nam de formula τις vix est, quod moneam, ea non semper rem singularem definiri, sed uniuerse tantum significari. Neque rectius verbum φησὶ v. 10. unum demonstrare existimatur: nam, ut taceam hanc formulam h. l. dici posse ellipticam, omissa quippe vocula τις, quae pro nonnullis admodum frequens est, Graecos τῷ φησὶ, aeque ac Latinos verbo Inquit (Man sagt) uti de omnibus personis et utroque numero constat. Multo minus formulae τοιοῦτος v. 14. vis aliqua inesse censenda est, cum potius, si unus esset demonstrandus, voce οὗτος ab Apostolo significandus ille fuisset. Nec denique usu numeri singularis in voce ἐρχόμενος C. XI, 4. quicquam in contrariam partem effici potest: pari enim ratione Gal. V, 10. occurrit ταράσσων pro plur. ταράσσοντες, quibus respondet ἀναστατοῦντες v. 12. Nam collectiue poni verba singularia in omni sermone familiari perpetuum

quouis modo labefactare studerent, religiones contra Iudaicas mirum in modum extollerent; quapropter iidem ab Apostolo dicuntur ἐπαιρῦντες ὕψωμα (ὀχυρώματα) κατὰ τῆς γνώσεως τῦ Θεῦ — καθαιρῦντες λογισμὺς (νοήματα) εἰς τὴν ὑπακοὴν τῦ χριςῦ (C. X, 4. 5.) et ὑπερλίαν ἀπόςολοι — ψευδαπόςολοι, ἐργάται δόλιοι, μετασχηματιζόμενοι εἰς ἀποςόλυς χριςῦ (C. XI, 5. 13.): et vero etiam Paulli ipsius existimationem atque Apostolicam auctoritatem imminuerent, maleuolentissimisque obtrectationibus, eum speciem modo pietatis praebere, at animi esse quaestus faciendi cupidissimi, inuidi, arrogantis, in absentes quidem turgidi, sed in praesentes demissi et imbecills, nomini illius labem adspergerent. Ad hos igitur obtrectatores Apostolus tum in defensione sui ipsius (coram enim caussam tueri pudor prohibebat), tum praesertim C. II, 14 — VII, 1., in vindiciis praestantiae doctrinae atque disciplinae Christianae, munerisque adeo apostolici prae uniuersa oeconomia V. T. per integram hanc epistolam, nec solum in ultima illius parte, respicit: in priori quidem parte, ex iustis quibusdam caussis infra exponendis, paullo tectius; in posteriori

---

est. Nec video, si Paullus unum tantum hominem cogitasset, cur eundem postea in plurali numero significauerit. Ne ille animo compungeretur nimium vel exacerbaretur? Attamen sing. num. semel iterumque eum digito monstrauit Apostolus Atque indulgendum eius modi furfuris hominibus prorsus non esse, pluribus sane locis Apostolus et diserte praecipit et suo ipse exemplo abunde demonstrat. —

vero apertius. Id quod perspicue docent loca epistolae haec: I, 12. 13. 17. 23. 24. II, 1. 3-5. 11. 17. III, 1 sqq. IV, 2-5. V, 12, VII, 2. X, 2. 4-6. 10-11. XI, 3-5. 7-20. — Horum vero laruatorum Iudaeorum nefandis obtrectationibus, simulata pietate, atque opinionibus puriori doctrinae Christianae contrariis abripi se ad tempus saltem patiebantur Corinthiorum haud pauci, qui iustum animi robur ad seruandam doctrinam atque virtutem Christianam nondum consecuti erant. Quo factum, ut, quamuis Paullum integerrime diligerent, atque μετὰ φόβȣ καὶ τρόμȣ eius iussa exciperent, istis tamen Apostoli eiusque doctrinae hostibus, Paullo ipso vel illius legatis absentibus, imprudenter cederent, impiisque illorum clamoribus atque calumniis concuti, sensimque ab obedientia Apostolo debita prae metu, inuiti licet, abduci se paterentur, ipsisque his improbis hominibus aures patientes praeberent (C. XI, 20.), donec tandem per legatos in obsequio Apostolo praestando denuo confirmarentur. Itaque semper eorum animus, cui firmitas deerat, dubius ac incertus haesit Iudaeorum clamores inter atque monita Apostoli; inclinauitque mox ad hanc, mox ad illam partem, non quidem ex odio Paulli, quem valde amabant, sed ex metu errandi in doctrina salutari, atque adeo aberrandi a futura salute, perterriti quippe improborum hominum calumniis, non posse non ipsos susceptis religionibus Paulli aeterna subire supplicia. Sic conciliandа videntur loca ipsius partis prioris C. VI, 12. 13. cum C. VII, 7. Quoniam procliuis erat Corinthiorum animus ad Paullum, eius-

que doctrinam, praecepta atque legationes magnopere reuerebantur, iustis laudibus prolixam eorum erga se voluntatem Apostolus celebrat (VII, 7.): at, cum illi animo adhuc fluctuarentur, concuti facile poterant pia eorum studia: proni quidem erant ad doctrinam Paulli totos se conformare, neque tamen apud laruatos illos Iudaeos, quorum impia molimina adhuc ignorarent, in offensionem incurrere sustinebant. Erant igitur studia eorum diuisa; quare Apostolus dolet se ἧττον ἀγαπᾶσθαι XII, 15. atque ςενοχωρεῖσθαι ἐν τοῖς σπλάγχνοις αὐτῶν VI, 12, optatque v. 13. πλατυνθῆναι αὐτὰς, ut totam eorum animum occupare ipse possit. Quibus alia adhuc vitia ecclesiae Corinthiacae accesserunt: alii aliis χαρίσματα maiora inuidebant, alii alios damnabant, unde exstiterunt frequentes illae et acerrimae lites, odia immania, tristia partium diuortia (C. XII, 20.); praeterea inhaesit Corinthiis corruptiorum morum ex pristina superstitione consuetudo *) (XII, 21.); immodicus cum primis voluptatum venerearum usus, ad quem Apostolus iam C. VI, 14-16. et VII, 1. respicit. — Pro varia itaque Corinthiorum indole variam quoque eos emendandi viam Apostolus ingreditur. Ante omnia praestantiam nouae oeconomiae sacrae prae veteri, huius abrogationem, et dignitatem

---

*) Conueniunt haec cum iis, quae de corruptis Corinthiorum moribus vitiisque grauissimis tradiderunt alii, Aelianus Hist. Var. l. I. c. 19. L. III, c. 15. Strabo l. II, c. 16. et Aristides in Isthm. ad Neptun.

muneris apostolici multis rationibus firmare studet tum C. II-VI. tum C. X. XII. XIII. passim. Calumnias hostium vero mox serio quidem, at placide refellit, velut C. I. II. VI. VII. XI, 10-12; mox acerbius, oratione sale mimico perspersa, ut obtrectationum et vanitatem et atrocitatem sentirent Corinthii, modo meminerint, quamnam viuendi rationem inter eos seruasset, v. c. XI, 7-9. 14-23. XII, 13-19. Sed scelera et turbas Corinthi exortas seuere et acriter perstringit C. XIII. Prouti igitur res ipsa, quae animo obuersaretur, postularet, Apostolus mox laudat, mox vituperat; mox grauiter dehortatur; mox acriter minatur; mox suaui sensu adficitur, mox dolore corripitur; mox crimina salse perstringit, mox seuere et acerbe scelera exagitat. Itaque Paullus, non secus ac alius quisque vir bonus et sapiens, quouis sensus, grati vel ingrati, genere in his literis perfunditur, atque ab uno ad alterum defertur: sensu mali aeque grauiter afficitur, ac sensu boni honesti, pulcri suauiter mulcetur. Eadem ratio esse videtur, quando Apostolus ad diuersum, nec raro oppositum, dicendi genus, subito transit. Seueras saepius sententias salsae proxime sequuntur; ubi scilicet eadem res eodem tempore alia ex parte menti obiiciebatur, ut vel risum vel indignationem moueret: sic ironiam C. XI, 7-8. sequuntur seria a medio v. 8. (καὶ παρὼν πρὸς ὑμᾶς rel.) usque ad v. 13; sed a v. 14. inde redit satira. —

§. VI.

Prima difficultas soluitur.

His igitur ex historia Corinthiorum et argumento huius epistolae praemissis facilis iam erit solutio omnium ac singulorum dubiorum, quibus nexus ultimorum capitum cum praecedentibus primo quidem obtutu premi videtur. — Conuenit quidem haec posterior pars cum argumento prioris epistolae, inprimis C. IV, 21. et C. Vto; sed aeque conuenit cum statu ecclesiae Corinthiacae, qui eo tempore obtinuit, quo Apostolus posteriores has literas conscriberet. Aderant adhuc doctores fallaces et calumniatores Paulli, quorum minis atque obtrectationibus Corinthiorum haud pauci animo perturbarentur: serpebant scelera permulta, quae Corinthii molli et luxuriosae vitae ex auita superstitione, quam vix deseruerant, adsueti non tanti facere solebant. Nonne haec omnia eiusmodi erant, ut iustam Corinthios vituperandi caussam Apostolo suppeditare possent? — „At non respondet haec posterior pars argu„mento IX. priorum capitum?“ Respondet omnino. Notauimus iam supra ex priori epistolae parte loca nonnulla, quibus Paullus calumnias doctorum illorum fallacium haud obscure innuit v. c. II, 11. 17. III, 1. Nec desunt in priori illa parte loca alia, quibus Apostolus, etsi paullo tectius, ipsam Corinthiorum constantiam, imbecillitatem, atque scelestam adeo nonnullorum viuendi rationem reprehendat: sic conqueritur iam C. VI, 12. 13. animum eorum sibi non aeque late patere, ac ipsis suum, quae igitur sententia

prorsus eadem est cum illa C. XII, 15. εἰ καὶ περισσοτέρως ὑμᾶς ἀγαπῶ, ἧττον ἀγαπῶμαι; C. VII, 2 - 3. tecte carpit calumnias illas, se in doctrina Christiana Corinthi disseminanda suis in primis commodis prospexisse; et C. VII, 1. attingit pravam illam ex pristina viuendi ratione adhuc superstitem corruptiorum morum consuetudinem: qui vero reprehensionis locus tam amplus tamque varius quomodo conciliandus sit cum C. VII, 7., supra iam vidimus. Idem igitur vituperationis genus obseruamus in utraque parte occupatum. — „At leniter ac tecte „hunc locum Apostolus persequitur in parte „priori, cum in posteriori contra parte vel iro„nica sit vel seuera atque acerba oratio?“ Efflagitauit vero hanc rationem modumque ipsum Apostoli consilium his literis et corrigendi Corinthios, et commendandi iis munerum pro Palaestinensibus colligendorum largitatem. Suis enim rationibus nisi Apostolus deesse vellet ipse, laudandus omnino erat bonus eorum in ipsum animus: nam nisi laudando eos atque amice adhortando non facile poterat et precibus et reprehensionibus aditus ad animos illorum parari. Atqui ex argumento C. VIII. et IX. facile est ad intelligendum, leuationem miseriae Palaestinensium adferendam Apostolo curae admodum cordique fuisse; tot tantisque enim argumentis utitur ad persuadendum, ut Corinthii, nisi animus eorum prorsus occalluerit, precibus ipsius non possent non concedere, largissimamque stipem undequaque colligere. Quo modo autem Apostolus, qui literas hoc postulando auspicari nollet, potuisset commode satis ad eamdem transire, si ab initio statim

Corinthios vehementius obiurgasset? Liberum enim fuit Corinthiis, utrum omnino quidquam, et quantum conferre vellent. Itaque emolliendi erant eorum animi atque exhilarandi prius, quam ad liberalitatem excitabantur; honestis laudibus suae ipsius bonae existimationis, atque propositis liberalitatis praemiis prosperae aliorum fortunae studium inflammandum. Et profecto suis laudibus nequaquam defraudandi erant Corinthii. Titus enim Apostolo bonam Corinthiorum indolem tantopere confirmauit, ut ille, si eos reprehendisset modo nec ullam iis laudem concessisset, qui vehementer tamen ipsum diligerent, inique admodum in illos egisse censendus esset, atque iustam nimiae seueritatis atque acerbitatis notam, quae tum quidem ab hostibus iniuste ipsi inureretur, vix effugeret. Quas igitur calumnias quo melius contunderet, Corinthiis non modo suum in illos amorem testificari, sed dignas quoque laudes iisdem impertire debebat, cum res suas omnino ita egissent, ut de iis gratulari sibi posset Apostolus C. VII, 11. VIII, 7. IX, 2-4, alibi. Quare una haec quaestio incidit, quo ordine laudes ac reprehensiones collocandae fuerint? Atque laudando expeditiorem profecto viam Apostolus sibi parare poterat ad animos eorum, quos ad opem aliis ferendam flectere cupiebat, quam vituperando, unde ad hanc postulationem transeundi nulla sane opportunitas adparet. Etenim si alios, ubi laudandi fuerint, collaudauerimus, eoque nostram in iudicando aequitatem iisdem probauerimus; tum demum facilis erit via ad eorum animos penetrandi, ipsique, nisi iusto magnificentius

de se sentiant, reprehendendo etiam a nobis corrigi se patientur lubentissime. Quo altius igitur Apostoli et postulatio et reprehensio in Corinthiorum animos descenderet, atque quo minus ipsi contra exacerbarentur, sed ad veram potius vitae morumque emendationem excitarentur acrius, praemittenda omnino erat, instar captationis beuequolentiae, iusta et cum laude coniuncta recte ab illis factorum aestimatio. Egregie itaque Apostolus rebus suis consuluit apta argumenti dispositione hac, ut a laudibus Corinthiis impertiendis literas inchoaret, atque, ubi vituperatio inter laudandum sponte occurreret, eam vel tegeret vel emolliret; integrum contra vituperandi locum sub finem epistolae demum persequeretur copiosius. —

„At Paullus vituperat C. XII, 21. mollem „et scelestam Corinthiorum vitam aeque ac 1. „Cor. V, 9-13, et pronunciat eos μὴ μετανο-„ήσαντας esse, nec ipsius epistolas reueritos, „sed flagitiis potius sic perseuerantes, quasi „ipsius seueritatem experiri velint: cum C. „VII. contra Apostolus unius tantum πράγματος „mentionem faciat, ac reliquos Corinthios ἁγ-„νὰς ἐν τῷ πράγματι declaret v. 11, eosque om-„nino egregiis adeo laudibus exornet v. 7-„16.“ — Largior quidem, loca 1. Cor. V, 9-13. et 2. Cor. XII, 21. argumento inuicem conspirare. Sed quis, repugnante constanti rerum humanarum experientia, sibi persuadeat, breui illo temporis interuallo, quo duae hae epistolae inuicem distarent, ecclesiam Corin-

thiácam ab omni labe sic purgari potuisse, ut nihil nisi laude digna de illa comperiret Apostolus? Emendatio ecclesiae cuiuscunque generatim diiudicanda est; eaque omnino laudem meretur, modo plerique sodales — quis enim omnes bonos fore putet? — bene sentire, recteque facere laborent. Neque cum his pugnat argumentum C. VII. Ibi enim sermo incidit in famosum illum hominem incestuosum, atque unicum illud πρᾶγμα. Itaque res ipsa tulit, ut Apostolus, cum illud ἐν πρᾶγμα attingeret, reliquos Corinthios insontes laudaret; ad hoc enim facinus laudes Corinthiorum v. 7-16. recensitae unice referendae videntur. Corinthii nempe, minis Apostoli perterriti, omnem dederant operam, ut voluntati ipsius satisfieret, atque remoto illo scandalo placaretur irritatus eiusdem animus. Laudat igitur Apostolus hunc ζῆλον, quo ii se praestitissent ἁγνοὺς ἐν τῷ πράγματι — turpi scilicet hominis illius incestu. Sed eorum haud pauci, quamuis essent ἁγνοὶ ἐν τούτῳ πράγματι, multis tamen alius generis flagitiis commaculati esse poterant. Diserte enim Apostolus eos declarat ἁγνοὺς ἐν ΤΩ͂Ι πράγματι, nequaquam vero ἁγνοὺς omnino: laudat eos propter ζῆλον hac in re praestitum, non laudat omnino. Quo iure igitur locus C. XII, 21. cum argumento C. VII. in pugna esse dici possit, equidem non intelligo: ex supra dictis potius cognoscimus, locum illum C. XII, 21. perfecte respondere argumento C. VI, 14-16. et VII, 1. eo tantum discrimine, ut, quae in parte priori huius epistolae ex idoneis caussis supra * expositis tectius significentur, ea in parte posteriori Aposto-

lus bono cum consilio et apertius et copiosius exponat.

Eodem plane modo diiudicanda est obiectio haec: „Paullum ad Corinthios scribere C. „VII, 16: ἐν παντὶ θαῤῥῶ ἐν ὑμῖν; sed C. XII, 20: „φοβοῦμαι γὰρ, μήπως ἐλθὼν, οὐχ οἵους θέλω, εὕρω „ὑμᾶς, κἀγὼ εὑρεθῶ ὑμῖν, οἷον οὐ θέλετε, pari sen„tentiarum ratione ac 1. Cor. II, 8: atque ni„mium differre omnino reprehendendi modum, „seueriorem eum atque acerbiorem, per inte„gram posteriorem partem, praesertim C. XIII, „dominantem a leniori illo ac mitiori C. VI. „et VII.“ — Sed, modo verum locorum C. VII, 16, et XII, 20 sensum rite teneamus, neque haec dubia morari nos possunt. Sensum vero loci C. VII, 16 omne contextum demonstrat hunc: „Quod vestro in me amore tant„opere acquiescere possim, vehementer laetor. „Hunc enim obsequio mandatis meis prolixe „praestito Tito meo sic probastis, ut humani„tatem vestram mente recolere sine intimo ani„mi adfectu plane non possit. Confido igitur, „fore ut animo hoc in me optimo esse perga„tis. — Gaudet igitur Apostolus h. l. bonam animi Corinthiorum indolem: at non bonum quemque animum illico pro forti et constanti habendum esse inter omnes constat. Quare Corinthii, quamuis Paullo optime cuperent, magna tamen animi imbecillitate laborare atque in rebus diuinis huc illuc impelli poterant: neque repugnat id, indulsisse adeo nonnullos variis flagitiorum generibus, quibus e pristina vitae ratione adsueuissent. Paullus enim h. l.

de Corinthiis loquitur universe, et quidem de bona animi eorum indole, prolixa praesertim in se voluntate; cuius sensu cum percelleretur vehementius, quae esset feruidioris ingenii sui ratio, et defixis quasi oculis in eadem haereret, in haec tandem verba erupit: χαίρω, ὅτι ἐν παντὶ θαῤῥῶ ἐν ὑμῖν. — Sed C. XII, 20. Apostolus totus est in exagitandis Corinthiorum vitiis. Quae cum oppositum prorsus sensum, doloris quippe et indignationis, in animo Apostoli magis magisque excitarent, ipsa oratio non poterat non ingratis his animi motibus esse accommodata. Attamen verba magis videntur esse dehortantis et admonentis, quam vituperantis et diffidentis; his enim Apostolus Corinthios suos, eorum in se amore fretus, adducturus est, ut ecclesiam vitiis omnibus sedulo expurgent ante, quam adueniat ipse. Itaque hoc φοβοῦμαι C. XII. illi θαῤῥῶ C. VII. conuenire magis quam repugnare videtur: quis enim in epistolis familiaribus, in quibus sensus animi, quo quaeque dicantur, potissimum attendendus est, singula verba premat? — Locus 1. Cor. II, 3. autem de alia prorsus re agit: significat nempe Apostolus, „se tot calamitati„bus in Macedonia iam conflictatum, tantisque „impedimentis Euangelio obiectis, cum Corin„thi aduenisset, animo sic fractum fuisse, ut „illa in dicendo confidentia, qua Sophistae „solerent, haud uteretur, sed modeste ac ti„mide diceret, nec variis verborum luminibus „orationem distingueret, sed doctrinam coe„lestem simpliciter exponeret." — Quod vero ad modum dehortandi et reprehendendi omnino attinet, ille non poterat non in ulti-

mis capp. plurimum differre ab eo, quo Apostolus in prioribus usus erat. In hac enim parte posteriori Apostolus, quod iam supra monuimus, ea vitia aperte perstringere instituit, quae in priori parte tecte modo notauerat, tum quod in laudandis Corinthiorum virtutibus haerebat, tum ne postulationis atque reprehensionis vim ad animos eorum ipse infringeret. Nouimus autem egregium illum animi candorem aeque ac feruorem Apostoli in singulis ipsius scriptis satis conspicuum, quo aeque prolixe in laudem virtutis, ubicunque eam animaduerteret, egredi, ac seuere et acriter quaeuis animi vitia exagitare solebat. Quare, cum in priori parte epistolae virtutes Corinthiorum, quas Titus prolixe praedicasset, menti Apostoli obuersarentur, non poterat non amor erga Corinthios in ipsius animo vehementer excitari, hocque vel inter scribendum, istis quippe virtutibus cogitatione magis magisque persequendis, mire aucto ipsa Corinthiorum celebratio fieri solemnior. At in posteriori parte Apostolus transiit ad vitiorum ecclesiae Corinthiacae, quae Titus idemtidem ipsi attulerat, notationem. Iam contristabatur animus, nec ipse poterat, siue factionis varias ex dubio ac suspenso Corinthiorum animo ortas, siue grauiora scelera inter illos adhuc frequentia cogitaret, sine vehementiori animi adfectu tristem hanc ecclesiae, alioquin bonae indolis, faciem intueri; atque debebat sane, quo diutius in notandis his ecclesiae vitiis haereret, eo acriori illorum sensu percelli. Nonnunquam quidem, quando in miseras calumnias hostium ac imbecillitatem Corinthiorum, quam vero alacritas ingenii sub-

inde exaggerasse videtur, inciderat, a sale orationi inspergendo sibi temperare non potuit; nam in impudentes criminationes difficile est satiram non scribere: at satirica haec oratio non videtur nata esse ex mero lusu ingenii, sed ex acerbiori, quo iam percitus esset, sensu animi. Quamobrem satira tandem abiit in orationem seueram et aculeatam: nam maculosa illa ecclesiae species, quo diutius menti Apostoli obuersabatur, eo tetrior ei adparebat. Etenim, cum Corinthii se tantopere ipsi probassent, vitia quaelibet, etiamsi leuissima essent, eundem magis offenderunt in hac ecclesia, quam in ulla alia, quae tanta virtute non excelleret: nam pro singulari, quo Corinthios amplectebatur, amore omnem labem ab iis voluit abstersam. Hinc mox graviter sed blande, mox per satiram, mox severe eos corrigere studet. Hoc enim nobis omnibus accidere solet in literis ad familiares, parentum praesertim ad liberos, ut, si eorum virtutes attingamus, harum suauissimo sensu perfusi exquisitissimis easdem laudibus celebremus; sed, ubi in vitia eorum inciderimus, in eadem epistola seuere, immo acerbe haud raro eosdem vituperemus. Sic eadem epistola, quae suauissimis verbis inceperat, per varios gradus humani sensus cum summa reprehensionis seueritate et acerbitate facile finiri potest. — Itaque modo ad nostros mores curatius attendamus, nec Apostolo humanos sensus atque natiuum ingenii feruorem iniuste denegemus, nihil omnino in poster. epist. ad Corinth. nos offendet. Constans quidem dicendi genus in his literis Apostolus non seruat, at non secus, ac alius quisque, cui sen-

sus animi adhuc integer est, sibi dissimilis esse solet in epistola ad familiarem, qui nec omnino laudandus, nec omnino vituperandus est. —

§. VII.

Altera difficultas tollitur.

Altera difficultas haec est: Paullum C. XII, 16-17. commemorare accusationem, se tecte ac dolose Corinthios expilasse; cum tamen nihil adhuc a Corinthiis paratum fuisset (C. VIII, 11. IX, 2. 4-5.): Illud porro παρακαλεῖν (C. XII, 18.) eamdem adhortationem eamdemque legationem significare videri, si phrasin spectes, ac παράκλησιν illam C. VIII, 17. 18; tum vero pecunias demum a Tito colligendas fuisse, unde igitur in eadem iam epistola a Tito ad illos adhuc adferenda criminationis fraudum, quae nondum existere potuerint, mentio fiat, non intelligi; neque vero locum XII, 18. accipi posse de primo itinere Titi, tum ob simillimas loquendi formulas VIII. 17-18. de secundo nonnisi itinere Titi intelligendas, tum ob largas illas Corinthiorum laudes C. VII, 7-16, quas Apostolus iis concedere non potuisset, si ante hanc posteriorem epistolam atroces huius modi calumnias sparsissent. — Enimuero neque hoc argumentum extimescendum adeo nobis videtur. Primum teneamus hoc: Certum nullum in hac epistola inesse vestigium, unde adpareat, in ipsa Corinthiaca ecclesia a Paullo plantata fuisse, qui has criminationes in ipsum effutirent. Quare nec seuere has obtrectationes Corinthiis exprobrat Apostolus, sed

sale potius satirico eas perstringendo earum leuitatem et apertam falsitatem clare demonstrat. Calumniae potius erant, quod ex C. XI, 12 - 15. satis adparet, Pseudapostolorum, eorumque, uti videtur, extraneorum quorundam Iudaeorum laruatorum, hostium illorum Paulli acerrimorum, qui inter alia hoc etiam Apostolo vitio dare solebant: eum suo lucro magis quam saluti ecclesiae prospicere, atque amorem, quo in Corinthios adfectum se simulet, non esse sincerum, sed lucri ab illis percipiendi spe fictum (XI, 10 - 12); eodemque intendere ipsius legatos, de rebus suis liberalitate eorum resarciendis magis, quam de puriori doctrina in ecclesia Corinthiaca pandenda sollicitos; idemque esse, quod, quo maior pecuniae vis ad se ipsum redeat, per speciem misericordiae exercendae stipem colligendam impense adeo Corinthiis commendet (C. XII, 16). Graues omnino calumniae, quae, si ullam veri speciem prae se tulissent, multorum sane animos a Paullo auertere potuissent! Sed ipsa Apostoli eiusque legatorum vitae ratio, mores, ac instituta has criminationes omnes satis superque confutarunt. Paullus igitur Corinthiorum animos aduertere studet in solum id, quod experientia didicissent cum de ipso C. XI, 7 - 10. XII, 13 - 15. tum de Tito C. XII, 18. tum denique de illis calumniatoribus C. XI, 20. Atque, cum calumniae huius atrocitas leui attentione cuiuis facile adpareret, Paullus profecto melius se purgare, hostilia illa in semet ipsum atque ecclesiam Corinthiacam consilia apertius declarare, atque obtrectatores magis detestabiles reddere non potuis-

set, nisi quod eorum calumnias risui nunc exponeret: tam atroces enim et manifestae criminationes irrisione, non graui et seria confutatione dignae censendae sunt. Quoniam autem Corinthii (certum saltem argumentum in contrariam sententiam exstat nullum) ab his calumniis, quas quidem Pseudapostoli in primo Titi itinere iam sparsisse videntur, insontes fuerunt, qua certe ratione fieri potuerit, intelligimus, ut Apostolus, quamuis Corinthi atrocissimis sane calumniis exagitaretur, nihilo tamen secius Corinthios ipsos, C. VII. tam egregie collaudaret. — Locus vero C. XII, 16-17. non tam ad pecunias pro Palaestinensibus colligendas, quam ad stipendia legatis Apostoli data referendus esse videtur. Id quod colligimus tum ex proxime antecedentibns vv. 13-15, quibus Apostolus affirmat, recusasse se omnes sumtus commodiori vitae suae ab ecclesiis impendendos, addita ingeniosa ratione hac: ὐ γὰρ ζητῶ τὰ ὑμῶν, ἀλλ' ὑμᾶς. ὐ γὰρ ὀφείλει τὰ τέκνα τοῖς γονεῦσι θησαυρίζειν, ἀλλ' οἱ γονεῖς τοῖς τέκνοις; tum ex proxime subsequenti v. 18, ubi Paullus de Tito inquit: μήτι ἐπλεονέκτησεν ὑμᾶς Τίτος; ὐ τῷ αὐτῷ πνεύματι περιεπατήσαμεν; ὐ τοῖς αὐτοῖς ἴχνεσι; sed Paullus Corinthi eleemosynas nullas adhuc collegerat; nec itaque Titus in fide in colligendis iis praestanda vestigia Apostoli premere poterat: at sane poterat cum reliquis legatis leges — μὴ καταναρκῆσαι τῶν Κορινθίων — ἥδιςα δαπανῆσαι, καὶ ἐκδαπανηθῆναι ὑπὲρ τῶν ψυχῶν αὐτῶν (v. 14. 15.) — quas, ne suppeditando stipendio quodam Corinthiis molestus fieret, Apostolus sibi scripserat, easdem sancte seruare

ipse. Itaque sensum vv. 16-18. hunc esse iudico:

v. 16. At, quamuis ipse quidem vobis non molestus fueram, per alios forsan dolose vos cepi, atque pecuniam in usus meos obtentu stipendii ad alendam vitam legatis meis erogandi a vobis extorsi?

v. 17. Sed dicatis ipsi, quem ad vos miserim, cuius ope pecuniae quaedam copia dolosis his artibus a vobis ad me redundare potuisset? Fuitne Timotheus, aut Titus, aut alius, quem suasu meo tam largo stipendio ornaueritis, ut tecta hac via dolose vos expilare potuissem?

v. 18. Tito quidem, ut cum his literis ad vos proficiscerentur, auctor suasorque extiti *), alii quoque laborum socio, ut Titum comitaretur, persuasi (quo nos, et ego ipse, et Titus, omnem quaestus faciundi calumniam effugeremus c. VIII, 18-21: intelligitis igitur, me non potuisse dolosum illud, quod hostes friuole nobis adfingunt, vos expilandi consilium capere; nam si hoc cepissem, non adiunxissem profecto Tito alium, qui et me, has eleemosynas ad Palaestinenses translaturum, ex prudenti ecclesiarum Macedonica-

*) cf. tum de re ipsa, tum de vi Aoristi nostro loco c. VIII, 17-22. coll. v. 24, quo verbum ἐνδείξασθε demonstrat, Apostolum de instanti itinere, nec de alio iam perfecto cogitasse.

rum consilio, quo omnem remouerem turpis et inhonesti lucri faciendi suspicionem, comitaretur). Forsan vero Titus iam in primo, quod ad vos susceperat, itinere quaestui vos habuit, et accepto nimio stipendio, unde res meas amplificarem, vos ita exhausit, ut vobis in hoc quoque negotio suspectus sit? At vestigia mea presse secutus fuit, atque, ne vobis molestus foret, sed vestras modo res curare cognosceretur, easdem leges, quas mihi ipse imposueram (c. XI, 7-12, et XII, 13-15.), sancte seruauit (eadem enim ipsi fuit ita agendi necessitas, quae mihi, non quo vestrum in nos amorem desideraremus, vel nos minus impense vos diligeremus, sed ut hostibus quamuis calumniarum cum aliqua veri specie spargendarum occasionem praeciderems c. XI, 11. 13.). Quam vanae igitur sunt et absonae istae calumniae hostium! —

Ex hac sensus notatione adparet, verba: παρεκάλεσα Τίτον, καὶ συναπέστειλα τὸν ἀδελφὸν, eodem quidem sensu, ac de eodem itinere Titi, secundo scilicet et adhuc instanti, quo hae ipsae literae Corinthiis traderentur accipienda esse, ac verba illa c. VIII, 17: τὴν παράκλησιν ἐδέξατο, et v. 18: συνεπέμψαμεν δὲ μετ' αὐτοῦ τὸν ἀδελφὸν; sed inde non consequens est, verba: μήτι ἐπλεονέκτησεν ὑμᾶς Τίτος; etiam de secundo adhuc instanti itinere et de colligenda stipe intelligenda esse. Nexus sententiarum potius hic esse videtur: „Num Titus in primo iam „itinere vos defraudauit, ut vobis nunc suspe„ctus sit? Ego quidem ipsi, ut ad vos recur-

„reret, auctor exstiti, sed profecto non ex dolo, „quod fraudibus faciendis aptissimum eum in„tellexerim: quam enim vitae rationem, cum „apud vos commoraretur, tenuerit, vos ipsi „probe nostis.“ Itaque verbum πλεονεκτεῖν ad primum iter Titi ad Corinthios pertinet; sed συναποστέλλειν — si caussam quidem spectes, ad stipem colligendam referendum est. Poterant vero hostes Apostoli varias spargere calumnias caussarum acerrimi studii, quo Paullus liberalitatem in stipe cogenda commendauerat prius, quam Titus Corinthi quidquam colligebat. Calumnias enim haud raro rem ipsam praecedere, quis est, qui nesciat? Quamobrem Apostolus, ut maleuolae cuiuis iniusti lucri sibi acquirendi suspicioni occurreret, plures socios ab ipsis ecclesiis Macedonicis constitutos sibi pariter ac Tito adiungere decreuit. Cum igitur τὸ πλεονεκτεῖν ad solum stipendium, quod Titus in primo itinere a Corinthiis sibi exposcere potuisset, neutiquam vero ad beneficia pro Palaestinensibus colligenda, referendum sit, nulla amplius pugna loco nostro cum locis c. VIII, 11. IX, 2. 4. 5, quibus nihil adhuc stipis collegisse dicuntur Corinthii, intercedere intelligitur. Neque loco parallelo c. VIII, 17. 18. ulla vis inest ad verbum πλεονεκτεῖν de defraudanda stipe interpretandum; siquidem in illo loco hoc verbum non occurrit, sed tantum τῆς παρακλήσεως et τοῦ συμπέμπειν mentio fit; quas vero formulas c. XII, 18. nos ipsi ad cogendam stipem referimus. Itaque omnia amicissime inter se conspirant. —

§. VIII.

Tertia difficultas ex cap. XIII, 1. petita tollitur.

Ultimum denique dubium oritur ex verbis cap. XIII., 1. τρίτον τοῦτο ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς, ex quibus sic argumentari solent: „Paullum omnino bis Corinthi fuisse (Act. XVIII, 1. XX, „2.) ideoque ante has posteriores literas exara„tas semel tantum; haec verba igitur de tri„plici modo aduentu per literas intelligendas „esse: solas vero has duas exstare epistolas „ad Corinthios; contineri ergo in ultimis his „capp. tertiam quandam epistolam necesse esse, „vel obscura esse omnia." — Vera huius dubii solutio nititur accurata. huius loci c. XIII, 1. interpretatione, quam propterea prolixius nunc institutere animus est. — Verba haec triplici potissimum sensu accipiuntur ab interpretibus, vel de tertia aliqua epistola, vel de tertio proposito ad Corinthios proficiscendi, vel denique de tertio itinere ipso. — Quo minus autem locum de tertia aliqua epistola intelligamus, prohibet tum locus parallelus c. XII, 14; tum omnis contextus ratio. Si comparemus, nulla quippe alia hypothesi iam impediti, locum nostrum cum illo c. XII, 14. de eadem prorsus re Apostolum in utroque loco agere, facile intelligimus. Nequeunt autem verba c. XII, 14. τρίτον ἑτοίμως ἔχω ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς, de tertia epistola ad Corinthios, quae sane haec posterior nostra est (vid. supra p. 40. not. e.), ullo modo intelligi. Quonam enim pacto Apostolus sub finem epistolae dicere potuisset, se eam parare, in eo se esse, ut ter-

tia vice scribat? Quomodo porro verba hoc quidem sensu accepta cum sequentibus: καὶ ȣ̓ καταναρκήσω ὑμῶν, cohaereant, equidem non video. Sunt igitur illa verba de itinere Paulli, non de epistola aliqua ab eo conscripta, intelligenda; quae vero cum sint loco nostro c. XIII, 1, siue verborum tenorem ipsum, siue contextum orationis uniuersum spectes, simillima, hic etiam non de scriptione, sed de itinere Paulli intelligatur necesse est. — Idem, idque multo luculentius, demonstrat textus nostri cohaerentia. Proxime sequuntur verba: ἐπὶ ςόματος δύο μαρτύρων καὶ τριῶν ςαθήσεται πᾶν ῥῆμα. Ecquis vero esset horum verborum nexus hic: „Tertias has ad vos dedi literas; omnisque caus„sa testium decidetur auctoritate?“ Sed si sensus verborum redditur hic: „Tertia nunc „vice ad vos venturus sum, et, simulac adue„nero, caussam meam testium auctoritate iudi„cari curabo;“ tum planae sunt sententiae, egregieque omnes cohaerent. Idemque arguunt v. 2. verba inprimis haec: προείρηκα καὶ προλέγω — — ὅτι ἐὰν ἔλθω εἰς τὸ πάλιν, ȣ̓ φείσομαι: ex his enim intelligimus, Apostolum hoc loco de adventu suo vere cogitare. Quare non de eodem ille cogitet verbis istis tam claris: τρίτον τȣ̃το ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς? Sanum hunc verborum sensum impediebant modo artificia interpretandi vel metu difficultatis vel hypothesium studio efficta. Minime omnium autem his verbis de adpendice epistolae, s. tertia quadam epistola separata, cogitandum esse, supra iam monuimus (§. II.): tum enim τέταρτον, nec τρίτον, Paullo scribendum fuisset; neque de nouo χαρτίῳ aliquo h. l. incipiente, quam Moynii opi-

nionem §. III. satis excussimus. Uterque igitur locus, et ille XII, 14. et hic XIII, 1. de aduentu Paulli ad Corinthios intelligendus est. — Haec modo quaestio incidit: utrum de tertio proposito iter ad Corinthios secunda vice faciendi; an de tertio Apostoli itinere ipso? Quoniam enim Lucas in Act. Apost. c. XVIII, et XX binae tantum praesentiae Paulli apud Corinthios mentionem fecit, atque altera c. XX narrata, dum Apostolus has literas scribebat, adhuc futura erat; plures interpretes utrumque locum, et c. XII, 14. et c. XIII, 1, ne pugna iis intersit cum historia Apostoli a Luca narrata, de tertio proposito Paulli iter ad Corinthios secunda nunc vice faciendi explicare solent. Primum quippe consilium putant Apostolum cepisse Ephesi 1 Cor. XVI, 5, alterum Troade 2 Cor. I, 15. 16, tertium denique in Macedonia, hoc loco nostro. Est vero propositum illud 2 Cor. I, 15. 16. commemoratum diuersum ab altero 1 Cor. XVI, 5: nam secundum 1 Cor. XVI. Paullus per Macedoniam Corinthum aditurus erat; sed ex 2 Cor. I, Epheso primum per Archipelagum Corinthum abiturus, ac inde demum in Macedoniam profecturus erat, atque ex Macedonia rursus Corinthum rediturus. Utrum vero propositum in animo Paulli prius fuerit, illud 1 Cor. XVI, an hoc 2 Cor. I, non constat. Mihi quidem videtur hoc 2 Cor. I, 15. 16. prius a Paullo susceptum fuisse, atque postea demum, cum res ipsius et ecclesiarum aliud suaderent, cum altero 1 Cor. XVI, 5. commutatum. Multo minus autem Apostolus Troade, cum Epheso iam abiisset, hoc consilium 2 Cor. I, 15. 16.

cepisse censendus est. Qua ratione enim potuisset Paullus, qui Epheso iam Troada abiisset, ut in Macedoniam transiret, nouum illud consilium suscipere, quo per Archipelagum Corinthum peteret, redeundi Ephesum, unde seditione plebis exorta exturbatus paullo ante fuisset. Troade autem Apostolum in Macedoniam deuenisse, scimus ex c. II, 12. 13. Ficta igitur est ab interpretibus haec propositorum Apostoli series. Itaque, si c. XII, et XIII, consilii Corinthum abeundi mentio fit, id sane non de mutato quodam, sed de eodem et constanti, at generatim expresso, proposito illuc proficiscendi, quomodocunque illud fieret, intelligendum est. Atque in tali consilio, quod omnino ceperimus, quoties id fecerimus exprimere velle, absonum foret. Quodcunque enim animo firmiter propositum tenemus, id saepins mente recolimus; Paullum vero tenerrimo sane in Corinthios suos amore affectum ter modo de reditu ad illos parando cogitasse, nobis persuademus? Si verbis igitur ex illa interpretandi ratione: „Tertium iam consilium cepi „ad vos veniendi," sana ulla atque integra subiecta sit sententia, ad commorationem Apostoli in Macedonia ea referenda atque sic intelligenda sint: „ibi Apostolum ter iam in eo „fuisse, ut ad Corinthios directe abiret; sed „quamuis promtus ad hoc iter esset atque pa„ratus, semel iterumque tamen impeditum ip„sum fuisse, quo minus hoc consilium perfice„ret: tertia igitur vice se nunc ad hoc iter „accingere." Sed videamus, an natiua vis verborum et contextus ratio hanc interpretationem admittat. — Videntur vero verba c. XII, 14:

ἰδὲ, τρίτον ἑτοίμως ἔχω ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς, primo quidem obtutu, hunc sensum facilius ferre, quam illa c. XIII, 1: τρίτον τοῦτο ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς: sed si curatius sensum verborum indagamus, in neutro loco tale quid significari intelligimus. —

Quod ad priorem locum c. XII, 14. attinet; formula loquendi ἑτοίμως ἔχειν, quae prorsus eadem est cum altera ἐν ἑτοίμῳ (sc. θυμῷ) ἔχειν 2 Cor. X, 6, ubique donotat: paratum esse, v. c. Act. XXI, 13. 1 Petr. IV, 5. et apud τοὺς ό Dan. III, 15; eamdemque formulae potestatem demonstrant ad Act. XXI, 13. Raphelius ex Polybio, et Wetstenius ex pluribus testimoniis profanorum, Kypke ex Iosepho, idemque similem alteram: ἐν ἑτοίμῳ ἔχειν ad 2 Cor. X, 6. ex Philone illustrat. Sed paratum esse plus innuit, quam merum propositum. Quaeritur modo, utrum τρίτον referendum sit ad ἑτοίμος ἔχω, an ad ἐλθεῖν? Videtur quidem hoc τρίτον commode admodum referri posse ad verbum ἑτοίμως ἔχω, sensusque sententiae subiici hic: „Bis iam in eo fueram, „ut ad vos proficiscerer, sed iterum iterumque „hoc consilio deiectus fui: tertia nunc vice ad „iter paratus sum.“ At, bis Apostolum iam paratum, sed impeditum fuisse, ad quod sententia τρίτον ἑτοίμως ἔχω, referri possit, ante non commemoratur, sed ipsa potius commoratio apud eos v. 13, nec solum propositum apud eos commorandi. Praeterea non intelligo, quid tum sit, quod Apostolus lectores vocula ἰδὲ tam attentos reddere studeat, si nil aliud ver-

bis significatum velit, nisi hoc: tertia iam vice se paratum esse. Sententiam vero proxime sequentem: καὶ ἐ καταναρκήσω ὑμῶν, ad ἐλθεῖν referendam esse, dubio caret. Cum igitur verbum ἐλθεῖν sententiam primariam, ad quam sequens primaria propositio, καὶ ἐ καταναρκήσω ὑμῶν, referatur, constituat atque vocula ἰδὲ emphasis aliqua sententiae inesse significetur, ipsi vero, si τρίτον ad ἑτοίμως ἔχω, nec ad ἐλθεῖν referatur, nulla insit: uniuersa contra oratio, antecedens et consequens, si τρίτον ad ἐλθεῖν referatur, arcte cohaereat, suaque formulae τρίτον vis, vocula ἰδὲ significata, constet; non possumus non, nostro certe sensu exegetico, τρίτον cum verbo ἐλθεῖν coniungere, praesertim cum idem aperte sit sensus loci παραλλήλε c. XIII, 1, verbisque sensum subiicere hunc: „Dum ante apud vos commorabar, nullam pro„fecto vobis molestiam afferebam (v. 13.); ne„que tertia hac vice, qua ad vos venire iam „paratus sum, habebitis, quod importunitatem „meam accusetis.“ — Locus vero c. XIII, 1. multo minus de tertio quodam proposito agere, id potius solis interpretum artificiis, ut argumentum utriusque loci sibi responderet, illatum in illum esse videtur. Redeunt quidem nostro loco ex lectione cod. Alexandr. et verss. Syr. et Copt. eadem verba, quae extant c. XII, 14; quam vero lectionem cum non tota recensio Alexandrina confirmet, et ipsa glossemati vel tentatae emendationi videatur simillima, eam recipere nos non possumus, praesertim quod verss. Arab. polygl. et Persica, utraque ex Syriaca facta, eam non habent; ut potius lectio Syriaca a posteriori manu videatur illata, et

genuina ac prima lectio vers. Syr., quam textus graecus receptus exhibeat, ex verss. Arab. et Pers. restituenda. Librarios enim et interpretes antiquos utrumque locum inuicem conciliare alterumque ex altero explanare studuisse, adparet ex voce τῦτο, ex loco nostro XIII, 1. in c. XII, 14. translata in Codd. A. P. G. D. E. (vario modo huius vocis situ) multisque iunioribus aliis, ac verss. Syr. utr. Arabb. Aethiop. Ital. *). — Quamuis igitur diuersam utriusque loci lectionem e textu recepto sequimur, sensum tamen utrique subiectum eundem concedimus. Sed in hoc sensu constituendo recedendum nobis est a plerisque interpretibus, qui, praeeunte Grotio, haec etiam verba: τρίτον τῦτο ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς, reddunt: „Tertium „me iam itineri paro.“ Conatibus enim, inquiunt, dari nomen effectus; qua de re prouocare solent ad b. Glassii philol. sacr., ubi plura exempla exstent, quae, verba actum proprie significantia etiam de proposito et conatu adhiberi, demonstrent. Sed doleo semper animoque vehementer compungor, si video, nostra aetate, quae Moros suos atque Koppios alit, adhuc esse, qui, ubi de sensu quaeratur, sig-

*) Quare hanc lectionem, quamuis permultorum Codd. et verss. auctoritate munitam, cum pro mero glossemate illa habenda sit, ne probabilitatis quidem signo in textum admisit S. V. Griesbach. Codd. enim et verss. hoc loco non testes, sed iudices et commentatores agere censendi sunt.

nificationes vocum ex Glassii, Danzii, Stockii libris anxie conquirant, atque hac exercitatione puerili res suas egregie egisse sibi videantur, magnique esse scripturae sacrae interpretes. Sic nostro etiam loco hi interpretes non vident, de sola significatione verbi ἔρχομαι omnino non quaeri, sed de sensu totius sententiae: τρίτον τȣτο ἔρχομαι πρός ὑμᾶς. Contendo enim ipse, verbum ἔρχομαι non vertendum esse: Venio, sed: Venturus sum; nam Apostolus, dum haec scribebat, adhuc venturus erat ad Corinthios. Verum inde non sequitur, et verba τρίτον τȣτο ad solum propositum veniendi, nec ad aduentum Apostoli ipsum, referenda esse. Offerant, rogo, hi interpretes unicam sententiam similem apud quemquam scriptorem obuiam, ex qua adpareat, integram sententiam: τρίτον τȣτο ἔρχομαι πρός ὑμᾶς, verti posse. „Tertium iam consilium cepi ad „vos veniendi s. tertia iam vice apud me con„stitui ad vos venire.“ Itaque, nisi ab omni usu graeco recedere temere, ac sententiam misere torquere velimus, non possumus, quin his verbis sensum subiiciamus hunc: „Tertia „vice nunc ad vos venturus sum — tertium „iam iter ad vos paro;“ neutiquam vero: „ter„tium me itineri paro.“ — Verum hunc sensum quoque demonstrant verba sequentia, cum propiora: ἐπι σόματος δύο μαρτ. κ. τρ. σαθης. π. ρημ. quae ad aduentum Paulli, neque ad solum eiusdem propositum, relata cum textu nostro arctius cohaerent; tum inprimis remotiora v. 2. quae magna sane difficultate laborent, si v. 1. de tertio itinere ipso intelligere velis. Verba haec sunt: προείρηκα καὶ προλέγω ὡς παρὼν τὸ

δεύτερον, καὶ ἀπὼν νῦν *), τοῖς προημαρτηκόσι καὶ τοῖς λοιποῖς πᾶσιν, ὅτι, ἐὰν ἔλθω εἰς τὸ πάλιν, οὐ φείσομαι. — Variae quidem dantur hunc locum interpretandi rationes, e quibus vero praeter eam, quae unice vera mihi videtur, duae modo sunt, quae tolerabilem verborum sensum exhibeant; altera quidem verbum γράφω retinet, altera illud respuit. Si lectionem γράφω retineamus, verbis sensus subesse possit hic: „Praedixi“ (hoc factum puta, vel cum Apostolus Corinthi commorabatur, vel in epistola) — „et praedico, absens nunc quidem, per literas „(γράφω) sed tam grauiter, ac si altera vice „apud vos praesens sim;“ vel etiam, relata, etsi aliquanto coactius, formula τὸ δεύτερον ad verb. γράφω, hic: „praedixi (prima vice) et „praedico altera vice, (τὸ δεύτερον) literis quidem (γράφω), cum iam absens sim, sed tam „grauiter, ac si vobis praesens sim.“ Abiecta vero spuria lectione γράφω sensus possit esse hic, varius quidem ipse pro varia interpunctione et constructione formulae loquendi τὸ δεύτερον: „Praedixi et adhuc praedico „(altera „vice); ac si vobis (altera vice) praesens sim, „quamuis (καὶ, ex rariori signific. voc.) vere „absens.“ — Neutra vero loci interpretatio videtur satis idonea: ex posteriori sensus ver-

---

*) Verbum γράφω consensu utriusque recensionis et orientalis ed occidentalis, et probb. Millio, Bengelio et Griesbachio, e textu recepto eliminandum est. Rationes criticas vid. ap. Griesb. Videtur primitus fuisse interpretamentum verb. προλέγω ex v. 10. petitum, et a margine in textum tandem irrepsisse.

borum existit frigidus et ieiunus; ex priori, turbata nimis constructione sententiarum, contortus. Etenim τὸ δεύτερον *) pari ratioue ad νῦν referendum videtur, ac παρὼν ad ἀπών; atque vicissim ὡς παρὼν τὸ δεύτερον ad προείρηκα, ut καὶ ἀπὼν νῦν ad προλέγω (unde et glossema illud γράφω ex v. 10. desumtum explicari facile potest). — Itaque sensus facillimus ab antiquo interprete latino iam expressus, qui cuiuis sane interpreti, cum nullis vel interpunctionis vel constructionis artificiis impediatur, primo statim obtutu oblatus fuisset, nisi cogitatio duplicis solum itineris Paulli ad Corinthios iusto tenacius menti eorum inhaesisset, hic esse mihi videtur: „Praedixi, et adhuc praedico, quem„admodum tum, cum altera vice vobis prae„sens eram (προείρηκα) ita et nunc, cum absens „sum (προλέγω) rel.“ — Ex hac igitur v. 2. interpretatione adparet, ante hanc epistolam Apostolum iam bis Corinthi fuisse; sicque confirmatur interpretatio v. 1, qua Apostolus ad tertium iter se tum parasse perhibetur. Tertium enim illum aduentum Paulli sic intelligere, ut priores literae pro secundo, et posteriores pro tertio aduentu habendae sint, abso-

*) Existimant quidem nonnulli, τὸ δεύτερον ab initio in textu defuisse; at nullam rationem criticam, certe idoneam, neque apud Wetstenium neque apud Bengelium inuenire potui, quae huic opioni faueret. Multi quidem codd. Latini pro δεύτερον habent: Vobis; sed haec lectio nata esse videtur ex errore scribendi pro Bis, quod habent codd. Col. Reutling. et alii.

num est. — Possent quidem verba: τρίτον τȣ̃-το ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς (ut nihil, grauioris saltem momenti, praetermittam, quod pro contraria sententia adferri possit) alio modo de tertio proposito, seu potius, de tertia asseueratione propositi veniendi, admissa quidem leui aliqua et interpunctionis mutatione et ellipsi sic explicari: τρίτον τȣ̃το, sc. λέγω, ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς, „tertia ergo vice affirmo, me certo ad vos „venturum esse.“ Qua adhibita interpretandi ratione verba proxime sequentia: ἐπὶ ςόματος δύο μαρτύρων καὶ τριῶν ςαθήσεται πᾶν ῥῆμα, argumentum continerent e genere similium petitum hoc: „Sicut ea, quae trium hominum testimo„nio probantur, in iudicio fidem faciunt; ita „etiam triplex haec asseveratio, ut spero, pro„positum meum ad vos veniendi vobis confir„mabit.“ Atuero neque huic verborum interpretationi, doctae licet ac ingeniosae, adsentiri possum. Primum ipsa interpunctio videtur nimis esse artificiosa, et a consuetudine Paulli aliena: Deinde non satis manifestum est, quibusnam epistolae locis exstet duplex altera asseueratio propositi, quam tertia haec nostro loco excipiat: nam si huc referas duo ista loca C. I, 15. 16, et XII, 14; in hoc posteriori vides idem τρίτον occurrere, quod igitur in hoc loco ceteroquin nostro simillimo, si altera quidem asseueratio propositi in eo inesse putetur, non sine vi ipsi adferenda alio prorsus sensu accipiendum sit. Tum ab ingenii Apostoli feruore et alacritate nimis alienum videtur, quoties in his literis consilium ad eos redeundi ipsis iam confirmauerit, sollicite notare; nec recte numerasse adeo censendus esset Aposto-

lus, cum ter pluribus locis, e. g. C. X. passim, adventum suum iis iam significasset. Praeterea ex hac interpretatione locus non aeque facile, ac ex nostra supra declarata, cum iusto sensu sententiarum v. 2. cohaerere videtur. Interpretatio denique verborum ἐπ. στομ. δύο μαρτ. κ. τριῶν σταθήσεται πᾶν ῥῆμα ab ingeniosa magis inventione, quam a veritate et facilitate sensus sese commendat. Debentur autem potissimum haec ingeniorum in interpretando pericula difficultati conciliandi facilem ac nativum verborum sensum cum narratione Lucae; cum tamen Apostolus ipse, se iam bis Corinthi fuisse, v. 2. clare satis significet. —

Huic vero sententiae, qua Apostolus bis ante has literas posteriores Corinthi fuisse fertur, non repugnare arbitror neque locum C. I, 15, neque narrationem Lucae (Act. XVIII et XX), ex qua quidem unum tantum iter Apostoli ad Corinthios has literas praecessisse colligendum sit. — Nonnulli scilicet δευτέραν χάριν C. I, 15, de altera Apostoli commoratione apud Corinthios intelligunt, vel, quod haec ipsa beneficii loco (χάρις) Corinthiis fuerit, vel quod Apostolus altero hoc aduentu charismata, quae itidem pluribus huius epistolae locis χάρις dici solerent, inter Corinthios distribuit. Utrum sumas, inquiunt, id tamen inde consequens esse, Apostolum h. l. profiteri ipsum, alteram praesentiam adhuc esse futuram; nec igitur Apostolum bis ante has literas Corinthi adfuisse. — Sed δευτέρον χάριν de secunda Paulli commoratione apud Corinthios intelligi non posse, demonstrat tum omissio articuli τὴν ante δευτέραν

χάριν, cui modo iunctum hoc vocabulum δεύτερος secundum designat; tum omnis orationis contextus, quo praesertim τὸ ΠΡΟ'ΤΕΡΟΝ, hac quidem interpretatione admissa, prorsus abundaret. Hoc vero πρότερον a iuniori manu in textum demum insertum fuisse, id quidem ex vario illius loco in Codd. (vid. Wetsten.) suspicari non licet; cum partim nullus codex manu exaratus illud πρότερον prorsus ommittat; partim idem varius locus cernatur in verbis: πρὸς ὑμᾶς ἐλθεῖν, quae igitur eodem iudicio κριτικῷ vel potius ἀκρίτῳ damnanda sint; partim denique varii huius ordinis caussae adferri possint vel ex negligentia vel ex solertia librariorum, qui sensum loci faciliorem, mutato hoc verborum ordine, iuuare voluerint. Hoc denique πρότερον cum aliis Nuper vel Pridem h. l. reddere, atque ad verbum ἐβουλόμην referre durum et asperum videtur, cum illud manifeste spectet ad sequentia: καὶ δι' ὑμῶν διελθεῖν εἰς Μακεδονίαν, ideoque tempus et ordinem itineris Paullini primum ad Corinthios, et deinde ad Macedones demum faciendi significet. — Satius igitur est, si Paullum ipsum optimum sane verborum suorum interpretem v. 16. sequi velimus, δευτέραν χάριν cum Theodoreto de iterata intra aliquod temporis interuallum profectione Paulli ad Corinthios instituenda intelligere. Bis enim Apostolus Corinthios suos tum adire voluit, primum Epheso directe ad eos traiecturus (ἐλθεῖν πρότερον); deinde altera vice ex Macedonia, quorsum ab iis pergere decreverat, ad eos rediturus (δευτέρα χάρις). Quare intelligimus, si iterata Paulli commoratio apud Corinthios hac formula δευτέρα χάρις

exprimi censenda est, de charismatibus altera vice inter Corinthios distribuendis h. l. cogitandum non esse, quorum etiam non tam inopia, quam prauo et peruerso usu Corinthios laborasse scimus. — Vox χάρις igitur h. l. vel beneficium vel laetitiam significat. Prior vero vocis significatio quamuis bonum h. l. sensum praebeat hunc: „Ut duplici ac iterato „meae apud vos praesentiae beneficio fruereminі, hunc itineris ordinem inire institui, rel;" equidem tamen, cum ex v. 24. adpareat, Apostolum suo ad Corinthios discessu eo intendisse, ut χαρὰν iis praeberet, eamque ob caussam maturius non venisse, ne λύπην ipsis incuteret, per χάριν h. l. laetitiam intellexerim. Hanc vero vocis potestatem demonstrant tum loca e Polybio, aliisque Graecis a Kypke ad h. l. excitata, tum locus Tob. VII, 18, tum denique iudicium Hesychii, qui habet: χάρις, δωρεὰ, χαρά: etymologicae autem deriuationi a verb. χαίρειν vim probandi equidem tribuerim nullam. Neque ex loco Philem. v. 7. praesidii quidquam pro hac vocis vi peti posse existimo; cum ibi ex consensu optimorum quorumuis utriusque recensionis codicum pro lectione vulgari χάριν legendum sit χαράν; nec rationibus internis illis: vocem χαρὰν interpretamenti instar verae lectioni facile potuisse substitui, ideoque lectionem receptam et difficiliorem, et obscuriorem praeferendam videri, tot tamque graues rationes externae concuti possint. Quoniam autem lectio χάριν in aliis, licet leuioribus, codd. exstat, inde colligimus, hanc vocis χάρις, qua χαρὰν significat, potestatem notam admodum ac tritam fuisse; nisi scri-

bendi errore quodam potius, quod fieri facillime sane poterat, illud irrepsisse, iudicemus. Atque nostro etiam loco vocem χάρις pro altera χαρὰ positam fuisse antiquiores iudicasse videntur ex lectione χαρὰν, cod. 31; quae vero interpretamenti loco tantum habenda est, nisi eandem librarii oscitantiae deberi statuamus. — Itaque sensus loci C. I, 15. hic est: „Hac certa animi de vobis persuasione decre„veram ad vos venire prius, quam Macedoniam „peterem, ut iterata mea apud vos praesentia „iteratam quoque laetandi materiem vobis sup„peditarem; animus enim erat, quando a vo„bis discesserim, in Macedoniam demum pro„ficisci, et ex Macedonia rursus ad vos redi„re" *). — Quomodo vero hoc effatum cum loco 1. Cor. XVI, 5. conciliandum sit, id quidem disquirere, non est huius loci. — Progredior igitur ad expediendam aliam difficultatem, eamque maiorem ex Lucae narratione itinerum Paulli petitam, qua pateat, Paullum bis omnino Corinthi fuisse Act. XVIII, 1. et XX, 2-3; quorum vero itinerum alterum Act. XX. narratum cum literis nostris posterius esset, unum tantum has praecessisse intelligi. — Verum enimuero Lucam nouimus non omnes res gestas ac fata Paulli in Actis narrasse, sed ea inprimis, quae se ab Apostolo absente acciderint, conticuisse. Sic, ut unum modo et al-

*) Loco hoc sic interpretando secutus sum egregiam paraphrasin s. v. Noesselti commentario Baumgarteniano in utrasque has literas ad Corinth. adiectam. —

terum exemplum adferamus, Paullus hac poster. epist. C. XI, 25. tria naufragia, quae fecerit, commemorat, quorum ne unum quidem Lucas tradidit: Rom. XV, 19. Paullus refert, se Illyricum Euangelii luce collustrasse, at historia Lucae silet. Haec igitur omnia, quae Paulli testimonio verissima censenda sunt, quomodo concipiamus animo, nisi aliis rebus gestis ac fatis Paulli ea interseramus? Atqui ex ipsis Actis (C. XVIII, 11. XX, 31.) nouimus Apostolum Ephesi integros tres annos, et Corinthi, cum prima vice ibi esset, tria semestria transegisse. Quibus igitur longis admodum temporum interuallis Apostolum si nobis persuadeamus pedem utraque urbe non extulisse, nil sane nos habere, candide confitendum est, iu tota vita Paulli ante hanc poster. epist. ad Corinth. acta, quo tria illa naufragia atque iter in Illyricum referamus. Sin vero, probabili admodum ratione, sumamus, Apostolum Corintho, hoc quidem trium semestrium interuallo, in alias quoque terras v. c. Epirum et Illyriam, atque Epheso intra illud triennium in Cretam, excurrisse, hisque excursionibus naufragia illa fecisse *); tum omnia in Lucae Actis et Paul-

*) Alii ad illud temporis spatium, quod Apostolus Corinthi transegisse fertur, etiam referunt hanc profectionem Paulli in Cretam; sed Apollo — (Tit. III, 12.) tum temporis nondum venerat in consuetudinem Apostoli (Act. XVIII, 26.). Eorum vero sententiae, qui illud iter vel inter priorem et posteriorem epist. ad Corinthios, vel post tertium (ex computo nostro) aduen-

li epistolis amice conspirant. Tum enim Apostolus post illam excursionem altera vice Corinthum rediisse putandus est: en secundum aduentum ad Corinthios a Luca praetermissum, eumque ante illum Actor. XX. narratum constituendum, qui tum tertius erit! — Cohaerent igitur omnia, omnesque dubiorum nubeculae facillime dissipantur, modo assumamus, idque probabili admodum ratione facere nos posse nemo non intelligit, „Paul„lum, cum Ephesi et Corinthi commorare„tur, in alias inde terras excurrisse, atque „ad illas urbes, illo quidem temporis inter„vallo a Luca significato, rediise: Lucam ve„ro in Actis tantum narrare uniuerse commo„rationem Paulli in celebri eiusmodi urbe, „atque tempus illius computare a primo Apo-

---

tum ad Corinthios collocant, repugnat contextus historiae Actor. XX. Epistolam ad Titum vero post primam Apostoli captiuitatem Romanam collacare vetat summa illius cum priori epist. ad Timotheum similitudo. Nullus igitur aptior locus mihi videtur tum huius itineris, ac in triennio illo Ephesino, tum Nicopoleos Tit. III, 12. quam in Bithynia. Nil enim cum hac hypothesi pugnare videtur, omnia contra cum illa conspirare, ceteris opinionibus omnibus cum historia Paulli pugnantibus. Sed nouam hanc sententiam prolixius edisserere animus est in notis ad Millii prolegomena, quae, perpetua quidem animaduersione aetatis nostrae rationibus accomodata, edere molior. —

„stoli in urbem introitu usque ad illud tem-
„poris momentum, quo eam penitus dese-
„reret; multa denique Lucam tacere, quae
„inprimis se absente acciderint, ex epistolis
„igitur Apostolorum in ipsis Actis supplen-
„da.“ —

III.

Prolusio exegetica in locum difficilem Gal. III, 20.

Qua
ad orationem aditialem
d. XXX. M. Martii a. r. s.
CIↃIↃCCLXXXVII. habendam
humanissime invitat
Ioannes Philippus Gabler
Theol. Prof. publ. ord.
Altorf.

In epistola ad Galatas Paullus Apostolus id agit possitum, ut tum diuinam doctrinae suae auctoritatem firmiter fulciat, atque aduersus hostes, eosque non quidem a religione Iesu prorsus alienos, at rituum Mosaicorum tenacissimos, strenue tueatur; tum, quam inepte agant ii Christiani, qui, contrario plane

diuino in ferendis legibus Mosaicis consilio, iugum illud rituum Israeliticorum imponi sibi patiantur, prolixe doceat. Multis igitur argumentis efficere studet Apostolus, solam πίστιν, iam Abrahami exemplo commendabilem, non νόμον minarum plenum, eundemque ex ipso Dei consilio tantum tempori cuidam et nationi adstrictum, salutis spem nobis facere: neque promissiones diuinas, Abrahamo tam sollemniter datas, sine iniurio in Deum animo dici posse per leges Mosaicas tam breui tempore irritas esse factas (III, 17. 18.); potuisse igitur nouam religionis οἰκονομίαν, sublata antiqua, a summi Numinis et sapientia et sanctitate iure quodam exspectari. Verum tamen, pergit Apostolus (III, 19.), instituta Mosis haud caruisse usu suo aut consilio; inseruiisse enim tum coercendae Israelitarum et morum ferociae et vitae improbitati, tum formandis eorum animis ad obsequium meliori doctrinae olim praestandum: itaque νόμον datum esse παραβάσεων χάριν (ἄχρις οὗ ἔλθῃ τὸ σπέρμα, ᾧ ἐπήγγελται) — — ἐν χειρὶ μεσίτου. Nunc addit Apostolus v. 20. haec: ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς οὐκ ἔστιν· ὁ δὲ Θεὸς εἷς ἐστι.

Qui locus sane difficillimus omnium interpretum ingenia tantopere exercuit, ut plene enarrandis atque rite examinandis aliis aliorum sententiis integrum volumen vix sufficiat. Bene igitur rem suam egit S. V. Koppe (N. T. Vol. I. ep. ad Gal. exc. VII.), quod in tanta opinionum dissensione praecipuas modo enarrauit, easque ad duo inprimis genera retulit; aliis verba: ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς οὐκ ἐστι, de sententia uniuerse proposita, et ad quemlibet μεσίτην accommodanda intelligentibus; aliis eadem de-

finite de certo quodam arbitro, Mose vel Christo, interpretantibus. Verum euimuero, ex quo recensionem hanc potissimarum sententiarum a Koppio, Viro Venerando, acceperamus, tot nouas atque eximias doctissimorum virorum, practer Koppium, curas expertus est locus hic impeditus, ut mirari satis non possimus ingeniorum siue ubertatem siue sagacitatem. Neque igitur a scriptionis huius ratione, neque, si quid iudico, a re literaria omnino, alienum esse puto, recensum aliquem harum curarum, qui auctarii loco labori illi Koppiano esse possit, accurate instituere, ipsas modeste examinare, nouamque denique tentare loci obscurissimi illustrationem. Quod quidem tentamen facile praeuideo non posse non post tot egregios optimorum interpretum labores nonnullis mirum videri, ne dicam temerarium, saltem parum probabile. Sed liceat audere aliquid in difficilioribus, et suo quemque sensu in interpretando regi; modo, ne quidquam temere agamus, aut, contemtis melioribus iudiciis, nobis soli sapere videamur. — Desudarunt autem, nostra quidem aetate, in constituendo istius loci sensu nexuque, praeter Koppium, foecundo inprimis seculi anno LXXIXno, viri fama meritisque longe celeberrimi, Less et Mosche, Semler, Rosenmueller, et b. Stroth, quorum quisque singularem interpretandi rationem sequitur.

Agmen igitur praestantissimorum interpretum ducat S. V. Koppe, qui (N. T. Vol. I.

p. 40) verba hoc modo reddit: „Iam quidem „non νόμῳ Mosis tantum suus est μεσιτὴς (plu„res fuerunt, inprimisque ὁ μεσίτης τῆν καινῆς „διαθήκης, Iesus,) sed unus tamen idemque „Deus est, qui misit omnes; is adeo debet si„bi constare, nec potest secum ipse pugnare.“ Refert itaque Vir Ven. voc. ἑνὸς ad subiectum, quod proxime praecesserat, νόμος; atque cohaeret hoc sensu locus arctissime cum v. 21: ὁ ἦν νόμος κατὰ τῶν ἐπαγγελιῶν τῦ Θεῦ; μὴ γένοιτο, hac ratione: „Itaque, cum Deus is, qui cum „Abrahamo, et qui cum Mose egit, sit unus „idemque Deus, quomodo tandem fieri potest, „ut leges per Mosen latae tollant promissa „praestita Abrahamo?“ — In quo nexu com„matum constituendo differt S. V. Koppe a Clerico et Bahrdtio, qui, etsi in reliquis conspirant, parenthesi tamen v. 20. includi volunt. — Caeterum omnis huius versiculi sententia videtur Viro Venerando in animo Apopostoli excitata tantum voce μεσίτῦ v. 19. qua quidem semel usus, ut fiat, naturali quadam similium idearum coniunctione ad Iesum, quem hoc ipso nomine μεσίτῦ sibi cogitare, et Mosi inprimis opponere soleret, cogitatione deuolutus esset. — Nec diffitendum est, hanc interpretationem ab usu loquendi et ab ipsa re satis commendari. Nam plures extitere μεσίται; ac Hebr. VIII, 6. IX, 15. Iesus expresse dicitur καινῆς διαθήκης μεσίτης. Vocem vero νόμος a legibus Mosaicis ad Iesu etiam religionem ab Apostolo transferri constat. Recte denique dicitur Θεὸς εἷς esse pro ὁ αὐτὸς, qui semper unus idemque est, nunquam non sibi constat, coll. I. Cor. XII, 11. Phil. I, 27. II, 2. — At hoc

unice egregiae huic interpretationi obstare videtur, quod Paullo, si hunc sensum voluisset exprimere, non scribendum fuisset: ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς ἐκ ἐςί, sed potius: „ἀλλ' ἐχ ἑνὸς μόνον μεσί„της ἐςὶ," ut ommisso articulo ὁ ante μεσίτης, vocula ἐκ τῶ ΕΝΌΣ praeponeretur, addita etiam, perspicuitatis caussa, voce μόνον.

Lessius *), Vir Venerandus, loco obscuro (in progr. pasch. Goetting. 1779.) sensum subiicit hunc: „Omnino Moses (sunt ip„sa verba Viri summi, p. 14.) etiam erat μεσί„της, ad Iudaeos tantum ablegatus (v. 19.) „Summus autem ille ac unicus quasi μεσίτης, „quem Deus Abrahamo tamquam salutis per„fectissimae auctorem promiserat, non Iudaeo„rum solum, sed Gentilium etiam est seruá„tor, quemadmodum Numen illud beneficentis„simum, communem hominum parentem esse „scimus (v. 20.). Unde oppido patet, leges „Mosis ministerio latas nullo pacto isti con„trariari promisso, quum Moses ad Israelitas „tantum ablegaretur, eiusque leges, eo fine „promulgarentur, ut gentem hanc coercerent, „et paedagogi instar ad Christum perducerent „(v. 19. 22. sqq.)" Intelligit igitur Vir summe venerandus verba: ὁ δε μεσίτης, δεικτικῶς et ἐξοχῶς: Summus ille μεσίτης, Christus; uti fit in formulis ἡ γραφή, ὁ θεος, ὁ νόμος, ὁ ποιμὴν; et ad voc. ἑνὸς suppleri iubet vel μέρες, vel γέ-

*) Lessii opuscula T. II. p. 455. sq.

νυς, vel ἔθνυς, atque referri ad Iudaeos et Ethnicos, eorumque contraria studia, coll. Eph. c. II. Verba denique, ὁ δὲ Θεὸς εἷς ἐςὶ, reddit: „Deus enim (δὲ pro γὰρ, quod saepius fit,) est „communis hominum parens," ut idem sensus verbis subsit, qui Rom. X, 12: ὁ γὰρ αὐτὸς κύριος πάντων. — Commodum omnino haec verborum explanatio sensum fundit; at plura tamen sunt, quibus impediri illa videtur. Primum enim rationem μεσίτυ, qua Christus et Moses sibi inuicem comparantur, equidem putarim, ex hac interpretatione non satis sibi constare; nam cum Moses v. 19. modo dicatur μεσίτης inter Deum et Israelitas, duplex illa ratio Christi μεσίτυ, altera ad componenda utriusque partis, Israelitarum et Ethnicorum, coll. Eph. c. II. inter se dissidia, altera ad conciliandam utramque partem cum Deo (quam vero utramque rationem Christi hoc loco pariter admittit S. V. Less), his certe verbis simul contenta esse, meo quidem sensu, dici non potest; sed posteriorem solam, in hac quidem comparatione Christi cum Mose, admittendam esse arbitror. Deinde formulae Θεὸς εἷς notionem communis hominum parentis, inuito admodum usu loquendi (quod iam S. V. Koppe monuit), subiicere vix ac ne vix quidem licuerit; cum ista modo vel unitatem vel constantiam ubique designet, atque, ubi videatur communem illam omnium curam significare, id potius tribuendum sit addito πάντων, aut adnexae integrae formulae κύριος vel πατὴρ, πάντων, quam illi ipsi per se spectatae: ut taceam, verba ὁ δὲ Θεὸς ἕις ἐςὶ, ita vertendo atque aliter ΕΝΌΣ aliter ΕΙ͂Σ reddendo rationem omnem

τοῦ Εἷς in posteriori membro ad τὸ Ἑνὸς in priori penitus tolli; nisi studio immutatam dixeris eiusdem vocis in eodem loco significationem. Denique videtur non modo paullo durius μεσίτης v. 19. de Mose, idemque v. 20. de Christo explicari, atque in voc. Ἑνὸς subintelligi ἔθνους vel γένους, cuius tamen in praecedentibus vestigium deprehendimus nullum; verum etiam uniuersa loci interpretatio orationis Paullinae nexui non satis congrua, cum in proxime praecedentibus tantum de ratione et consilio legum Mosaicarum sermo sit, et comm. 26. sqq. demum Apostolus in doctrinam de aequali iure Iudaeorum et Ethnicorum incidat: nisi velis, adserta, quamuis, ut mihi quidem videtur, iusto subtilius, fortuita aliqua cogitatione Apostoli, et admissa parenthesi, abrumpere hanc sententiam v. 20. expressam a reliqua orationis serie. — In quam partem abit S. V. Mosche (Anmerk. zu d. Sonntagsepist. Th. II. p. 197.) caeteroquin in omnibus fauens discussae hactenus interpretandi rationi; nisi quod Vir Venerabilis τὸ Ἑνὸς ad σπέρμα v. 16. refert, faciliori quidem verborum constructione, cum idem σπέρμα v. 19. redeat, sed dubito, an ex Eiusdem mente, qua eos, qui πίστιν Abrahami referant, h. l. significari putat, rectius. Posse enim parallelismum remotiorem Rom. IV, 16. quo per σπέρμα τὸ ἐκ πίστεως Ἀβραὰμ ethnici cum primis, doctrinam Christianam amplexi, innuuntur, huc referri, eo magis dubito, quo certius est, quod nec Vir Vener. diffitetur, Apostolum in nostro quidem segmento σπέρμα de solo Messia intelligere. Quomodo igitur Apostolus sine vi ipsius orationi inferen-

da dici possit eidem voci v. 19. obuiae alium prorsus significatum v. 20. eumque adeo per ellipsin tribuisse, equidem non intelligo.

Semler, Vir Venerabilis, (paraphr. ep. ad Gal. 1779 p. 323.) locum nostrum in hunc modum παραφράζει: „Si accesserit internun-„tius: intelligimus, eum non esse tantum unius „partis aut caussae, sed esse partem, cui opus „fuit hoc ministerio, quia non auderet ipsa „cum Deo rem peragere. Deus vero, qui om-„nibus populis et gentibus promiserat illud be-„neficium, est unus et idem (h. e. non alius „ante legem, alius post illam).“ — Hanc paraphrasin illustrat quidem Vir Venerabilis in notis textui subiectis, sed tali ratione, ut neque luculenter satis adpareat, quomodo illustratio, quae alia quaeuis primo obtutu continere videatur, cum paraphrasi ipsa illustranda cohaeret, neque ratio facile occurrat, quam secutus S. V. Semler tantum sententiarum cumulum ex hac verborum Paullinorum paucitate eruere tandem potuerit. Sed si quid in hac verborum ambiguitate videre licet, nexum orationis, ut ego quidem auguror, Vir Venerabilis hoc fere modo cogitat: „Ratio inter-„nuntii cuiuscunque requirit tum plures, duas „saltem, partes, tum dissensum harum par-„tium, ut opus sit alterutri parti tali internun-„tii ministerio, quia non audeat ipsa cum al-„tera parte rem peragere.“ Haec colligo ex verbis Semleri his: „Hic μεσίτης diuisas iam „partes, post primum illud tam benignum pa-„ctum, occupat, quae inter se dissident.“ — Sed ita interpretando S. V. Semler non tan-

tum vocem Ἑνὸς de consensu partium, inuito usu loquendi (vide sis Koppium, N. T. Vol. I. p. 117.) intelligit; verum etiam, quod magis miror, duas (per hypothesin) vocis Ἑνὸς significationes, unitatis et consensus, in eodem loco et verbo, contra sanioris ἑρμηνείας regulas, coniungit. — Interim hanc loci explicationem, meo quidem sensu, per se improbandam viam tamen mihi aperuisse gratus profiteor sensus verborum rectius inuestigandi.

Aliam viam ingressus est b. Stroth (Repertor. für Bibl. u. Morgenl. Literat. T. IV. 1779. p. 53. 54.) verba sic reddendo: „Cuius „quidem internuntii (Mosis) negotium non per„tinuit ad unum idemque consilium Deo in „promissione Abrahamo data (v. 18.) propo„situm: quod cum Deus semper sibi constans „et immutabilis tollere non potuerit, aliud in„telligimus consilium legum ferendarum Eun„dem fuisse secutum; ut Moses adeo esset, le„gibus παραβάσεων χάριν latis (v. 19.), alius „prorsus, non eiusdem, caussae μεσίτης.“ — Ad voc. Ἑνὸς supplendum igitur putauit vir, dum viueret, clarissimus πράγματος, idque intellexit de consilio aliquo divino: vocem μεσίτης enim Genitiuo iungi non modo Subiecti, sed etiam Obiecti clarum esse ex formula: μεσίτης τῆς καινῆς διαθήκης. Porro ὁ Θεὸς εἷς, pergit, esse pro: ὁ αὐτὸς (idem et immutabilis), inde ex parallelismo membrorum τὸ ἓν i q. τὸ αὐτὸ sc. πράγμα, unum idemque consilium. Cum enim Deus, observat Vir ad paraphrasin, εἷς dicatur ratione ἐπαγγελίας Abrahamo datae, et ipsum ἑνὸς in membro priori ad eandem

ἐπαγγελίαν aeque referendum esse, ac formulam: ὁ δὲ μεσίτης, δεικτικῶς ad Mosen v. 19. pro: ΟΥΤΟΣ δὲ μεσίτης: itaque membro priori: ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς οὐκ ἐστι, substitui iure posse verba haec: „οὗτος δὲ μεσίτης (Μωσῆς) τοῦ αὐτοῦ πράγματος (ταύτης τῆς ἐπαγγελίας) οὐκ ἐστιν· h. e. ἑτέρου τινὸς πράγματος ἐστίν· (ἦν). — Conuenit sane ingeniosa haec verba obscura illustrandi ratio et consilio Apostoli, et uniuerso orationis tenori: attamen, ut id nunc mittam, Apostolum, si haec esset sententia verbis subiecta, rem obscure admodum expressisse, atque totam orationis structuram verbis ὁ δὲ μεσίτης non videri subiectum aliquod definitum, sed locum potius communem innuere; a grammatica certe verborum ratione non admodum commendari hanc interpretationem equidem existimem. Etenim primum post ἑνὸς, hoc sensu, addendum fuisset ἐκείνου; saltem articulum τοῦ ante ἑνὸς haud omiserit Apostolus. Demus enim, in voc. ἑνὸς subintelligendum esse πράγματος, atque formulam ὁ δὲ μεσίτης referendam ad Mosen, verbis, uti nunc iacent, ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς οὐκ ἐστι (omisso τοῦ siue ἐκείνου), non alius sensus subesse possit, nisi hic, isque a b. Strothii sententia prorsus alienus: Non unum fuit, nec idem consilium diuinum Mosi persequendum, sed longe plura fuere negotia, quibus ille defungeretur; qui vero sensus huc plane non pertinet. Deinde, si verba definite ad Mosen spectarent, Apostolus sine dubio non scripsisset οὐκ ἘΣΤΙΝ, sed οὐκ ἮΝ (Moses non fuit ἑνὸς cet.)

Pergimus denique ad eam sensus notatio-

nem, quam non sine plausu aliorum interpretum protulit S. V. Rosenmüller (in progr. fer. natal. Dom. 1779. et in Scholiis in N. T. T. IV. p. 326. ed nov.) Est vero haec: „Hic „internuntius (Moses) non est unius illius pro„lis Abrahami, Christi (v. 16.), sed Israelita„rum, h. e. non pertinet ex consilio diuino „munus Mosis internuntii ad illam prolem uni„cam Abrahami, cui prommissio data est sine „adiecta legis durae conditione; neque igitur „huic proli quidem derogare poterat legislatio „Mosis, inprimis cum Deus unus idemque sit „h. e. semper sibi constet, nec unquam mu„tet propositum.“ — Itaque vocem ἑνὸς respicere putat Vir Vener. ad τὸ σπέρμα, ᾧ ἐπήγγελται, v. 19. de quo dixerat Apostolus v. 16. ὡς ὑφ᾽ ἑνός: et plenius expressam sententiam fore hanc: ὁ δὲ μεσίτης τῦ ἑνὸς ἐκείνυ ὐκ ἐςι. Simili modo Paullum Ἑνὸς uti Rom. V, 17. 18. (at v. 17. expresse praefigitur artic. ΤΟΥ, et v. 18. Ἑνὸς referri potest ad παραπτώματος et δικαιώματος): ὁ δὲ esse i. q. ὗτος δὲ (sc. Μωσῆς, v. 19.) ut Matth. XII, 3. 11. 39, in formula: ὁ δὲ εἶπεν (Recte quidem; saepius occurrit haec vocis potestas: sed in illis locis ὁ δὲ est i q. ἐκεῖνος δὲ, quod ab ὗτος δὲ differt aliquantulum, ut remotius a propiori). Bene etiam monet Vir Venerandus cum aliis, voculam δὲ in ὁ δὲ Θεὸς esse posse i. q. γὰρ coll. 1 Cor. X, 1. 1 Tim. III, 5. Expedita denique omnino videtur haec loci explicatio, orationis συναφείᾳ satis accommodata, atque in plurimis ab usu loquendi haud aliena. Attamen haud pauca sunt, quae meum quidem adsensum impediant. Primum desidero ante ἑνὸς articulum τῦ vel voc.

ἐκεῖνα, quorum alterutrum, si τὸ Ἑνὸς definite accipiendum sit, abesse nequeat. Deinde facilius accesserim sententiae, qua ὁ δὲ μεσίτης extare statuitur pro οὗτος δὲ μεσίτης, si μεσίτης plane abesset, priusque membrum sic haberet: ὁ δὲ ἑνὸς οὐκ ἦν· tum vero referendum esset ad definitum μεσίτῃ subiectum v. 19: at cum post ὁ δὲ, quamuis μεσίτῃ proxime praecessisset, tamen repetatur μεσίτης, videtur utique hoc prius membrum indefinite intelligendum; idque eo magis, quod in fine membri 'ΕΣΤ'ΙΝ, non Η'Ν sequitur. Praesens quidem, inprimis participium, haud ignoro, more hebraeorum in N. T. saepius ἀορίστως loco praeteriti occurrit; at in alio prorsus sententiarum nexu. Porro enunciatio haec: „Moses non fuit internuntius Christi," ieiuna videtur; et altera, quae huic aequipollere existimatur: „legislatio Mo„sis non pertinuit ad illam prolem, cui ἐπήγγελ„ται sine durioris legis conditione," nimis quaesita. Denique nexus posterioris membri: ὁ δὲ Θεὸς εἷς ἐστι, cum priori: ὁ δὲ μεσίτης cet. ex hac interpretatione modo est in enunciatione hac: „Legislatio Mosis nil derogare potest „huic proli Abrahami," eaque non expressa, sed ex mente Viri Vener. modo implicita: qualis nexus dubito an satis certus sit. — Haec de nouis optimorum interpretum curis, et de caussis, quibus impedior, quo minus ulli earum adsentiri queam. Quarum quidem aliae videbuntur forte nimis subtiles, aliae non satis validae: sed has omnes simul sumtas me certe excusaturas spero aequis iudicibus, quod, quum summa reuerentia celeberrimos illarum sententiarum auctores omnes ac singulos pro-

sequar, in nullo tamen interpretandi genere hucusque mihi quidem cognito penitus acquiescere possim. Neque recensendis his et iudicandis aliorum sententiis temeritatis aut arrogantiae crimen mihi fecisse arbitror: nam, virium mearum imbecillitatis probe conscius, is ego plane non sum, qui ulli horum virorum incomparabilium me comparare audeam; at nouae modo interpretationis periculum facere, neglectis prorsus optimorum interpretum sententiis, nullaque dissensionis caussa allata, pudorem inhonestum admodum et intempestiuum putaui. —

Aliam igitur interpretandi rationem circumspiciens minus impeditam, incidi tandem in duplicem modum sensum verborum sententiarumque nexum rectius constituendi, quem utrumque, peritiorum interpretum iudicio rem omnem submittens, paucis nunc enarrabo. — Paullus, quaestione: *τί ἒν ὁ νόμος;* v. 19. mota, regerit: *τῶν παραβάσεων χάριν προσετέθη* — — *ἐν χειρὶ μεσίτε*, intell. Mosis. Quibus verbis spectat ad ea, quae Moses ipsa Deuter. V, 5. de se ad gentem Israeliticam dixerat: אנכי עמד בין יהוה וביניכם ex versione *τῶν* LXX: *κἀγὼ εἱστήκειν* 'ΑΝ'Α ΜΕ'ΣΟΝ *κυρίε, καὶ ὑμῶν*; quare et Philo (de vit. Mos.) expresse Mosen adpellat *μεσίτην*. Mosis igitur ministerio, inquit Apostolus, leges fuisse latas, ad coercendam vitae Israelitarum improbitatem, idololatriam cum primis, morumque ferociam. Recte quidem; sed probatione aliqua indigere primis lectoribus videri poterat haec Apostoli responsio: hanc ergo enunciati confirmationem repe-

tit Ille ex notione μεσίτε, qualis Moses fuerit, in hunc modum: ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς ἐκ ἔςιν· ὁ. δὲ Θεὸς εἷς ἐςι. Quae quidem verba, posito illo sententiarum nexu, circumscripte sic reddere et explicare liceat: „Ubi recta studia ab utra„que parte sibi constant, nullaque fit sensuum „bonorum mutatio, ibi non opus est internun„tio aliquo: at Deus semper sibi constat. Er„go (has vero rationes Apostolus lectoribus „ipsis relinquit ex verbis colligendas) necessi„tas μεσίτε Mosis non erat in Deo, sed in Is„raelitis, quibus propter peccata commissa in„ternuntio opus esset. Itaque intelligimus, „τὸ νόμον fuisse datum παραβάσεων χάριν." Quo segmenti sensu voc. ἑνὸς in genere neutro, cum Camerone, Grotio aliisque, accipitur; idque pro nom. substantiuo ἑνότης. Adiectiua vero neutra pro substantiuis poni notum est, ut σοφὸν pro σοφία, χρηςὸν pro χρηςότης, δυνατὸν pro δύναμις, idque non solum in libris sacris, sed apud auctores etiam profanos (vid. Glass, philos. sacr. Viger. de idiotism. gr. lingu. et Bauer. philol. Thucyd. Paull.). Ἓν autem idem haud raro esse, quod τὸ αὐτὸ, aeque constat; unde etiam ἓν coniungitur cum τὸ αὐτὸ 1 Cor. XI, 5. XII, 11; et voc. εἷς in altero membro esse pro: ὁ αὐτὸς in eo plerique interpretes consentiunt: quare et ἑνότης constantiam, haud mutatam rei rationem denotat Eph. IV, 3. 13. Itaque verba: ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς ἐκ ἔςι, sine dubio reddi possunt: Internuntius vero quisque non est unitatis s. constantiae, intellige: sensuum et studiorum; sed inconstantis potius et mutatae sententiae: nam, cum τὸ εἷς in altero membro de eadem constantia intelligendum sit,

nihil sane impedire mihi quidem videtur, quo minus et ἑνὸς in priori membro eodem referamus; ut sensus sit: Ubi immutata manent studia ab utraque parte, ibi non opus est internuntio. Quod quidem non intellexerim de consensu utriusque partis (quae est Grotii aliorumque sententia a S. V. Koppio iam refutata); sed de firmitate iudiciorum, et de constantia cuiusque partis per se spectatae, ut posteriora iudicia et studia prioribus ex asse respondeant: haec enim est constantia, ob quam Deus in altero membro ΕἿΣ dicitur. Eodem quidem redit denique haec interpretatio, quo Grotiana; nam ab hac ipsa cuiusque partis in sentiendo constantia mutuus ille utriusque partis consensus proficiscitur: sed graecae linguae ratio facilius ferre videtur nostram sensus notationem, quam illam, ex qua Paullo pro ἙΝΌΣ saltem scribendum fuisset: ΤΩ͂Ν ἘΝ ὌΝΤΩΝ. Possit igitur sententia in linguam patriam transferri hoc fere modo: „Wo keine „Veraenderung der Gesinnungen und Grund„saetze von beiden Seiten vorgefallen, da ist „auch kein Vermittler noethig: Gott aber ist „unveraenderlich.“ Also — — Hic abrumpit Apostolus filum orationis, et quae inde prono, ut ita dicam, alueo fluant, pro more suo, breuitatis studiosus et ad alia subinde properans, lectoribus supplenda relinquit, haec puta: „Cum in legislatione V. T. Moses μεσίτα „munere functus fuisset, neque vero Deus un„quam iudicia mutet, aut proposita: inde se„qui, ut Israelitae partibus suis iudiciisque „haud steterint, fuerintque leges datae παραβά„σεων χάριν·“ — Enimuero, utut haec inter-

pretandi ratio et usui loquendi et orationis tenori quam maxime sit accommodata, nonnullos tamen facile praeuideo iudicaturos, eam ob nimiam et dicendi et argumentandi, inprimis in voce ἑνὸς, subtilitatem ingenio Paulino non satis esse aptam, nostrique potius aeui redolere in ratiocinando et eloquendo subtilitatem, quam accurate referre mentem Apostoli et Iudaei et a scholae disciplina alieni (ἰδιώτε τῷ λόγῳ II. Cor. XI, 6.) — Neque tamen desunt caussae, eaeque grauissimae, quibus naturalis saltem et in scribendo, et in argumentis tractandis subtilitas Paullo iure vindicari possit (cf. Bauer Logic. Paullin. et b. Fuhrmann de subtilitate Paulli in argumentis tractandis, Lips. 1777. qui et ipse locum nostrum occupauit, quamuis, mea quidem sententia, non felicissime): sed nolo longius his immorari.

Itaque transeo ad alteram locum nostrum rectius tractandi et explicandi rationem, eandemque faciliorem forte et probabiliorem. Quae cum aliqua ex parte accedat ad interpretationem Castalionis, tum de hac omnino, tum, quonam modo possit id, quod in ea delicatiorem sensum offendat, minui aut emolliri, paucula praemonenda video. Castalio vero vertit: „Sequester esse solet, non unius, sed „duarum partium: atqui Deus tantum unus est, „non duo; necesse igitur est Mosen inter Deum „et Israelitas sequestrum fuisse.“ — Facillima sane et simplicissima interpretatio! neque enim de hac vi verborum, neque de sententiae veritate quisquam dubitauerit. Sed valde ieiunam illam esse, atque ab orationis contextu

prorsus alienam, cum plane non pertineat ad rem, nihilque illustret, id vero aeque nemo non intelligit. — Forsitan autem dixerit aliquis, paraphrasin modo Castellionis hanc sententiam reddere ieiunam, breuitate Apostoli ipsa non adeo nos offendente; inprimis si locus parenthesi includatur, tamquam fortuita aliqua Apostoli cogitatio a voce μεσίτυ (v. 19.) profecta, quam attingere Ille modo, non persequi, voluerit, hunc fere in modum: „Qui„libet arbiter non est unius partis: Deus au„tem modo altera pars est;“ reliquis igitur lectori relictis his: „Ergo Israelitae alteram „partem constituant necesse est, eamque cul„pae ream.“ Ita fere habet S. V. Moldenhaver (Erlaeuter. d. schwehr. Stellen d. N. T. ad h. l.). At id ipsum, quod sententiam ex hac interpretatione cum antecedentibus aliquo modo coniungit, textus non habet; ut mirum sit, in textu ipso nihil esse, quod ad rem pertineat; sed conspici demum verborum cohaerentiam in sententiis ex ingenio interpretis additis. Defendi igitur vix poterit haec Castellionis interpretatio quomodocunque informata. — Sed eadem viam tamen sternit alii, eique, ut videtur, faciliori locum explicandi rationi: tantum quod Apostolus voci Εἷς in eodem commate censendus est duplicem significationem studio tribuisse, ut verborum et ingenii lusus aliquis existeret; cuius quidem rei plura exstant in epistolis Paullinis documenta, v. c. in formula ἀποθνήσκειν τῇ ἁμαρτίᾳ Rom. VII. et in voc. οἶκος, οἰκεῖος Eph. II, 19 sqq. cet. Est vero interpretatio verborum haec: „Internuntius non est unius partis (ὁ δὲ μεσίτης

„ἑνὸς οὐκ ἐστι) h. e. requirit internuntii cuiusque „ratio duas saltem partes, quarum alterutra ali„quid commiserit; alioquin enim non opus es„set internuntio: atqui Deus semper sibi con„stat (ὁ δὲ θεὸς εἷς ἐστι) h. e. nulla unquam cul„pa in Deo haerere potest. Ergo — (quae „quidem haud expressit Apostolus, quod ad se„quentia properans paucis modo verbis et „quasi in transcursu rem omnino attingeret; „verum licet eadem ex dictis facile collige„re.) — Ergo, cum Moses fuerit μεσίτης inter „Deum et Israelitas (v. 19.), in hos solos ca„dat necesse est culpa omnis. Itaque lex da„ta est παραβάσεων χάριν·" — Ex his intelligimus, rem ipsam redire ad alteram interpretationem supra a me propositam, hoc modo discrimine, ut posterior haec videatur, meo quidem sensu, simplicior, atque Apostoli, qui saepius sententiam aliquam leuiter modo at ὡς ἐν παρόδῳ attingat, e. g. I Cor. III, 23. XI, 3. 12. Hebr. III, 4. cet., ingenio forte accommodatior priori illa, eaque subtiliori. — Forsan et ipse S. V. Semler (quod comparanti mihi paraphrasin Viri cum Eiusdem animaduersione vero haud absimile videtur,) eundem verbis Paullinis sensum subiecit, mente modo non perspicue satis declarata. —

Facillime quidem omnium quauis difficultate expediri locus possit, si sumas (quod iam Ill. Michaelis in Paraphras. ad h. l. obseruauit), integrum comma non ab ipso Apostolo, sed a iuniori manu esse profectum; quippe quod a textu plane abesse possit, saluo tamen totius sententiae sensu nexuue. Potuisse vero

glossas in textum N. T. graecum irrepere, quouis teste critico adhuc superstite multo antiquiores, neminem sane negaturum censeo, qui historiam criticam librorum sacrorum, et primi orbis Christiani omnino, diligentius tractauerit. — Sed utut haec sint, parum tamen probabilis mihi videtur illa opinio. Etenim in tanta adminiculorum criticorum copia ne ullum quidem huiusmodi interpolationis vestigium animaduertitur; omnesque contra omnino testes in lectione nostra conspirant. Neque in textu ipso ulla adparet necessitas tam violenta manu isti medendi: cum non solum tot interpretum pericula idoneum aliquem sententiarum nexum satis superque demonstrent; verum etiam ipsa obscuritas et breuitas sententiae manum potius Apostoli concise dicentis, quam glossatoris cuiusdam insulse plerumque loquacis arguat: hoc enim genus hominum haud raro in codd. N. T. inepte sedulum non breuitatis, sed nimiae potissimum prolixitatis et tenuitatis vitio laborasse constat. — Haec igitur sunt, quae post tot Virorum praestantissimorum curas ad locum hunc obscurum breuiter quidem, pro instituti ratione, nec tamen, ut spero, inutiliter dicenda putarem. Suo quisque iam iudicio utatur, reiiciat, eligat, demat, addat prout ingenii ratio tulerit. Nostrum modo erat, interpretandi facultatem qualicunque opera nostra, quantum per vires liceret, adiuuare.

Pergo nunc ad ea, quorum caussa haec a me scripta sunt. Nempe Professoris Theologiae Publici Ordinarii munere in hac Litera-

rum Uniuersitate a Perillustribus Eiusdem Dominis Curatoribus gratiose mihi demandato gratus mihi piusque animus sollemni oratione declarandus est. Quo officio ut me exsoluam, dicturus sum, volente Deo, die XXX. m. Martii hor. X. ante meridiem in Auditorio Theologico, de iusto discrimine theologiae biblicae, quam vocant, atque dogmaticae, regundisque recte utriusque finibus. Quam sollemnitatem ut praesentia sua ornent, et dicenti mihi faueant, Magnificum Academiae Dominum Rectorem, generosissimum oppidi agrique Altorfini Dominum Praefectum, Patres huius literarum Universitatis summe reverendos, Iurisconsultissimmos, experientissimos amplissimos, Cives denique generosissimos praenobilissimosque, omni, qua par est, obseruantia enixe oro rogoque. Scripsi Altorfi, d. XXVIII. Mart. A. R. S. CIↃIↃCCLXXXVII.

IV.

De iusto discrimine theologiae biblicae et dogmaticae regundisque recte utriusque finibus.

Oratio,

qua recitata
D. XXX. Mart. CIↃIↃCCLXXXVII.
munus
Professoris Theologiae Ordinarii
in Alma Altorfina
adiit
M. Ioannes Philippus Gabler.

Magnifice Domine, Academiae Rector;
Generosissime Dom. oppidi agrique huius Praefecte;
Viri summe reverendi, consultissimi,
experientissimi, amplissimi,
Professores omnium ordinum excellentissimi celeberrimique,
Fautores optimi, Collegae coniunctissimi;
Tuque et generis et virtutis nobilitate
lectissima Studiosorum cohors;
Auditores omnium ordinum ornatissimi, spectatissimi!

Libros sacros nouae praesertim formulae, unum illum et limpidissimum esse fontem, ex quo ve-

ra omnis et certa religionis Christianae cognitio haurienda sit; sacrumque illud Palladium, ad quod in tanta humanae scientiae et ambiguitate et vicissitudine unice confugiendum nobis sit, si ad solidam rerum diuinarum intelligentiam adspiremus, velimusque certam firmamque salutis spem concipere: id quidem, Auditores Spectatissimi, uno et consentiente ore Christianis sacris addicti profitentur omnes. — Sed unde in hoc consensu tot sententiarum in religione ipsa diuortia? unde tam funesta partium discidia? Scilicet proficiscitur haec dissensio ab ipsarum sacrarum scripturarum in nonnullis locis obscuritate; scilicet a praua illa consuetudine, sua sensa et iudicia inferendi in hos libros, vel a seruili ratione eos interpretandi; scilicet a neglecto discrimine religionis et theologiae; denique a male mixta theologiae biblicae simplicitate et facilitate cum theologiae dogmaticae et subtilitate et severitate.

Etenim libros sacros multis in locis, sive verba spectemus, siue res ipsas, summa haud raro tegi obscuritate, id sane non est, quod multis verbis demonstrem; nam et res ipsa loquitur, et clamant tot irriti interpretum labores. Cuius rei plures caussae sunt, tum ab ipsa rerum in his libris traditarum natura ac indole, tum ab insolentia verborum, et universi dicendi generis, tum a ratione temporum et morum a nostris valde diuersa, tum denique ab inscitia multorum hos libros siue ex antiqua consuetudine omnino, siue ex usu loquendi cuique scriptori proprio recte interpre-

tandi. Has vero caussas enarrare omnes ac singulas, hoc quidem loco nil attinet; cum per se pateat, ex hac scripturarum sacrarum obscuritate, undecunque illa fluxerit, non posse non magnam exoriri sententiarum varietatem. — Quam aduersam religionis nostrae sortem auxit etiam infaustus ille multorum ausus adfingendi temere ipsis sacris scriptoribus suas quasque opiniones vel leuissimas. Scilicet firmare hi student opinionum leuitatem sacrorum auctorum grauitate: est enim omnino aliquid, commentis suis humanis diuinam aliquam induere speciem. Quam vim non ii modo libris sacris inferre existimandi sunt, quos recte interpretandi facultate prorsus destitutos sciamus; verum etiam sagacissimos saepe, harumque rerum peritissimos, interpretes eo delabi animaduertimus, ut, neglectis iustae interpretationis legibus, suo ipsorum ingenio nimis indulgeant. Neque eos denique apte et legitime eruere e sacris scripturis placita sua putemus, qui ipsis verbis sacris utantur: accidit enim saepenumero, ut, cum in verbis haereant, nec ad usum loquendi scriptoribus sacris proprium attendant, aliud quiduis potius, quam verum sensum horum auctorum exprimant. Nam si metaphoras, ut hoc uno utar, cum puluisculo excutiunt, ubi res ad uniuersas notiones reuocanda est, inferunt sane sensum iidem, qui efferre eundem ex libris sacris sibi persuadent *).

*) Legi in hanc caussam cum primis merentur, quae vere et docte obseruauit b. Ernestius,

Alia, eaque grauis, dissensus caussa est in neglecto religionis a Theologia discrimine; nam si, quod theologiae proprium est, id alii ad religionem ipsam referunt, amplissimum hic, facile intelligimus, acerrimis sententiarum diuortiis locum esse, iisque eo funestioribus, quo aegrius quisque, quae ad religionem ipsam referat, eripi sibi patiatur. Multum vero interesse religionem inter et theologiam, post Ernestium, Semlerum, Tellerum, Spaldingium, Toellnerum, aliosque, nuper egregie docuit Tittmannus *), Vir Venerabilis. Est enim, ut cum verbis Viri Summi loquar, religio doctrina diuina in scripturis tradita; docens, quid quisque Christianus et scire et credere et facere debeat ad tenendam huius et futurae vitae felicitatem. Est igitur religio scientia popularis et perspicua; sed theologia est scientia subtilis, erudita, multarumque artium comitatu circumfusa, eademque non modo e sacra scriptura, sed etiam aliunde, ex philosophiae praesertim et historiarum ambitu, petita: estque adeo disciplina arte et ingenio humano elaborata, ab obser-

---

vir immortalis, in commentatione: pro grammatica interpretatione libror. sacror., et: de vanitate philosophantium in interpretatione libror. sacr. Opusc. philolog. ed II. p. 219 sqq. et Morus, Vir summus, in prolus. de discrimine sensus et significationis in interpretando. Lips. 1777.

*) Progr. de discrimine theologiae et religionis. Viteberg. 1782.

vandi diligentia et assiduitate profecta, variasque cum reliquis disciplinis mutationes experta: nec modo res tractat religioni Christianae proprias; verum etiam, quaecunque aliquo modo cum iis coniuncta sunt, et diligentius et uberius exponit, locumque denique facit dialecticae subtilitati et seueritati. Sed hanc literarum et historiarum copiam non capit religionis popularitas.

Aluit tandem, et, proh dolor, diutius alet tristia haec animorum dissidia infelix illud studium miscendi res plane diuersas, theologiae puta biblicae, quam vocant, simplicitatem cum theologiae dogmaticae subtilitate; cum tamen altera ab altera accuratius, quam quidem hucusque fieri a plerisque soleret, distinguenda mihi videatur. — Cuius quidem rei quae necessitas statuenda sit, quiue tenendus modus: hoc ipsum est, quod, quantum per virium imbecillitatem liceat, quamque fieri possit, breuissime hac oratione mea exponere apud animum constitui. — Veniam igitur Vestram A. O. O. H. vehementer mihi expeto, atque, ut dicenti mihi aures mentesque praebeatis beneuolas, Vestraque humanitate timidius mihi de rebus grauibus commentanti animum addatis, Vos omnes ac singulos ea, qua decet, obseruantia, ita ut magis ex animo plane non possim, oro rogoque.

Est vero theologia biblica e genere historico, tradens, quid scriptores sacri de rebus diuinis senserint; theologia contra dogmatica

e genere didactico, docens, quid theologus quisque pro ingenii modulo, vel temporis, aetatis, loci, sectae, scholae, similiumque id genus aliorum, ratione super rebus diuinis philosophetur. Illa, cum historici sit argumenti, per se spectata semper sibi constat (quamquam et ipsa, arte elaborata, aliter ab aliis fingatur): haec vero cum reliquis disciplinis humanis multiplici conuersioni est obnoxia: id quod constans et perpetua tot seculorum obseruatio satis superque demonstrat. Quantum enim differunt a primis iam religionis Christianae initiis Ecclesiae doctorum, Patres vocant, pro aetatis coelique varietate, systemata! Nam et theologiae suam esse historia docet et chronologiam et geographiam. Quantum ab antiqua hac disciplina discrepat theologia scholastica medii aeui spissa barbariei caligine tecti! Neque, postquam ex his tenebris emerserat doctrinae salutaris lux, sublatum penitus fuit vel in ipsa repurgata ecclesia, ut Socinianorum et Arminianorum partes transeam, omne theologicae disciplinae discrimen. Alia enim est, ut in ecclesia Lutherana subsistam, disciplina Chemnitii et Gerhardi, alia Calovii; alia Musaei et Baieri, Buddei alia, alia Pfaffii et Moshemii, alia Baumgartenii, Carpovii alia, alia Michaelis et Heilmanni, alia Ernestii et Zachariae, Telleri alia, alia Walchii et Carpzovii, Semleri alia, alia denique Doederlini. Sed sacri profecto scriptores non ita sunt versipelles, ut possint adeo iidem variam hanc disciplinae theologicae speciem ac formam induere. Quod quidem non eo dictum esse volo, ut

omnia incerta in theologia et dubia habeantur, aut mero arbitrio humano cuncta permittantur; sed eo tantum valeant hactenus dicta, ut diuina ab humanis diligenter dignoscamus, discrimen aliquod theologiae biblicae et dogmaticae statuamus, atque secretis iis, quae in libris sacris proxime ad illa tempora, illosque homines spectent, eas modo notiones puras, quas prouidentia diuina omnium locorum et temporum esse voluit, philosophiae nostrae super religione fundamenti loco substernamus, finesque adeo diuinae sapientiae et humanae curatius signemus. Sic demum Theologia nostra certior fiet firmiorque, nihilque ei amplius metuendum erit a saeuissimo quoque hostium impetu. Defunctus quidem cum laude iam est hac prouincia b. Zachariae *): quantum vero id sit, quod aliis reliquerit emendandum, rectius definiendum, atque amplificandum, vix est, quod moneam. Redit autem res omnis eo, ut partim iustum modum notionum auctorum sacrorum caute informandarum recte teneamus; partim earum usum dogmaticum, huiusque fines rite constituamus.

Primum igitur est in hac re grauissima, ut notiones sacras diligenter colligamus, atque, si non sint in sacris scripturis expressae, eas ex collatis inuicem locis conformemus ipsi. Quod quo felicius procedat, nec quidquam temere aut cupide agatur, multiplici sane cau-

*) In libro notissimo ab eo inscripto: Biblische Theologie.

tione opus est atque circumspectione. Ante omnia attendendum erit hoc: in his libris sacris non unius viri sententias contineri, nec unius eiusdemque aetatis aut religionis. Sunt quidem scriptores sacri omnes viri diuini, atque auctoritate diuina muniti; sed non omnes eamdem religiouis formam spectant: alii sunt doctores antiquae, eiusdemque elementaris, formulae, quam Paullus ipse πτωχῶν στοιχείων nomine designat; alii sunt recentioris et melioris formulae Christianae. Itaque sacri auctores, quantumuis pari reuerentia propter auctoritatem diuinam ipsorum scriptis impressam a nobis colendi sint, non omnes tamen in eodem loco, si dogmaticum usum spectamus, haberi possunt. Neque omnino θεοπνευστίαν delevisse in viro quoque sancto propriam ingenii vim et naturalis rerum intelligentiae modum, hoc sane multis verbis non eget. Denique cum, hoc quidem loco, id modo quaeratur, quid quisque horum virorum de rebus diuinis senserit, atque hoc possit, nulla auctoritatis diuinae ratione habita, ex ipsis eorum libris intelligi, satius omnino esse equidem existimem, ne quicquam, quod probatione aliqua egeat, ut concessum sumere videamur, in hac prima quaestione, ubi nihil referat, qua auctoritate hi viri scripserint, sed quid senserint, hunc diuinae inspirationis locum plane praetermittere, eumque tum demum occupare, ubi de usu dogmatico notionum biblicarum agatur. — Quae cum ita sint, seiungamus necesse est, nisi in cassum laborare velimus, singulas religionis antiquae et nouae periodos, singulos auctores, singula denique dicendi genera, qui-

bus quisque pro ratione temporis et loci usus fuerit; sitne genus historicum, an didacticum, an poeticum. Quam viam rectam, etsi molestam et parum iucundam, si deserimus, fieri non potest, quin ad deuia quaeuis et incerta aberremus. Colligendae igitur sunt sedulo, et in suum quaeque locum digerendae notiones singulorum, Patriarcharum, Mosis, Dauidis et Salomonis, Prophetarum, et quidem singulatim, Esaiae, Ieremiae, Ezechielis, Danielis, Hoseae, Zachariae, Haggai, Malachiae, et reliquorum; nec contemnendi ad hos usus sunt multis de caussis libri apocryphi: deinde e nouae formulae epocha notiones Iesu, Paulli, Petri, Iohannis, Iacobi. Quod negotium duabus potissimum partibus absoluitur: altera est in legitima locorum huc pertinentium interpretatione; altera in diligenti notionum auctorum sacrorum omnium inter se comparatione.

Prior quidem pars plurimum habet difficultatis *). Nam non modo ratio hic habenda est usus loquendi, tum communis, qui est in N. T. et hebraeo-graecus et graecus illius temporis vulgaris, tum eius, qui cuique scriptori proprius est; atque adeo significationis, quae in certo aliquo loco sola obtineat, siue

---

*) Qua de re egregie nos monuit b. Ernestius, in commentatt. de difficultatibus N. T. recte interpretandi; et: de difficultate interpretationis grammaticae N. T. Opusc. philol. ed. II. p. 198 sqq. et p. 252 sqq.

laxior illa sit, sive angustior, addita simul ratione huius diuersitatis, et declarata, si fieri possit, communi illa notione, in qua plures eiusdem vocis significatus conueniant *): verum etiam ipsius sententiae vis et ratio indaganda est; quae prima sit verbi notio, quaeue ei modo adiuncta. Neque enim cauto interpreti subsistendum est in notione primaria verbo subiecta, sed pergendum etiam ad secundariam, quae vel ab aetate, vel ab ingenio, vel a disciplina verbo adiuncta sit, atque hac ipsa de caussa inter insigniores referenda. — Deinde spectanda est proprietas aut improprietas vocis; in qua quidem re peccatur potissimum: ne in tropis haerentes noua dogmata procudamus, de quibus ne cogitauerint quidem auctores. Id quod saepe est non modo in libris poeticis aut propheticis; verum etiam in Apostolorum scriptis, ubi haec improprietas verborum repetenda est vel ab ingenii fecunditate, vel ab aduersariorum consuetudine, vel ab usu vocabuli primis lectoribus familiari **). Facit huc plurimum, si plures eiusdem auctoris, veluti Paulli, sententias inter se diligenter contendimus, et comparandis rebus et verbis multos locos, qui varie expressam

---

*) In qua quidem cognatione significationum eiusdem verbi indaganda quae cautio adhibenda sit, docuit S. V. Morus in prolus. de nexu significationum eiusdem verbi. Lips. 1776.

**) f. disp. de discernenda propria et tropica dictione praes. s. v. Noesselt. Hal. 1762.

exhibent eandem sententiam, ad unam hanc notionem et rem reuocamus: id quod nuper egregie et demonstrauit et illustrauit Morus *) Vir summus, cuius nomen elogium est. — Denique probe dispiciendum est, utrum Apostolus suis, an aliorum verbis loquatur; utrum sententiam aliquam illustrare modo, an vero demonstrare animus illi sit; et si hoc velit, repetatne argumentum ex ipsa doctrinae salutaris interna natura ac indole, an ex effatis librorum veteris formulae, et quidem accommodate ad sensum primorum lectorum. Quamquam enim sententiae Apostolorum nostram fidem ita merentur, ut carere facile possimus quacunque eorumdem argumentatione, primi tamen lectores argumenta desiderabant, eaque apta sensibus suis atque iudiciis. Multum igitur interest, utrum Apostolus sententiam aliquam proponat ceu partem doctrinae Christianae; an potius illa sit ad necessitatem illius temporis conformata, atque solarum praemissarum, quas Logici vocant, loco habenda. Quodsi haec omnia recte teneamus, tum demum eliciemus veras notiones sacras auctori cuique familiares; non quidem omnes (his enim non locus erat in iis, qui ad nos peruenere, libris), sed illas modo, quas scribendi occasio aut necessitas animis ipsorum excusserat, nihilo tamen secius sat multas, atque eius

---

*) Egit hoc Vir summus tum in disp. de notionibus universis in Theologia; tum in progr. de utilitate notionum universarum in Theologia. Lips. 1782.

haud raro generis, ut reliquae omissae haud difficulter colligi inde queant, si vel constituant unicum principium sententiarum expresse declaratarum, vel necessaria aliqua consecutione sint cum illis coniunctae: quae tamen res multum habet cautionis.

Quo facto transeundum demum est ad alteram negotii partem, diligentem scilicet et sobriam variarum utrique formulae addictarum partium inter se contentionem. Itaque subiiciendae sunt, facem praeferente Moro, Viro Summo, singulae sententiae notionibus universis, praesertim iis, quae in hoc vel illo S. S. loco legantur expressae, hac tamen lege, ut suae cuique aetati, religionis formulae, prouinciae, ac ingenio constent notiones; neque inter se misceantur, quae quacunque de caussa a se inuicem sint disiuncta. Quae cautio si negligatur, fieri non poterit, quin notionum universarum beneficium in summum cedat veritatis detrimentum, omnemque operam in eruendis sollicite singulorum auctorum sententiis ante collocatam inanem reddat et destruat. Sin autem haec comparatio ope notionum universarum ita instituatur, ut suum cuique maneat integrum, atque, in quo singuli amice conueniant, aut a se inuicem discrepent, clare pateat; tum demum laeta erit purae nec alienis mixtae theologiae biblicae facies, atque habebimus tandem tale systema theologiae biblicae, quale cum laude eloborauit Tiedemannus philosophiae stoicae.

His igitur sententiis virorum diuinorum e

scripturis sacris diligenter collectis, apte digestis, ad notiones uniuersas caute reuocatis, atque sollicite inter se comparatis institui cum fructu poterit quaestio de usu illarum dogmatico, regundisque recte utriusque theologiae et biblicae et dogmaticae finibus. Quo nomine disquirendum est potissimum, quaenam sententiae spectent ad constantem doctrinae Christianae formulam, atque adeo ad nos ipsos pertineant; quaeue modo hominibus certi cuiusdam aeui aut formulae dicta sint. Constat enim inter omnes, non uniuersum sacrarum literarum argumentum destinatum esse cuiuscunque generis hominibus; sed magnam earum partem certo potius cuidam tempori, loco ac generi hominum ex ipso Dei consilio fuisse adstrictam. Quis quaeso ritus Mosaicos a Christo iam abrogatos; quis Paulli monita de velandis in concione sacra feminis ad nostra tempora referat? Mosaicae ergo formulae notiones neque a Iesu eiusque Apostolis, neque a ratione ipsa confirmatae nullius erunt usus dogmatici. Pari ratione indagandum sedulo est, quid in libris N. T. accommodate ad notiones aut necessitates primi orbis Christiani dictum sit, quidue referendum ad constantem salutaris doctrinae typum; quid in effatis Apostolorum vere diuinum sit, quidue forte mere humanum. — Atque hoc loco incidit tandem peropportune quaestio de modo ac ratione θεοπνευςίας. Quae caussa sane difficillima minus recte, meo quidem sensu, instruitur ex iis dictis Apostolorum, in quibus afflatus cuiusdam diuini mentionem faciunt: cum non solum singula haec loca multum obscuritatis ha-

beant, et ambiguitatis; verum etiam cauendum nobis sit, si cum ratione, nec temere aut cupide in his rebus versari velimus, ne ultra iustos limites hos sensus Apostolorum transferamus, praesertim cum sola rerum effecta, non caussae, sensibus percipiantur. Sed, si quid iudico, res omnis conficienda est ex sola obseruatione exegetica, eaque perpetua et diligenti, atque collata eadem cum disertis Servatoris nostri in hanc caussam promissis: quo demum certo efficiatur, utrum omnes omnino cuiuscunque generis ac modi sententiae Apostolorum sint vere diuinae, an potius nonnullae, quae quidem ad salutem nil referant, ipsi eorum ingenio fuerint relictae.

Haec igitur omnia simulatque recte obseruata, ac diligenter constituta fuerint, erunt tandem illa S. S. selecta atque perspicua, eademque haud dubiae lectionis, loca, quae ad religionem omnium temporum Christianam pertineant, exhibeantque claris verbis formulam fidei vere diuinam, dicta veri nominis classica, quae possint fundamenti loco subtiliori obseruationi dogmaticae substerni. Ex his enim solis erui possunt haud dubie certae illae et indubitatae notiones universae, quae unice usum habent in theologia dogmatica. — Quae notiones universae si iusta interpretatione ex illis dictis classicis euoluuntur, euolutae diligenter inter se comparantur, comparatae suo quaeque loco apte ita disponuntur, ut commodus et probabilis doctrinarum vere diuinarum nexus ac ordo existat; tum vero resultat theologia biblica, ex significatione quidem vocis pressio-

ri, quam b. Zachariae in adornando opere notissimo secutum esse nouimus. Atque his firmis theologiae biblicae, hoc pressiori quidem sensu acceptae, fundamentis eo, quem hactenus descripsimus, modo iactis superstruenda tandem est, nisi incertas rationes sequi velimus, theologia dogmatica, eaque nostris temporibus accommodata. Efflagitat autem aeui nostri ratio, ut tum dogmatum diuinorum consensum cum decretis rationis humanae accurate doceamus, tum, qua fieri possit, arte et sollertia singula doctrinae capita ita elaboremus, ut neque subtilitas, siue in locis apte disponendis, siue in argumentis recte tractandis, neque elegantia in universo habitu ac forma, neque humanae sapientiae, philosophiae cum primis et historiarum, copia ulla in parte desideretur. — Itaque varia esse debet theologiae dogmaticae, cum proprie sit philosophia Christiana *), ratio et forma pro varietate et philosophiae, et omnino sensus humani de eo, quod subtile sit, quod eruditum, quod aptum et commodum, quod elegans denique et venustum: eadem tamen manente in tanta scientiarum commutatione ipsa theologia biblica, quatenus scilicet modo tractet, quae viri diuini de rebus ad religionem pertinentibus senserint, nec ad nostros sensus sit conficta.

Quae cum ita sint, A. O. O. H. intelligimus,

---

*) cf. Toellner theologische Untersuchungen St. 1. p. 264 sqq.

quantum in perficiendis disciplinis theologicis, si solidam quidem doctrinam adpetamus, nobis adhuc elaborandum sit; at vero etiam, ad quantum perfectionis fastigium euehi illae possint, modo rectam certamque earum excolendarum viam et rationem teneamus. Et hanc meliorem, quae mihi videatur, viam recte monstrare, idoneumque has res tractandi modum curatius describere; id vero erat, quod mihi dicturo hodie proponerem: quo tandem successu id egerim, iam iudicate ipsi! — Nihil, ut vidistis, in rebus ipsis definire ausus sum; neque, nisi post multorum annorum usum et obseruationem, quidquam in his definiam: hoc enim non tironum est, sed veteranorum. Spectauit potius oratio omnis ad solam methodum theologiae biblicae certius et cautius instruendae, rectiusque designandorum illius finium: atque aliis modo harum rerum intelligentioribus auctor suasorque existere volui, ut, quibus me ipse imparem sentiam, hac quidem via a me descripta tentent, perficiant; dummodo id fiat cum modestia et reuerentia erga Deum, religionem et sacras scripturas, ac sine nouandi temeraria libidine et festinatione. Optandum vero est propter ipsius religionis integritatem et sanctitatem, ut theologiae scientia et biblica et dogmatica in dies laetius efflorescat!

Restat nunc, ut, erepto rebus humanis Viro Summe Reuerendo D. Ioanne Augustino Dietelmair, Theologo de hac academia et ecclesia meritissimo, singulari gratia Perillustrium Dominorum Academiae

nostrae Curatorum ex remotissimis Germaniae terris ad theologiam in celebri hac bonarum literarum Universitate publice profitendam euocatus, atque tot tantisque beneficiis cumulatus, pium gratumque animum testificer. Nihil igitur magis in votis habeo, quam ut sub clementissimis Augustissimi Imperatoris Iosephi II. auspiciis in dies crescat et augeatur inclyta Norimbergensium Respublica. — Adsit Summum Numen prouida sua cura Splendidissimo inclytae huius reipubl. Senatui, ut felicissimus sit prudentissimorum consiliorum exitus, omniaque vergant in Ipsorum Virorum Perillustrum salutem, gentiumque splendididissimarum incolumitatem. — Adfulgeat gratia diuina Perillustribus cum primis huius Academiae Curatoribus, Dominis meis gratiosissimis, atque meritorum gloria non minus, quam stemmatis splendore conspicuis, qui non solum amplissimo hoc loco in Venerabili Theologorum Ordine gratiose mihi concesso, verum etiam ingenti aliorum beneficiorum cumulo, aeque ac Perillustres Domini Provinciales, tantopere me Sibi deuinxerunt, ut referendis debitis gratiis per omnem vitam me imparem sentiam. Retribuat igitur Deus T. O. M., quae ipse quidem reddere haud valeam; atque Illis accedere iubeat summam exoptatissimamque rerum omnium prosperitatem. Faxit denique, ut, quaecunque in salutem academiae nostrae ceperint, consilia ad exitum pertingant longe felicissimum. Id vero agam sedulo, tuendis pro viribus, si Deus vitam concesserit, singulis officii

mei partibus, ut non apud ingratum beneficia collocasse Viri Perillustres intelligant.

Ad Te me nunc conuerto, Magnifice Domine, Academiae Rector *). Tanta vero Tua sunt in me merita; tanta et tam singularia hucusque in me extare iussisti insignis Tui fauoris et beneuolentiae specimina, ut nunquam non sanctissima mihi futura sit Venerandi Nominis Tui memoria. Dignas quidem tanto fauore, quem Tremoniae iam expertus sum, gratias tibi, Vir Magnifice, persoluere non possum; si quid autem in me est, quod me in posterum aliqua ex parte Tibi commendare possit, est profecto pius, quo Te veneror, animus, qui Supremum Numen, ut, quae pro Te concepit, vota rata esse iubeat, ardentissimis implorare precibus nunquam desinet: Velit Deus O. M. Te, insigne academiae nostrae decus et ornamentum, mihique fautorem optimum, ad seros usque annos saluum seruare atque incolumem, tantaque Te nunquam non beare prosperitate, quae nonnisi largissimam mihi bonisque omnibus suppeditare possit, laetandi, Tibique et Academiae uniuersae gratulandi, materiem. —

*) Sceptra academiae nunc tenet Vir Excellentissimus atque Amplissimus Georgius Andreas Will, Vir celeberrimus, et de hac Academia et de rebus Norimbergensibus omnino longe meritissimus, Fautor mihi optimus.

Utinam praesentem venerari liceat Magnificum huius Academiae Procancellarium, Virum, cum de omni re literaria, tum de hac literarum Universitate longe meritissimum. Faxit Deus, ut in commodum rei et publicae et literariae quam diutissime splendidam suam ornet prouinciam, atque fructus tam egregii in rem patriam studii percipiat uberrimos.

Eadem precor tibi, Generossime Domine, Oppidi agrique huius Praefecte, in quo, animi humanitatem, an muneris grauitatem magis venerer, nescio. Me enim aduenientem tanta excepisti beneuolentia, ac si iam diu de academia et ecclesia bene essem meritus, tantoque me hucusque amplexus es fauore, ut me teneas Tibi obstrictissimum. Seruet Te Deus cum generosissima gente quam diutissime, cumuletque Te quouis felicitatis genere.

Ad vos tandem deflectit oratio, Professores omnium Ordinum Excellentissimi, Celeberrimique, Favtores atque Collegae Honoratissimi, Exoptatissimi; Vosque praesertim, Viri summe reverendi, Venerando Theologorum Ordini adscripti. Ex quo huc aduenissem, tanta me excepistis humanitate, Vosque mihi beneuolos adeo praestitistis atque amicos, ut suauissimum hoc, quod Vobiscum me coniunxit, vinculum in summa vitae meae felicitate collocem. Credite, rogo, me, ut nunquam beneficiorum immemorem, ita et beatissimum me reputatu-

rum, si quocunque officii genere Vestram et in futurum demereri, demeritamque seruare possim amicitiam. Fortunet Deus, hoc impense precor, res Vestras et priuatas et publicas: seruet atque confirmet vires Vestras per longissimam annorum seriem, ut quam diutissime gratulari sibi possit haec academia de tantis Viris, fama meritisque celebratissimis.

Vobis denique, Commilitones Ornatissimi, pro tanto Vestro in me amore, quem mihi toties probastis, gratissimum animum profiteor, atque quoduis officiorum studiorumque genus laetus gratusque offero. Adiuuet Deus Vestra literarum studia, ut patriae nunc spes, ipsius quondam splendeatis decus ac ornamentum!

Faxit Supremum Numen, ut uniuersa haec Academia magis magisque floreat, vigeat! Dixi!

S y n o

ffenbach

cod. Uffenb. c

ribus codd. rece huic codd. Uffenbach. inter

ntra Alexandr. . superstites *propriae*.

xt. recept.

o δυνάμεων αὐτοῦ, habet: δυνά-

iss. αὐτοῦ (Vindob. Lambec. 34.


nctis notat.)

κρεῖττων, habet: κρεῖττον (sc.

διαμένεις, habet: δ

pum codd. D. E. (si o παρ' αὐτοὺς, habet: παρ' αὐ-

תן in alleg. Ps.)



V.

Dissertatio theologica inauguralis de Iacobo, epistolae eidem adscriptae auctore.

Quam
ex auctoritate
venerandi theologorum
ordinis
pro
summis in theologia honoribus rite capessendis
a. d. XXI. M. Iun. A. s. R. MDCCLXXXVII.
publice disceptandam
proponit
M. Ioannes Philippus Gabler,
Theol. P. P. O. et V. D. M.

Altorf.

Prooemium.

Multum sane hucusque vel a primis inde ecclesiae Christianae temporibus disputatum est,

quis e tribus istis Iacobis, quos libri N. T. commemorant, auctor sit epistolae Catholicae, quae in ipsa fronte nomen Iacobi gerit: sitne is Zebedaei filius, an Alphaei, an alius ab utroque diversus, isque germanus frater Servatoris nostri Iesu Christi, an denique hic Iacobus ὁ ἀδελφὸς τοῦ κυρίου idem sit cum Alphaei filio, eodemque consobrino Iesu Servatoris. Parum equidem referre crediderim hanc quaestionem sive ad religionem ipsam, sive ad auctoritatem illius epistolae canonicam universe, cum Iacobus ὁ ἀδελφὸς τοῦ κυρίου, si vel maxime diversus sit a Iocobo, Aphaei filio, ab ipso Paullo στῦλος ecclesiae Christianae adpelletur (Gal. II, 9. coll. I, 19.), atque magnam et vere apostolicam in coetu Hierosolymitano auctoritatem prae se tulisse tum ex societate Petri et Iohannis, tum ex universi contextus, collati quidem cum Actor. XV, 13. sqq., ratione censendus sit. Pertinere potius disputatio videtur ad solam ἀκρίβειαν historicam et criticam; neque igitur acriter perstringendos esse existimo, vel adeo levitatis, aut pertinaciae, aut ignorantiae accusandos, qui unam vel alteram partem sequantur: modo alterius quisque partis argumenta teneat; neque cupide aut temere iudicio suo insistat, neque alto supercilio, qnod illiberale puto, alteram partem contemnat. Quamquam vero religio ipsa nihil neque emolumenti, neque detrimenti ex illa quaestione capiat, eam tamen minime superfluam esse, vel usu suo carere puto: adiuvat enim non modo iudicium criticum in constituenda historia ipsius epistolae; verum etiam firmius adeo stabilitur auctoritas eiusdem canonica, si Iaco-

bus, Alphaei filius, isque apostolus, auctor illius demonstretur. Res igitur eo redit potissimum, utrum Iacobus ὁ ἀδελφὸς τοῦ κυρίου et Iacobus Alphaei filius iidem sint, an a se invicem differant. Potest quidem haec res, meo saltem iudicio, certo non confici, si aequa lance singula argumenta ab utraque parte ponderemus; sed multo probabilius tamen uterque ille Iacobus pro eodem haberi, quam invicem distingui mihi videtur: quae et communissima hucusque fuit optimorum interpretum sententia. At coepit haec ab aliquo tempore sperni, duce cumprimis Herdero, Viro celeberrimo, sequente eum Niemeyero, et nuperrime Pottio, quippe qui Iacobum τὸν ἀδελφὸν τοῦ κυρίου non modo a Iacobo, Alphaei filio, probe distinguendum, verum etiam pro auctore istius epistolae declarandum esse praecipiunt. Neque desunt gravia argumenta, quibus hi viri opinionem suam corroborent: veruntamen non tanti ponderis haec mihi videntur, ut communis altera sententia abiicienda prorsus sit; multa potius, eaque gravioris momenti, obstant, quo minus opinioni illi ab his viris tamen egregie exornatae adsensum praebere, eoque adduci possim, ut vulgarem sententiam tamquam inanem, firmoque nullo argumento corroboratam, reiiciam.

Itaque haud inutilem laborem iudicavi, hoc libello, quantum quidem per temporis, a reliquis duplicis muneris mei partibus parce admodum mihi demensi, brevitatem, et ipsius adeo scriptionis academicae angustias liceret, a communi hac interpretum sententia contemtus

iniusti maculam abstergere, imo maiorem prae altera probabilitatis speciem ei conciliare. Parum quidem novi, haud diffiteor, in quaestione tantopere iam ab utraque parte agitata ad hanc rem afferam; attamen nova argumentorum in utramque partem collocatione et placida discussione novi certe luminis aliquid ad hanc caussam accessurum spero. Neque denique video, cur nobis vitio vertatur, si alteri parti liceat caussam suam non sine pompa in scenam publicam producere, et nostram tueri, atque oppositam sententiam modeste examinare. Valeat igitur et in hac caussa critica tritum illud: Audiatur et altera pars! — Distribuetur autem hic libellus in duas partes, quarum quidem altera versabitur in quaestione: Utrum Iacobus ὁ ἀδελφὸς τοῦ κυρίου idem sit, qui Iacobus Alphaei filius, an hic ab illo differat? altera vero disquiret: quisnam e tribus illis Iacobis auctor sit epistolae catholicae? In parte libelli priori hunc servabimus ordinem, ut primum graviora argumenta proferamus, quibus Iacobum τ. ἀδελφ. τ. κυρ. et Iacobum Alph. fil. unum eundemque esse efficiatur, atque diluamus dubia, quae singulis illis obiecta sunt, doceamusque, quo iure uterque unus idemque statui possit; deinde argumenta, quibus opposita sententia de Iacobo fratre germano Iesu firmetur, candide exponamus et modeste examinemus; denique graviora nonnulla dubia addamus, quibus haec opinio, nisi refellatur, probabilitatis tamen specie exuatur. In parte vero posteriori ita versabimur, ut tum demonstremus, Iacobum Zebedaei filium auctorem illius epistolae esse non posse; tum

doceamus, si invicem differant Iacobus ὁ ἀδελφ. τ. κυρ. et Iacobus Alph. filius, illi, non huic, has literas esse adscribendas; sin autem non sunt diversi, quod ex parte priori libelli quam maxime probabile fieri spero, Iacobum, Alph. filium, qui et ipse sit ille ἀδελφὸς τ. κυρίου, pro auctore epistolae esse habendum. Haec fere erit libelli ratio. —

Quo vero brevitati studeam in ipso libello, nec laudandis ad singula capita locis antiquiorum et recentiorum auctorum, inprimis Patrum, lectoribus molestus fiam, aut vanae ostentationis crimen subeam (facile enim est in his rebus toties a viris doctissimis tractatis magnae alicuius doctrinae fucum imperitis facere), neque denique videar cum viris doctis decertare velle, quos plurimum venerer, cum mihi potius unice res sit cum rebus et argumentis: in his solis sic versari apud animum constitui, ut, quantum fieri possit, ab allegandis variorum et sententiis, et testimoniis, primae inprimis ecclesiae doctorum s. Patrum, omnique literaria, ut ita dicam, abundantia abstineam, atque sola argumenta, undecunque illa profecta fuerint, eaque non omnia, sed graviora modo, ab utraque parte sollicite colligam atque examinem. Ut vero alii habeant, unde hanc copiam literariam haurire queant, haud abs re esse puto, in ipso limine libelli significare potiora illa praesidia. Stant autem a nostra parte praeter Lardnerum in Credibility of de Gospel history supplem. Vol. III. Pearson in Expositione symb. Apost. p. 312. sqq. Ma-

ius in Examine histor. crit. textus N. T. Rich. Simonis p. 207. sqq. Buddeus in Ecclesia Apostolica p. 266. sqq. Io. Henr. Michaelis in Introduct. historicotheol. in ep. Iacobi proleg. Ittig in Histor. Eccles. Sec. I. select. capp. c. VII. Sect. V, §. 15. sqq. *). Wolfius in Curis philolog. et critic. ad N. T. T. IV. p. 7. Benson paraphras. epist. T. III. proleg. Sect. I. et II. Michaelis Einleitung in die Schriften des N. T. T. II. p. 1134. sqq. ed 3. et in notis ad Bensonii paraphras. ep. Iacob. latine a se redditam. Chr. Fred. Schmidius in Hist. antiq. et vindicat. canonis sacri p. 676. sqq. Zachariae paraphr. epp. catholic. proleg. Kuettner in Hypomnem. in N. T. proleg. ad epist. Iacobi. Storr in dissert. exeget. in epist. Iacobi. — Alteram contra sententiam commendant: Grotius ad epist. Iac. Hammondus (ex aliqua saltem parte) in paraphr. proleg. ad ep. Iac. Rich. Simon in Hist. crit. text. N. T. c. XVII. vers. Cramer. p. 317. sqq. Herder in libr. Briefe zweener Brüder Iesu im Canon, proleg. Niemeyer in Characteristik der Bibel T. I. ed. 2. vel: Zusaetze p. 110. sqq. Zachariae in dissertt. ad histor. atque antiquit. ecclesiast. pertinentt. 1781. T. I. diss. I. de tribus

---

*) In novis curis Ittigii, ob insignem literarum copiam in primis ratio habenda est, ut inde, quae desint, suppleantur! —

Iacobis. Pott in epist. Cathol. 1786. T. I. proleg. — Haec sufficiant iis, qui praeter potiora argumenta alia plura nosse cupiant.

Sectio I.

Utrum Iacobus, Alphaei filius, unus idemque sit cum Iacobo fratre domini, an a se invicem distinguendi sint, disquiritur.

---

§. I.

Adferuntur argumenta, quibus, Iacobum fratrem domini haud diversum fuisse a Iacobo Alphaei filio, evincatur: diluuntur dubia; et quo iure sibi invicem substitui possint, docetur.

Multa sane ab huius caussae fautoribus proferuntur argumenta, quibus ego quidem subscribere non possum. Nec a copia, sed a firmitate argumentorum sententia quaevis robur suum accipit. Mitto igitur nugas illas de perpetua virginitate Mariae; mitto placita primorum ecclesiae doctorum, Hieronymi, Theodoreti, aliorum; quae non testimoniorum, sed iudiciorum loco habenda sunt:

nam cum alii doctores antiquiores aliter sentiant, intelligimus, has opiniones non ex traditione aliqua Apostolica, sed ex cuiusque ingenio esse profectas. Sed mala bonae caussae defensione caussa fieri non potest ipsa mala. Nititur potius nostra sententia hac argumentandi ratione: Nomina τῶν ἀδελφῶν τοῦ κυρίου occurrunt Matth. XIII., 55. haec: Iacobus, Simon, Iudas et Ioses; atqui tria priora nomina itidem exstant in catalogo Apostolorum Matth. X, 3. coll. Act. I. 13. ubi vero Iacobus adpellatur Alphaei filius: ἀδελφὸν autem, aeque ac hebr. אח, non solum fratrem germanum, verum etiam cognatum quemvis, inprimis Consobrinum significare constat, e. g. Gen. XIII, 8. coll. XII, 5. XXIX, 12. coll. 10. XXXI, 23; neque ab hoc usu abhorrent auctores profani, Graeci et Romani; potest denique et ipse modus cognationis sic satis probabiliter demonstrari, neque a veri specie alienum est, cognatos Iesu, aliquos saltem, ab Eodem in numerum amicorum fuisse receptos. Mirum itaque foret, cum gravior nulla caussa obstet, si tres illi ἀδελφοὶ, Iacobus, Simon, Iudas, a tribus his Apostolus eiusdem nominis, Iacobo, Simone, Iuda, prorsus diversi fuerint. Sequimur ergo legem probabilitatis, atque illos (Simone forte excepto) pro iisdem habemus; inprimisque, ob plures adeo caussas infra adducendas, Iacobum τὸν ἀδελφὸν τοῦ κυρίου pro Iacobo Alphaei filio. — Necessitatem igitur, aut summam rei evidentiam, multum abest, ut ex hac argumentandi ratione eliciamus; neque sane est, quod altera

pars, aliter tamen rem esse potuisse, obtendat. Nam de eo non quaerimus, annon a casu quodam haec similitudo nominum derivari queat; sed de eo, an talis casus in tribus adeo hominibus, tamque exiguo amicorum numero, cum veri specie cogitari et statui possit. Neque deinde negamus, Iesum germanos fratres habere potuisse, aut forte etiam habuisse. Sed hoc modo negamus, illos ἀδελφοὺς τοῦ κυρίου Iacobum, Simonem et Iudam, cum eodem nomina sibi invicem iuncta redeant in catalogo Apostolorum, necessario fuisse, aut probabiliter saltem dici posse germanos Iesu fratres, eosdemque ab Apostolis illis eiusdem nominis prorsus diversos. Nisi igitur graviores adsint caussae, quae nobis suadeant, illos ἀδελφοὺς τοῦ κυρίου, Iacobum, Simonem et Iudam pro germanis Iesu fratribus habere (caussas vero ab altera parte allatas tanti momenti non esse in §. 2. docebimus): tutius sane nos agere, minusque a probabilitatis lege nos aberrare, si iisdem nominibus easdem personas iungimus, in aprico est.

Sed ipsam argumentationem nostram supra propositam contrariae sententiae patroni, aliis alii telis, impugnant. Nonnulla dubia tam levia sunt, ut vix digna sint, quae recenseantur; v. c. a proprio vocis significatu praeter necessitatem non esse recedendum; vel illud: ἀδελφὸν nunquam significare Consobrinum; et quae sunt huius furfuris alia. Alia vero eo graviora sunt, inprimis ea, quibus ex ipsis N. T. locis efficere student, ἀδελφοὺς Iesu non

fuisse inter amicos ipsi familiares; quod tamen in ratiocinio nostro ut probabile sumsimus. Quo nomine nos ablegant ad locum Ioh. VII, 5: οὐδὲ γὰρ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ ἐπίστευον εἰς αὐτόν; unde clare satis adpareat „τοὺς ἀδελφοὺς Ιησοῦ „eodem tempore, quo Iacobus Alphaei filius „iam in Apostolorum numero esset, Eiusdem „doctrinae nondum fuisse addictos; Iacobum „igitur τὸν ἀδελφὸν τοῦ κυρίου, eumque tum in„credulum, dici plane non posse eundem fu„isse cum Iacobo Alphaei filio, eoque iam „Apostolo; atque ex hoc quidem loco collato „cum Matth. XII, 49. sqq. improbabile adeo „fieri, cognatos Iesu in numerum Apostolorum „fuisse receptos.“ — Gravissimum sane hoc est, haud diffiteor, pro contraria sententia argumentum, quod eo magis attentionem et diligentiam nostram requirit, quo negligentius caussae nostrae defensores ad id respexerant. Neque tamen extimescendum adeo videtur. Primum enim regeri possit, male hunc locum universe de omnibus ἀδελφοῖς intelligi, cum sacris in literis non indefinita quaevis propositio pro universali habenda sit, sed ex contextu orationis potius definienda: iam vero minus esse probabile, omnes cognatos Iesu tum adfuisse, et quae com. 3. legimus, dixisse; comma igitur 5tum de iisdem modo ἀδελφοῖς, quorum v. 3. mentio fiat, neque vero de omnibus, esse intelligendum, inprimis cum non expresse legatur: οὐδεὶς τ. ἀδελφῶν κ. τ. λ.; non omnes vero cognatos Iesu Apostolis fuisse adscriptos, nec omnes Iesum coluisse Messiam, qui neget, esse neminem. Sed nolumus ad hoc perfugium nos recipere, cum sine metu

obviam ire dubitationi valeamus. Redit vero res omnis eo, ut iustam notionem τοῦ ΠΙΣΤΕΥΕΙΝ definiamus; id quod optime fieri poterit ex Ioh. VI, 64. sqq. ubi Christus narratur τοῖς μαθηταῖς (coll. v. 60. 61.) dixisse: εἰσὶν ἐξ ὑμῶν τινὲς, οἳ οὐ πιστεύουσι. Quo planum fit: πιστεύειν h. l. significare plenam persuasionem de integra dignitate Iesu Messiana. Nam plures quidem Iesum habuerunt pro insigni aliquo propheta, sed, cum non responderet iis, quas de Messia concepissent, opinionibus, auctoritatem Messiae eidem concedere detrectabant, saltem non firma satis erat eorum de Iesu Messia, eiusque natura sublimiori ac vere divina, persuasio, neque adeo talis, qualem ex mente Iohannis involvit notio πίςεως (cf. Ven. Storr: ueber den Zweck der evangel. Gesch. u. d. Briefe Ioannis, Tueb. 1786. Abschn. 3. p. 413 sqq.). Poterat igitur aliquis μαθητὴς Iesu esse sine sublimioris huius πίςεως laude; quapropter etiam multi μαθηταὶ partes Iesu deseruisse dicuntur v. 66. (ἀπῆλθον εἰς τὰ ὀπίσω, καὶ οὐκέτι μετ' αὐτοῦ περιεπάτουν,) quoniam Ille Messianam suam dignitatem apertius paullo professus esset. Distinguuntur quidem οἱ μαθηταὶ v. 66. a τοῖς δώδεκα; ad illos enim pertinuerunt omnes adseclae Iesu, quorum modo partem constitueret arctior τῶν δώδεκα coetus: sed, si quis ἄπιςος, ex strictiori vocis significatione supra notata, inter asseclas Iesu esse potuit, non video, cur non inter ipsos Apostolos nonnulli fide hac eminentiori ab initio carere potuerint. Repugnare quidem videtur illustre illud testimonium, quod

Petrus suo reliquorumque amicorum nomine de dignitate Iesu tulisse v. 68. sqq. dicitur. Sed vehementer dubito, an omnes Apostoli iam tum temporis in hoc iudicio de Christo cum Petro plane, firmiterque persuasi, consenserint. Iudam quidem Iscarioten a perfecta hac fide multum abfuisse, certum est, tum ex teterrima proditione Iesu, tum ex ipso iudicio Servatoris v. 64. 70. 71. de eo lato. Atque de reliquis Apostolis ex tot. N. T. locis novimus, quoties eorum ἀπιστίαν et ὀλιγοπιστίαν post illam ipsam confessionem Petri vituperaverit Iesus v. c. Luc. XII, 28. Matth. XVII, 17. 20. coll. Marc. IX, 19. et Luc. IX, 41. Et ipsi, plures certe, ne dicam omnes, sub finem demum vitae Iesu fidem profitentur Ioh. XVI, 30. verbis his: ΝΥΝ οἴδαμεν, ὅτι οἶδας πάντα — — ἘΝ ΤΟΎΤΩ ΠΙΣΤΕΎΟΜΕΝ, ὅτι ἀπὸ θεοῦ ἐξῆλθες. Neque est, quod tantam eorum ἀπιστίαν miremur, cum non minus, ac alii Iudaei splendidam Messiae imaginem animis impressam haberent, et Iesus plerumque obscurius paullo de sua Messiae dignitate ac divina natura loqui soleret. Nonnulli quidem Apostoli videntur prius de vera ac sublimiori Christi et natura et provincia fuisse persuasi, veluti Petrus, Iohannes, et Iacobus Zebedaei filius; unde forte intelligimus, quid sit, quod Iesus hos reliquis praetulerit, atque socios sibi adiunxerit e paucis maxime familiares. In reliquis autem tardius maturuisse videtur haecce persuasio: idque iis praesertim accidisse, qui cum Iesu Nazarethi adoleverant, unaque cum Eodem educati fuerant, ex ipsa mentis humanae imbecillitate facile intelligitur. Quae cum ita

sint, poterant omnino nonnulli horum ἀδελφῶν ἀπίστων (admissa nempe pressiori πίστεως notione supra declarata, qua ipsi μαθηταὶ Ἰησοῦ ipsique adeo Apostoli dici potuerint ἄπιστοι) in numerum Apostolornm referri. Quod autem ad locum Matth. XII, 49. 50. attinet, nihil sane inde ad incredulitatem τῶν ἀδελφῶν Iesu (quam quidem certo quodam sensu supra satis declarato concesserim) demonstrandam elici poterit: si enim verba premantur, pari prorsus ratione possit et ipsius Mariae, matris Iesu, ἀπιστία ex eodem loco colligi; quod quam impium sit in Mariam, quamque cum universa historia Evangelica pugnet, non est, quod moneam. Potest vero locus ille Matthaei et alio modo in contrariam sententiam adhiberi; sed de eo in sequenti demum §o dicere attinebit.

Pergimus igitur ad eam quaestionem, quo iure queat Iacobus Alphaei filius idem dici cum Iacobo τ. ἀδελφῷ τ. κυρίου? Abeunt vero hac in re interpretes in varias partes, alii cognationem huius Iacobi cum Iesu derivant a Iosepho, qui pater Iesu haberetur, ut hic Iacobus vel ab Alphaeo fratre Iosephi natus sit, vel adeo a Iosepho ipso, Alphaei uxore leviratus iure sibi iuncta; alii vero a Maria matre Iesu cognationem repetunt, cuius sororem eiusdem nominis Alphaeus s. Cleopas uxorem duxerit. Parum quidem referre puto, quae cognationis ratio admittatur, modo res ipsa certa sit, Iacobum non germanum fuisse fratrem Iesu, sed solum cognatum, atque eun-

dem, qui Iacobus Alphaei filius. Potest tamen et ipsa cognatio, si singula loca N. T. sollicite inter se comparamus, sic satis probabiliter definiri. Prima quidem ratio a Iosepho repetita ab ipsius S. S. testimoniis non admodum commendatur, at pro ultima ad Mariam relata tot argumenta pugnant, ut illam et meam facere haud dubitem. Iacobus enim Alphaei filius, idemque Apostolus Matth. X, 3. et Act. I, 13. matrem habuisse videtur Mariam; haec enim Matth. XXVII, 56. vocatur Μαρία ἡ τοῦ Ιακώβου καὶ Ἰωσῆ μήτηρ, et Marc. XV, 40. ἡ τοῦ Ἰακώβου τοῦ ΜΙΚΡΟΥ καὶ Ἰωσῆ μήτηρ: μικρὸς autem cognominari poterat Iacobus ille Alph. fil. ratione Iacobi, Zebedaei filii, qui prius in numerum Apostolorum receptus esset. Iam vero Matth. XIII, 55. Iacobus et Ioses inter ἀδελφοὺς τ. κυρίου referuntur; Iacobus igitur Alph. fil. non modo fuisse videtur ille ipse Iacobus, ὁ ἀδελφ. τ. κυρίου; sed etiam matrem illam habuisse Mariam. Matth. XXVII, 56. et Marc. XV, 40. Haec autem, quod ex parallelismo locorum clare patet, eadem fuit, quae Ioh. XIX, 25. vocatur μαρία ἡ τοῦ Κλωπᾶ, et ἀδελφὴ τῆς μητρὸς Ἰησοῦ. Unde planum est, tum Iacobum hunc Alph. filium, eundemque ἀδελφὸν τ. κυρίου, consobrinum fuisse Iesu, non fratrem germanum (nam Maria mater Iesu claris verbis distinguitur ab illa Maria, quae ex parallelismo locorum Matth. XXVII, 56. et Marci XV, 40. mater erat Iacobi et Iosetis); tum Clopam eundem esse cum Alphaeo. Haec enim nomina, quamvis e nostra scribendi ratione valde diversa videantur, facile tamen derivantur e communi fonte, hebraica nempe scriptura,

qua nomen viro erat: חלפי, quod duplici modo efferri poterat, Chalpai et Chlopai. Priorem pronunciationem sequuntur Matth. Marc. et Lucas, abiecta, more Graecorum, adspiratione orientali, et addita terminatione graeca ΟΣ, unde Ἀλφαῖος; veluti Hagg. I, 1. ubi οἱ LXX. חגי efferunt Ἀγγαῖος. Posteriorem sequitur Iohannes, qui habet κλωπᾶς ח mutato in κ; ut פסח 2 Paralip. XXX, 1. ab Alexandrinis efferitur per φάσεκ; טבח Gen. XXII, 24. per τάβεκ rel., et pari modo חרן a Graecis effertur κάῤῥα et κάῤῥαι (cf. Cellarii notitia orbis antiqui ed. Schwarz T. II. p. 616. seqq.) Quae pronuntiationis diversitas eo minus in Iohanne morari nos potest, quo magis constat, diversa adeo ab iis, quae reliqui Evangelistae habent, nomina eundem exhibere v. c. Nathanaelis pro Bartholomaeo. Hunc enim ab illo non differre, adparet ex locis collatis his: Ioh. I, 45 — 51. XXI, 2. Luc. VI, 14.: videtur igitur fuisse Nathanaelis nomen viro proprium; Bartholomaei vero πατρωνύμικον בר תלמי filius Thalmai). — Equidem non nego, ut ad rem nostram redeam, similitudinem illam Clophae et Alphaei nominum fortuitam esse posse, atque in historia passionis Iesu Mariam aliquam ab uno Evangelista commemoratam ab altero, Iohanne praesertim, forte fuisse omissam, eidemque aliam substitutam; ut adeo ex collatis locis neque vera cognationis ratio certo definiri possit, neque, quod supra de Clopha eodem cum Alphaeo sumsimus, sit extra omnem dubitationem positum. Verum enimuero cum ab Evangelistis, in iis praesertim locis, quae mani-

feste de eadem re agunt, manu quasi ducamur ad hanc sententiam iam per se satis probabilem; nec quidquam sit, quod hanc rationem graviter concutere queat: consultius multo ducimus, haec ipsorum testium vestigia, quamvis non satis expressa, sequi, quam opposita opinione amplectenda, in viam nos dare incertam admodum et impeditam.

Multa quidem his rationibus nostris obiiciuntur dubia, quae vero vel nostram sententiam plane non feriunt, vel ipsa infirma sunt, vel modo demonstrant, certas non esse, nec indubitatas has rationes, quod lubenter largimur; ipsi enim solam probabilitatis vim iis tribuimus. — Primnm autem „negant, Cleo„pam eundem fuisse cum Alphaeo; nam ab „omni veri specie alienum esse, Lucam eun„dem virum duobus diversis nominibus desig„nasse, Alphaei Luc. VI, 15. et Cleophae „Luc. XXIV, 18; atque, si Lucas utrumque „pro eodem habuisset, hoc eum paucis v. c. „Ἀλφαῖος, ὃς καὶ λέγεται Κλεοπᾶς, significaturum, „eoque, ne incerta evaderet narratio, prospe„cturum fuisse: quorsum hoc accedere, quod et „Syrus, qui alias vocabula synonyma invi„cem permutare non dubitet, nomina Κλεοπᾶς „et Ἀλφαῖος tamen distinguat.“ — Sed ut praetermittam, scriptores N. T. de perspicuitate sententiarum non ubique satis sollicitos fuisse, cuius rei quam plurima documenta possint exhiberi; atque adeo ab eo, quod Auctores librorum N. T. facere aut potuissent, aut debuissent, minus recte concludi ad id, quod vere fecerint; cum ne ex eo quidem,

quod Auctor aliquis in uno vel altero loco attenderit, colligi possit, idem eum semper observasse, eundemque ordinem ac rationem ubique fuisse sequutum; ut porro id transeam, Ἀλφαῖος et Κλωπᾶς non esse duo diversa nomina, ut Simon et Petrus, Lebbaeus et Thaddaeus, sed diversam tantum eiusdem nominis pronunciationem, quam Lucas in variis illis narrationum symbolis tum hebraicis, tum graecis, quas quidem in conscribendis suis historiis adhibuerit, vario, quo forte in aliis expressa esset, modo etiam in suos commentarios transferre potuerit: id potius urgendum mihi videtur, Κλωπᾶν illum Ioh. XIX, 25. prorsus diversum esse a Cleopa Luc. XXIV, 18; Lucam igitur ipsum idem nomen non diverso modo efferre, sed solum Iohannem alteram pronunciationem nominis חלפי sequi: quo totum argumentum uno velut ictu corruit. Commendatur vero nostra opinio non modo a varia scriptura Κλωπᾶς Ioh. XIX, 25. et Κλεοπᾶς Luc. XXIV, 18., cum illa quidem hebraicam originem, haec vero graecam a Κλεόπατρος voce quidem contracta, prodat; nisi vitium scribendi, ΚΛΕΟΠΑ͂Σ pro ΚΓΟΟΠΑ͂Σ i. q. ΚΛΩΠΑ͂Σ, admittatur, cuius tamen idonea ratio nulla adferri potest (vid. Michaelis Auferstehungsgeschichte Christi cet. p. 234. sqq.): verum etiam potissimum ab eo, quod ille Cleophas Luc. XXIV, 18. in sermone cum Christo habito prorsus silet v. 22., suam ipsius uxorem sepulcrum Iesu vacuum reperisse, sed universe modo commemorat: ἀλλὰ καὶ γυναῖκες τινὲς ἐξ ἡμῶν ἐξέστησαν ἡμᾶς κ. τ. λ. quasi nulla earum propius ad se pertineat. Hanc

vero Mariam τοῦ Κλωπᾶ (sive is fuerit Alphaeus, sive alius) inter illas feminas fuisse, adparet ex Ioh. XIX, 25. coll. Luc. XXIII, 55. XXIV, 1. sqq. et 10. — Eademque vis argumento constat, etiamsi cum b. Zachariae (proleg. ad epist. catholl.) sumas, Cleopham non maritum, sed filium illius Mariae, Ioh. XIX, 25. fuisse: quae tamen Viri opinio parum mihi probatur. Largior quidem, ex usu linguae Mariam τοῦ Κλωπᾶ aeque esse posse Clophae matrem, ac Mariam τοῦ Ἰακώβου, Iacobi matrem. Existimat vero b. Vir, Clopham hunc, quem eundem putat esse cum Cleopha Luc. XXIV, 13., fuisse Simonem, fratrem Iacobi, qui et ab antiquioribus Simon Cleophas adpelletur; referri enim ad Apostolos, Luc. XXIV, 10. coll. v. 13., sed neque Alphaeum, neque Clopham alium, recenseri in numero Apostolorum. — At plura sane ad hanc opinionem monenda videntur. Primum nusquam in libris N. T. hoc nomine Clophae Simon Apostolus insignitur, cum tamen alia cognomina v. e. Κανανίτου (vel potius Καννίτου, ab hebr. קַנָּא, ut significet i. q. ζηλωτής, cf. Suicer. thesaur. ecclesiast. sub voce Σίμων.) Matth. X, 3. Marc. III, 18. et Ζηλωτοῦ, Luc. VI, 15. eidem tribuantur; ut improbabile admodum videatur, Apostolum aliquem bene notum a Luca cognomine prorsus ignoto designari. Deinde ex illis locis Lucae allatis non necessario sequitur, Clopham fuisse ex Apostolorum numero; nam illud αὐτῶν Luc. XXIV, 13. referri commode potest ad v. 9. ubi feminae narrantur exposuisse, quae viderint et audiverint, τοῖς ἕνδεκα καὶ ΠΑΣΙ ΤΟΙΣ

ΛΟΙΠΟΊΣ; Clophas igitur v. 18. commemoratus videtur fuisse ἐκ τῶν λοιπῶν sc. μαθητῶν Ἰησοῦ; quorum plures Hunc habuisse praeter arctiorem Apostolorum coetum constat. Denique illa Simonis adpellatio, qua ab antiquioribus nonnullis Cleophas cognominatur, vel ex eodem errore confluxit, vel, quod magis placet, ex commutata formula: ὁ τοῦ Κλωπᾶ h. e. Clophae s. Alphaei filius (cf. Euseb. Can. Chron. ad Neron. in Scaligeri thecaur. tempor. Lugd. 1606. p. 191. et H. E. l. IV. c. 22. coll. Hippolyt. iun. de XII. apostolis), qui putaretur Simon fuisse, aeque ac Iacobi frater; nam uterque et Simon et Iacobus, Matth. XIII, 55. inter τοὺς ἀδελφοὺς τοῦ Κυρίου refertur, una cum Iuda et Iosete, qui fratres Iacobi fuerunt. — Sed haec ipsa sententia, qua Simon frater germanus Iacobi, Alphaei filii, existimatur, dubia mihi videtur; nam quamquam inter cognatos Christi refertur, Mariae tamen filiis non itidem adnumeratur Matth. XXVII, 56.; nec Luc. VI, 15. 16. Act. I. 13. (quod inprimis notandum est), licet medius ibi sit inter duos fratres Iacobum et Iudam, ipse adpellatur frater Iacobi; sed consueto tantum cognomine Ζηλωτοῦ notatur. Quare nec tabulam genealogicam Iesu ab. Schmidio (histor. canon. V. et N. T. p. 677.) delineatam, ut certam probare possum, etsi eam non prorsus damnem, res enim dubia est; siquidem simili ratione Iudas quamvis frater Iacobi sit, Luc. VI, 16. Act. I, 13. *)

---

*) Neque hoc concedit Ven. Niemeyer (Zusaetze

tamen a Matthaeo et Marco ne Iudas quidem vocatur, sed Lebbaeus modo et Thaddaeus, neque ab utroque ulla fit cognationis mentio. — Quidquid vero horum sit, hoc tamen ex hactenus dictis planum esse puto, Clopam Ioh. XIX, 25. differre a Cleopha Luc. XXIV, 18.; et quamquam Κλωπᾶς apud Ioh. filius Mariae esse potuerit, eum tamen probabili-

---

zur Charateristik der Bibel p. 113.) qui contra acute monet, „temere suppleri in formula „Ἰουδᾶς Ἰακώβου Luc. VI, 16. et Act. I, 13. „vocem ἀδελφὸς, cum e perpetuo usu loquen„di potius intelligendum sit υἱὸς" — Quamquam vero usum hunc frequentem et consuetum concedimus, eundem tamen negamus perpetuum esse, vel adeo unice in S. S. obvium. Pari enim ratione I Paralip. VII, 15. omissum est אחות (locum 2 Sam. XXI, 19. coll. 1. Paralyp. XX, 5. huc non retulerim; ibi enim את mutandum est in אחי). Pari ratione supplendum est μήτηρ Luc. XXIV, 10. Marc. XVI, 1. XV, 47. coll. 40. Atque in catalogo Apostolorum eo facilior erat omissio voc. ἀδελφὸς, cum proxime praecessisset Iacobus, adeoque in formula Ἰουδᾶς Ἰακώβου ellipsis e contextu facile posset suppleri. Cui accedit potissimum hoc: admissa consueta ellipsi υἱὸς in formula Ἰουδᾶς Ἰακώβου, temere multiplicari Iacobos et Iudas in historia Iesu hancque ipsam praeter necessitatem implicari et impediri. Alius enim tum foret Iudas, Apostolus; alius Iudas, auctor epistolae, qui se expresse vocat fratrem Iacobi; alius Iacobus, ὁ ἀδελφὸς τ. κυρίου; alius Iacobus Alph. filius; alius Iacobus pater Iudae. — Erant quidem haec vulgaria nomina pluribus communia; sed nullam video in historia Iesu necesitatem, perso-

ter, si locum cum reliquorum Evangelistarum narrationibus contuleris, maritum Mariae fuisse, eundemque cum Alphaeo, patre Iacobi. — Quod enim ad Syrum interpretem denique attinet, equidem non is sum, qui insigniorem usum illius in interpretandis N. T. libris negem; sed in rebus difficilioribus historici, inprimis genealogici, generis, iudex ille sedere profecto non potest.

Quae cum ita sint, ultro corruent reliqua dubia argumentationi nostrae obiecta, veluti illud „cur Maria, quae dicatur mater Iacobi et „Iosetis, si mater τῶν ἀδελφῶν τοῦ Κυρίου haben„da sit, non potius Maria Iacobi et Iudae, „epistolae catholicae auctoris, qui celebrior „Iosete videatur fuisse, adpellatur.“ — Nam in tanta monimentorum veterum inopia non possumus omnia explicare, omnesque tenebras dispellere; quapropter nec hac in re certam caussam omissionis Iudae definire sustinemus. Forte Ioses fuit filius natu maior, quare, cum non omnes liberi adducerentur necesse esset, hic praeferretur: forte etiam hac in re Matthaeus et Marcus sequuti sunt fontes illos,

---

nas ipsas multiplicandi: quare vulgarem sententiam hac etiam in caussa ut probabiliorem praefero; neque ob id ipsum accedo ingeniosae sententiae Ven. Storrii (dissert. in ep. Iacobi Tub. 1784.) qua Iacobus Alph. fil. idem quidem censetur cum Iacobo τ. ἀδελφῷ τ. Κυρίου Gal. I, 19. coll. II, 9.; sed diversus ab Iacobo, τ. ἀδελφῷ τ. κυρ. Matth. XIII, 55., qui ab alio latere Iesu cognatus fuerit. —

ex quibus multas narrationes hausisse videntur. Vide sis hac de re Ven. Koppii progr. Goett. Marcus non epitomator Matthaei, et quae nos ipsi disseruimus in Annal. Helmstad. m. Mai 1783. p. 447. sqq. — Poterant enim hi scriptores, etiam in rebus notissimis, et morem sui temporis, et vestigia aliorum sequi; vid. Lessing theologischer Nachlafs p. 48. sqq. Townson über d. Evangelien, ed. Semleri. P. I. p. 147. collatis tamen doctissimis animadversionibus Ven. Storrii in libro: „Ueber den Zweck der evangelischen Geschichte und Briefe Iohannis p. 355. sqq. — Neque tandem nos moratur dubium hoc: „quis, quaeso, Mariam „utroque loco (Matthaei XXVII, 56. Marc. „XV, 40. et Iohannis XIX, 25.) commemora„tam fuisse eandem, pro certo affirmare „audeat? Si vero vel maxime ita esset, inde „tamen, quod Cleophae dicatur uxor, Alphaei „etiam, cuius filius Iacobus Apostolus fuerit, „habendam esse coniugem, non clare et cer„to adparere.“ — Lubenter haec concedimus omnia, salva nostra sententia, quam non contendimus esse certam et indubitatam, sed probabilem modo, et probabiliorem quidem opposita opinione. Et hanc probabilitatem sic satis supra evicisse confidimus: probabilitatem vero non prorsus tollere oppositum, quis est, qui nesciat. At actum profecto esset de omni arte historica, si nihil, nisi quod certum et indubitatum sit, adsensu dignum iudicaretur. Plurimae sane historiae antiquae, vel acutissimis viris probatae non tam certitudine, quam probabilitate historica nituntur. Eheu! quam

parum est, quod certo sciamus! Possuntne forte, qui contrarium sentiunt, suam opinionem certis indubitatisque argumentis ita munire, ut nullus dubitationi locus relinquatur? Sed aequiores nos et faciliores praestemus alteri parti, eique libenter concedamus, dummodo maiorem prae se ferat probabilitatem. Videamus igitur, quid altera pars ad stabiliendam suam sententiam adferat.

§. II.

Exponuntur et examinantur argumenta, quae demonstrent, Iacobum fratrem Domini fuisse germanum eiusdem fratrem, adeoque diversum a Iacobo Alphaei filio.

Qui utrumque Iacobum differre invicem, germanosque fratres Iesum habuisse, existimant, in duas iterum partes abeunt: alii putant, Iosephum duas duxisse uxores, priorem Escham, e qua nati sint Iacobus, Ioses, Simon, Iudas, et filiae duae Esther et Thamar, vel, ut alii opinantur, Maria et Salome; posteriorem Mariam, matrem Iesu. Illam sententiam Ebionitis inprimis probatam, et ex apocrypho Petri et Iacobi evangelio depromtam, amplexi sunt Veterum complures, veluti Origenes, Epiphanius, alii (quos vide sis apud Pearson ad symbol. apostol. p. 312. sqq.) Hanc vero sequuntur recentiorum plurimi. — Concedimus quidem quam lubentissime, nihil sane detrimenti capere potuisse, neque Mariae dignitatem ex matrimonii fecunditate, neque Iesu ipsius maiestatem ex fratrum consortio: sed nullam me videre confiteor ne-

cessitatem fraternae necessitudinis, neque ad gravissimas vitae communis virtutes alendas exercendasque, neque ad subeundam communem cum caeteris hominibus sortem; cum haud pauci homines, iique vitae probitate, animique pietate inprimis conspicui, fraterno nomine prorsus careant. Nam si eatenus liceat τό: κατὰ πάντα τοῖς ἀδελφοῖς ὁμοιωθῆναι Ebr. II, 17. extendere; aequo iure statuendus sit Iesus duxisse uxorem, et procreasse liberos. — Neque vero desunt alia argumenta, quibus tum omnino efficiatur, Iesum fratres germanos habuisse, tum potissimum hoc: Iacobum τ. ἀδελφὸν τ. κυρίου fratrem germanum Iesu fuisse. Quorum igitur potiora (omnia enim, etiam levissima, adferre, haud foret operae pretium) nunc recensebimus. Sunt autem haec:

I) „Matth. XIII, 57. Iesum sibi ipsum „familiam tribuere verbis his: ὀυκ ἐςι προφήτης „ἄτιμος, ἐι μὴ ἐν τῇ πατρίδι ἀυτοῦ, κὰι ἐν τῇ ὀικίᾳ „ἀυτοῦ; coll. Marc. VI, 4. ubi ὀι συγγενεῖς ab „ὀικια distinguantur.“ — Sed in proverbiis, quale hoc sane est, ὑπερβολικῶς adeo expressum, et cum comparatione modo intelligendum, verba premere, ac in eorum differentiis argutari, non licet. 'Οικιάν porro, aeque ac hebr. בית familiam universam, non solam domesticam, significare, velut et Latinorum domum, inter omnes constat. Quod autem συγγενεῖς voci ὀικίᾳ apud Marc. iunguntur, synonyma synonymis addi in sermone praesertim incitatiore, qualem h. l. Iesus habuit, et ex natura talis orationis intelligitur; et innumera ip-

sius N. T. loca, ut profanos auctores taceam, demonstrant. Denique in usu adagiorum non requiritur, ut singula verba ad rem praesentem referantur, modo universe aliquid in iis sit, quod accommodari ad rem possit.

II) „Matth. I, 20. 24. 25. non tantum Iesum πρωτότοκον dici Mariae filium, quo ipso „nomine plures postea nati ab eadem matre „filii indicari videantur; verum post natum Ie„sum consuetudine coniugali vere iunctos in„vicem vixisse Iosephum et Mariam, non ob„scure significari verbis his: ὀυκ ἐγίνωσκεν αὐ„τὴν, ἝΩΣΟΥ ἔτεκε τὸν ὑιὸν αὐτῆς τὸν πρωτότο„κον." — Equidem non negaverim, Iosephum post Iesum natum rem habuisse cum Maria, neque damnaverim Helvidium, de quo iam Básilius M. (homil. de humana Christi generatione) mitius senserat; verumtamen hunc usum coniugalem ex hoc certe loco colligi non posse, dudum monuere alii. Nam formula ἕως ὅυ, aeque ac hebr. עד־אשר, interdum etiam futurum tempus includit, ac indefinite accipitur, ut enunciationi negativae iuncta nunquam significet, e. g. Gen. XXVIII, 15. 2 Sam. VI, 23.; futurum saltem non excludat, v. c. 1 Tim. IV, 13. vid. Glassii philolog. sacra ed. Dathe, T. I. P. I. p. 382 sqq. Bauer philolog. Thucyd. Paull. p. 122. sqq. Suicer. thesaur. ecclesiast. T. I. p. 762. 1295. T. II. p. 306. Neque auctores profanos abhorrere ab hoc usu formulae, docuit Elsner ad h. l. Et Suidas iam observavit: τὸ ἝΩΣ παρὰ τῇ γραφῇ ἐπὶ τοῦ ΔΙΗΝΕΓΚΟΥΣ πολλάκις ἐυρίσκομεν κείμενον. Sed po-

sita etiam h. l. vulgari formulae ἕως ὅυ significatione, inde tamen nondum sequitur fecunditas consuetudinis coniugalis. Neque enim voc. πρωτότοκος urgendum est: ita enim adpellatur quisque, ante quem alius natus non est, sive deinde alii sequnti fuerint, sive non. Basilius (homil. in nativit. Christi) ait: οὐ πάντως ὁ πρωτότοκος πρὸς τοὺς ἐπιγινομένους ἔχει τὴν σύγκρισιν, ἀλλ' ὁ πρῶτον διανοίγων μήτραν, πρωτότοκος ὀνομάζεται. Pari modo Theophylact. (ad Luc. II) inquit: πρωτότοκος λέγεται ὁ πρῶτος τεχθεὶς, κἂν μὴ δεύτερος ἐπετέχθη. Plura loca collegit Suicerus in thesaur. ecclesiast. T. II. p. 878. Fusius hunc locum tratavit Hackspanius noster in notis philol. P. III. p. 5 sqq.: alios vide apud Wolfium. — Nihil igitur adiuvatur hoc loco opinio contraria. —

III) „Ioh. VII, 2 — 10. τοὺς ἀδελφοὺς cum „Christo ita colloqui, ut quisquis a cupiditate „fuerit alienus, nonnisi germanos, eiusdem„que domus, fratres intelligere possit: prouti „Matth. XII, 46 — 50. Act. I, 13. 14. et 1. „Cor. IX, 5. fratres ab Apostolis tam clare „distinguantur, ut non facile quis illos cum „his commutaverit.“ — At primum ex nomine ἀδελφῶν non sequitur hos germanos fratres Iesu fuisse; ita enim et cognatos, consobrinos praesertim, adpellari posse, ex supra dictis abunde constat. Si quid igitur ex iis locis efficiatur, in quibus τῶν ἀδελφῶν Ἰησοῦ mentio fit, ex solo orationis contextu vis omnis argumenti repetenda fuerit. Sed ne hunc quidem germanos fratres clare satis demonstrare

existimo. Nam cognatorum Iesu plurimi Nazarethi habitasse videntur; atque hi ipsi cur non eadem, quae Ioh. VII. narrantur, dicere potuerint, Iesumque admonere, ut et suo ipsius et totius familiae splendori melius, quam hucusque, consuleret, equidem non intelligo. Iidem etiam, cum eodem loco habitarent, una cum matre Iesu, invisere hunc poterant, Matth. XII. — At clare distinguuntur ibi hi ἀδελφοὶ a discipulis Iesu? — Audio; sed non lego, ΠΑ'ΝΤΑΣ ἀδελφοὺς Ἰησοῦ ad invisendum eum venisse: id quod ne probabile quidem foret. Poterant igitur omnino nonnulli eorum in consortio Christi esse, et distingui tamen ab iis reliqui ἀδελφοὶ, qui Iesum modo inviserent. Pari modo distingui mihi videntur οἱ ἀδελφοὶ ab Apostolis Act. I, 14.; nam pauci modo cognati Iesu in numerum Apostolorum recepti fuerant, reliqui igitur seorsim communi ἀδελφῶν nomine veniunt. Sed inde plane non sequitur, nullum omnino cognatorum Iesu in Apostolor. fuisse numero. Atque I. Cor. IX, 5. cum Petrus etiam seorsim addatur, quamvis et ipse esset Apostolus; nihil sane ex discrimine, inter Apostolos et ἀδελφοὺς τ. Κυρίου h. l. facto contra sententiam nostram colligere licet. Sensus loci potius videtur esse hic: „Posse „et se ipsum (Paullum) eo facile uti iure, quo „caeteri Apostoli etiam (καὶ) cognati Iesu, „et ipse Petrus utantur: His enim, quam„vis ὑπερλίαν ἀποστόλοις (II Cor. XI, 5. XII, 11.) „se non esse inferiorem." Itaque οἱ ἀδελφοὶ τοῦ Κυρίου tantum abest ut eximantur h. l. ex Apostolorum numero, ut ii potius his verbis

significentur Apostoli, qui et ipsi essent cognati Iesu. Inest igitur huic orationi Apostoli incitatiori κλίμαξ, quem vocat rhetorum schola; Verum enimvero, si locum Math. XII, ut ad hunc redeamus, cum altero ipsi παραλλήλῳ Marc. III, 31-35. comparamus, atque integrum sententiarum nexum diligentius circumspicimus, ne opus quidem est illo perfugio. Intelligimus enim facile ex v. 34. coll. 32. illos μαθητὰς h. l. non esse Apostolos, sed totum audientium coetum, quo Iesus, cum doceret, cinctus esset (ὄχλον περὶ αὐτὸν καθημένον v. 32.) Hos igitur κύκλῳ περὶ αὐτὸν καθημένους v. 34. circumspiciens verba elocutus est haec: ἴδε ἡ μήτηρ μου, καὶ οἱ ἀδελφοί μου, non quidem contemtus caussa, nam matrem suam, quam magnopere reveretur, haec dicendo τοῖς ἀδελφοῖς iunxit; sed ut doceret, muneris sibi demandati curam longe se praeferre cuivis cognatorum consuetudini, arctiusque se obstrictum teneri muneris vinculo, quam naturae. — Quare, nisi graviora argumenta accedant, sola haec narratio, nostrae sententiae aeque favens, nequaquam sufficit ad stabiliendam opinionem contrariam. Videamus igitur, quae sequantur!

IV) „Matth. XIII, 55. 56. Iudaeos gene„ris ignobilitatem Iesu his verbis exprobare: „οὐχ οὗτος ἐστὶν ὁ τοῦ τεκτόνος υἱός; οὐχὶ ἡ μήτηρ „αὐτοῦ λέγεται Μαριάμ; καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ Ἰα„κώβος, καὶ Ἰωσῆς, καὶ Σίμων, καὶ Ἰούδας; καὶ αἱ „ἀδελφαὶ αὐτοῦ οὐχὶ πᾶσαι πρὸς ἡμᾶς εἰσί; πόθεν „ἐν τούτῳ ταῦτα πάντα. Quo quidem loco cum „matrem germanam intelligendam esse nemo

„dubitet, idem de fratribus etiam et sororibus, „atque adeo de ipso quoque Iacobo, statuen„dum videri, nisi totum locum frigidum red„dere volueris et ieiunum, negari vix posse.“ Concedimus quidem, *primo obtutu* videri omnino facilius procedere orationem omnem, si τοὺς ἀδελφοὺς de germanis fratribus intelligamus:. sed plane non imminuitur vis orationis Iudaeorum, etsi de solis consobrinis verba intellexeris; imo insunt in hac ipsa oratione nonnulla, quae germanos liberos Mariae repudient; ut taceam hoc loco, quae omnino hanc sententiam improbabilem reddant, quibusque sequenti §o locus erit. *Primum* igitur planum est, si totum locum legas relegasque, vim ac robur sermonis Iudaeorum haud infringi, imó acui et *augeri* exprobrationem generis, si verbis sensum subiicias hunc: „Bene novimus „ignobile genus huius hominis, novimus ma„trem, novimus totam eiusdem *familiam ig„nobilem*; nonne omnes hi vilissimae condi„tionis homines nobiscum hic incolunt? unde „igitur huic tam tenui loco nato tanta virtus, „tantaque doctrinae et eloquentiae vis?“ — Augetur sane verbis ita intellectis generis ignobilitas, quae non ex domesticae solum familiae, sed ex universae cognationis tenuitate repetatur. *Deinde* verba: καὶ αἱ ἀδελφαὶ αὐτοῦ οὐχὶ ΠΑ͂ΣΑΙ πρὸς ἡμᾶς εἰσί; fere nos cogunt, ut universam sententiam non de germanis fratribus et sororibus, sed de cognatis intelligamus. Quis enim credat, tantam fuisse Mariae, matri Iesu, praeter quatuor filios, filiarum copiam, ut vocabulum ΠΑ͂ΣΑΙ commode ad illas

referri queat? — Quapropter nec b. Schmidio (hist. canon. V. et N. T. p. 677.) accedere possum, qui hos omnes filios, filiasque Mariae Cleophae s. Alphaei tribuit. Itaque adversari potius contrariae sententiae, quam eidem favere, videtur hic locus Matthaei, quem firmissimum et fere inexpugnabile illius praesidium putant.

V) „Si Iacobus frater Iesu cum Iacobo „Apostolo, Alphaei filio, idem esset, plane „non adparere, cur huic in Apostolorum cata-„logo nomen illud honorificum ἀδελφὸς Ἰησοῦ, „alias toties frequentatum, nec semel quidem „additum sit, praesertim cum plures Aposto-„li additis fratrum nominibus in ipsis illis ca-„talogis invicem distingui soleant; Andreas v. „c. Petri ἀδελφὸς nominetur, Iohannes Iacobi „(filii Zebedaei) Matth. X, 2. 3. coll. Marc. „III, 17. 18." Retorqueri quidem posset haec quaestio simili alia: si Iudas, auctor epistolae, sit germanus frater Iesu (quod quidem illi putant), cur se adpellet modo ἀδελφὸν Ἰακώβου, nec ἀδελφὸν Ἰησοῦ, quod tamen multo honorificentius foret? Modestiae enim caussa, quae iam olim (in adumbrationibus in ep. Iudae opp. Clem. Alexandr. ed. Oxon. p. 1007.) obvertebatur, in hac re nulla est (cf. Michaelis Einleitung ed. 3. p. 1203.). Sed malumus in bona caussa directe respondere. Si recensum Apostolorum perlustramus, Apostolos a fratribus cognominatos germanos horum fratres fuisse videmus, veluti Andream Petri, et Iohannem Iacobi. Cum vero Iacobus, Alphaei filius, Iesu modo consobrinus,

non germanus frater, fuerit, facile intelligimus, Iacobum Alphaei in catalogo Apostolorum dici non potuisse ἀδελφον Ἰησοῦ, ne scilicet ex vario voc. ἀδελφὸς usu in eodem catalogo ambiguitas et error resultaret. Commode igitur hanc Evangelistarum consuetudinem cum nostra sententia conciliare possumus.

VI) „Locum illustrem Iosephi Anti„quitt. Iud. L. XX. c. 8. (al. 9.), eumque re„petitum, ab Eusebio H. E. L. II, c. 23., „atque narrationem Hegesippi ap. Euseb. „l. c. de morte Iacobi, fratris Domini, cogno„mine Iusti accurate consentire cum illa sen„tentia, Iacobum hunc naturalem fuisse Iesu „fratrem.“ Nolumus utrunque locum toties repetitum (cf. Pottii proleg. Michaelis Einleitung P. II. p. 1141. sqq. rel.) denuo huc transscribere, neque singulas partes, earumque probandi vim fusius examinare; sufficiat potius haec monuisse: Locum Iosephi tum interpolatum esse, certe apud Eusebium (vid. Benson proleg. ad epist. Iac. Sect. II, ex ed. Michaelis p. 15. sqq. collata tamen retractatione in Michaelis Einleitung P. II, p. 1141. not. m.; de manifesta autem interpolatione apud Eusebium cf. Michaelis l. c. p. 1142. et Clericus in Arte Critica P. III, Sect. I. c. XV. §. 9. sqq.); tum commode conciliari posse cum nostra sententia (cf. Michaelis l. c.): Hegesippi vero narrationem tum repugnare Iosepho, tum plenam esse absurdissimis fabulis (cf. Benson et Michaelis ll. cc.), quae aliis pluribus auctae redeunt in Abdiae Act. Apo-

stol. apud **Fabricium** in **codice apocrypho** N. T. P. II. p. 591. sqq. In tam fabulosis narrationibus quis doceat, ubi fabulae desinant: et veritas incipiat? Quantum vero probabili aliqua ratione verum a falso discernere valemus, hoc fere solum verum censendum esse videtur, quod iam ex **Iosephi** narratione, cum nostra sententia probe conciliandа, scimus. Nihil igitur praesidii in his **Iosephi** et **Hegesippi** narrationibus inest ad firmandam opinionem contrariam.

Atque haec sunt potiora argumenta, quae demonstrent, Iacobum ἀδελφὸν τ. Κυρίου diversum esse ab Iacobo, Alphaei filio. Plura quidem, quod vidimus, specie haud carent; sed neque necessitatem, neque maiorem probabilitatem inferunt. Nonnulla enim eius sunt generis, ut modo, rem sic esse potuisse, demonstrent; alia nihil probant; alia maioris quidem sunt momenti, sed probabilem **eatenus** tantum illam opinionem redderent, si **nihil prorsus** obstaret. At in ipsis locis allatis nonnulla repugnantia deprehendisse nobis videmur; atque, siqua illis argumentis insit probabilitatis species, ea iam imminuitur argumentis, quae pro nostra sententia §. 1. attulimus; eamque denique multo magis extenuari censemus iis dubiis, quae ex hac ipsa sententia, collata quidem cum aliis et rebus et factis, sponte nascuntur. Haec igitur nunc toti disputationi Colophonem, ut aiunt, addant!

---

§. III.

Proponuntur dubia nonnulla, contra opinionem, qua Iacobus, Alphaei filius, negatur idem fuisse cum Iacobo, fratre Domini, directa.

Efficiuntur tandem ex hac opinione §o antecedente exposita, si eam quidem compares cum aliis N. T. locis, necessaria aliqua ratione nonnulla, quae si non singula, omnia tamen in unum collata, illam infringant, quamque prae se ferat, veri speciem valde imminuant.

I.) Si illa sententia vera est, inde sequitur: Mariam Iesu eiusque sororem, Mariam Clophae, habuisse utramque duo filios eiusdem nominis, Iacobum et Iosetem, Matth. XIII, 55. et XXVII, 56. coll. Ioh. XIX, 25.; itemque Alphaeum duos filios, eiusdem cum duobus filiis Mariae Iesu nominis, Iacobum et Iudam, Matth. XIII, 55. coll. Luc. VI, 15., si nempe Ἰούδαν Ἰακώβου intelligas de Iuda Iacobi fratre non filio. — Tanti quidem non est momenti, haud diffiteor, haec observatio, cum nomina haec fuisse videantur vulgaria, atque in more esset Iudaeis, liberorum nomina ex familia ipsa repetere. Luc. I, 61.; sed excitat tamen attentionem nostram ad rem accuratius investigandam, nec iniquam suspicionem erroris interim movet.

II.) Admissa hac opinione statuamus necesse est, Mariam matrem Iesu, quamvis liberorum copia abundasset, ab eorum tamen nullo sustentari potuisse; Iohannes enim, se post

mortem Christi illam in domum recepisse, refert Ioh. XIX, 27. — Nihil equidem tribuerim in hac re verbis Iesu alloquentis Mariam v. 26. γύναι, ἰδοὺ ὁ υἱός σου, et Iohannem v. 27: ἰδοὺ ἡ μήτηρ σου. Voces enim υἱός et μήτηρ premendas non esse per se adparet: cum, quod recte ab altera parte monetur, et hodie parentes, etsi liberis non destituti, eum, qui filii pietate ipsos prosequatur, filium, liberi vero parentibus nondum orbati, alios etiam homines bene de se meritos parentes vocare soleant; neque fugere nos ex historia Iesu possit, quanta eum inter et Iohannem intercesserit animorum coniunctio, ut adeo huic Iohanni, quem fraterno amore amplecteretur, matrem etiam iure commendare potuisse videretur. Sed magis ad rem facere equidem existimo verba haec: Καὶ ἀπ' ἐκείνης τῆς ὥρας ἜΛΑΒΕΝ ὁ μαθητὴς αὐτὴν ἘΙΣ ΤᾺ ἼΔΙΑ. Unde iure colligi posse puto, Mariam aut alia prole praeter Iesum prorsus caruisse; aut liberos habuisse tam male moratos et in matrem impios, ut eorum curae committi aut nollet, aut ipsis invitis non posset; aut denique adeo inopes, ut nullus eorum haberet, unde matrem aleret et sustentaret. Quod quidem utrumque posterius in tanta liberorum multitudine fidem omnem excedit. Nam etsi uni vel alteri res fuerit angusta domi, vel unus alterve male in matrem adfectus, omnes tamen impios adeo aut inopes fuisse, ut matrem sublevare vel nollent, vel non possent, mihi quidem persuadere plane non possum. Poterant quidem, haud nego, plura illo tempore incidere, quae hodie prorsus ignoremus, quaeve Iohannem adducerent, ut Ma-

riam, quamvis ei esset copiosa proles, in domum suam reciperet. Nobis vero, harum rerum prorsus insciis, non potest non haec historia suspectam admodum reddere copiosam Mariae prolem, quam ex illa opinione haec habuisse censenda sit.

III.) Si Clophas et Alphaeus differunt, non adparet, unde Iacobo, filio Mariae Cleophae, cognomen contigerit τοῦ Μικροῦ, Marc. XV, 40: quod contra facile est ad intelligendum, si sumamus, Iacobum illum, cognomine μικρὸν, esse Alphaei filium; hic enim Apostolus iunior fuit altero Iacobo, Zebedaei filio, prius in Apostolorum numerum recepto. — Alii quidem concedunt, Iacobum τὸν μικρὸν esse Alphaei filium, sed referunt maioris cognomen ad Iacobum filium Iosephi et Mariae: quod sine caussis faciunt. Etsi enim Iacobus Zebedaei filius nusquam Iacobus maior in libros sacris diserte adpellatur, ex illius tamen vocatione ad Apostoli munus tempore priori ratio cognominis τοῦ μικροῦ in Iacobo iuniori Apostolo, cum ad eundem Apostolorum familiam pertineret, satis intelligitur: illud contra temere sumitur, cum essent, per ipsam hypothesin, utriusque Mariae diversae familiae; ut mirum adeo fit, filii familiae unius cognomen referri ad filium, alterius familiae, neque inde sponte adpareat, quae sit cognominis caussa. Quamquam libenter concedo parum referre, unde hoc cognomen τοῦ μικροῦ in filio Alphaei profectum fuerit, modo concedatur, matrem illius fuisse sororem Ma-

riae, matris Iesu, ipsumque adeo Iacobum cognatum s. ἀδελφὸν τ. κυρίου.

IV.) Si Iacobus et Iudas, quorum epistolas in canone nostra N. T. habemus, fuerint germani fratres Iesu; mirum profecto foret, Iudam se non adpellare (ep. v. 1.) ἀδελφὸν Ἰησοῦ, sed ἀδελφὸν Ἰακώβου. Nam hoc cognomen ne sufficeret quidem ad distinguendum Iudam, fratrem Iesu, ab aliis eiusdem nominis; cum et ipse Iudas Apstolus, ex vulgari certe sententia, fratrem haberet Iacobum, Alph. filium. Refutavimus quidem in superiori §o simile argumentum nobis oppositum, cuius vero longe alia est ratio. Iacobus enim Alph. filius propterea videtur nomine ἀδελφοῦ τ. κυρίου in catalogo Apostolorum haud insignitus fuisse, quod non germanus esset frater Iesu, reliquorum vero Apostolorum nonnulli a germanis fratribus cognominarentur. Sed Iudas, auctor epistolae catholicae, existimatur fuisse naturalis frater Iesu; alia igitur est huius, quam illius alterius partis dubii ratio. Expedita autem res est ex nostra sententia, qua hunc Iudam statuimus esse fratrem Iacobi Alph. filii, adeoque ipsum quidem cognatum s. ἀδελφὸν Iesu; quo vero cognomine abstinuisse videtur, quod non esset germanus frater Iesu, quamvis alii v. c. Paullus Gal. I, 6. hoc latioris potestatis vocabulum de consobrinis Iesu adhibere potuerint.

V.) Est omnino, posita illa sententia, quod miremur, fratrum Iesu nullum, ne duos quidem illos, Iacobum et Iudam, quamvis et do-

ctrinam illius amplecterentur ipsi, et aliis studiose commendarent propagarentque, quorumque adeo scripta in canone nostro librorum N. T. contineantur, in familiam Apostolorum receptos fuisse; Apostoli enim Iacobus et Iudas, Alphaei filii, ex hac sententia ab illis erant plane diversi. — Sunt deinde, qui contendant, Iacobum, fratrem Domini, etsi diversum a Iacobo Alphaei, omnino fuisse in Apostolorum numerum relatum. Sed egregie hac in caussa illi falluntur, aut usum certe loquendi valde detorquent. Concedimus quidem, scriptores ecclesiasticos latiorem vocabulo subiicere potestatem, qua doctores quosque ecclesiae et praesules comprehendat (cf. Suiceri thesaur. eccles. T. I. p. 475. sqq. et Hammondi paraphras. praemonit. ad ep. Iacobi); at in eo valde hallucinatur Hammondus, quod loca nonnulla N. T. ad firmandam et illustrandam hanc latiorem vocis vim excitat v. c. II. Cor. VIII, 23. Phil. II, 25. Nam in his locis vocabulum Genitivo iunctum primam et universam legati notionem retinet; in aliis vero locis absolute positum nequaquam tam late patet, sed in eminentiori sensu usurpatur, atque soli doctorum ecclesiae extraordinariorum atque a Iesu ipso constitutorum collegio tribuitur. Iacobum autem fratrem Domini, eumque ab Alphaei filio diversum, fuisse, ex angustiori quidem vocis potestate, decimum tertium Apostolum, est mera eaque vana Eusebii (H. E. L. I, c. 12. et: ad Ch. c. XVII) et Hieronymi (comm. in Esaiam, c. XVII) opinio, nullis nixa S. S. testimoniis, sed solis coniecturis

et argutiis. Id quod etiam valet de mira illa sententia Theodoreti: τοὺς νῦν καλουμένους ἐπισκόπους Ἀποστόλους ὠνόμαζον; quam iam Clericus ad Hammondum l. c. iure meritoque notavit. — Certum igitur est, Iacobum τ. ἀδελφὸν τ. κυρίου, si diversus fuerit ab Alphaei filio, non fuisse Apostolum a Iesu constitutum. Manet igitur vis argumenti integra, proxime sequenti dubio, nisi me omnia fallunt, insigniter etiam augenda.

VI.) Quamquam vero Iacobus ὁ ἀδελφὸς τ. Κυρίου ex illa opinione non posset esse ipse Apostolus, Paullus tamen eundem adpellat Apostolum Gal. I, 19. et ςῦλον τῆς ἐκκλησίας Gal. II, 9. arctissimeque eum iungit veri nominis Apostolis, ac parem adeo eidem cum illorum principibus, Petro et Iohanne, auctoritatem tribuit: tantus etiam ei concedebatur Apostolorum in consessu honor, ut ab universo consessu reciperetur, v. 22. sqq. — Negarunt quidem nonnulli ex verbis Paulli Gal. I, 19, his; ἕτερον δὲ τῶν ἀποςόλων οὐκ εἶδον, εἰ μὴ Ἰακώβον suppleatur τὸν ἀπόςολον; at adparet hoc, nisi ad solem coecutire velimus, manifeste ex universa contextus ratione, nexuque horum verborum cum proxime praecedentibus: ἕτερον δὲ τῶν Ἀποςόλων — — εἰ μὴ Ἰακώβον — — arctissimo: ut taceam, idem necessario sequi ex narratione de consessu Apostolorum Hierosolymitano Gal. II, 9. coll. Act. XV. Est igitur Iacobus ὁ ἀδελφὸς τ Κυρίου veri nominis Apostolus; at per ea, quae proxime praecedenti segmento disputavimus, talis esse plane non poterat, si diversum eum fuisse statueris a Iaco-

bo Alphaei filio. Quare nec Hammondi sententia se nobis commendat, qui quidem Iacobum, τ. ἀδελφ. τ. Κυρίου, germanum Iesu fratrem fuisse negat, eundem tamen a Iacobo Alphaei filio distinguit, atque filium Cleophae eum fuisse contendit; iisdem enim dubiis haec Hammondi opinio premitur, cum solus Iacobus Alphaei filius inter Apostolos relatus a Iesu esset. Quo igitur modo solvi, non dissecari, possit hic nodus a contraria parte, non video. Nobis quidem, qui Iacobum τ. ἀδελφ τ. Κυρίου eundem fuisse cum Iacobo Alphaei filio contendamus, haec omnia plana sunt et expedita.

Haec erga sunt potiora argumenta cum altera opinione pugnantia; quorum saltem postrema graviora videntur, quamvis nec priora prorsus contemnenda sint. — Itaque cum nostra sententia non levibus argumentis §. I. superstructa sit, quae vero in contrariam partem adhibentur, lubrico admodum nitantur fundamento §. II; neque desint denique caussae sat graves §. III, quae illam sententiam valde concutiant, nostram autem egregie stabiliant: longe maiorem huius quam illius probabilitatem esse statuamus, necesse est. Certe nos excusabunt, spero, haec argumenta aequis iudicibus, quod vulgarem sententiam tenemus atque defendimus: contrariam enim sententiam nos neque explodere, neque ut impiam damnare, supra iam satis superque declaravimus. — Sed forte ne opus quidem sit tanta argumentorum ambage ad demonstrandum, Iacobum Alphaei filium fuisse ἀδελφὸν τ. Κυρίου, si scilicet

recipiamus Ven. Storrii sententiam hanc: differre omnino Iacobum Alphaei filium a Iacobo illo, fratre Domini Matth. XIII, 55. commemorato, qui ad eam stirpem pertineret, ex qua nulli Apostoli lecti fuerint; ipsum tamen fuisse cognatum Iesu, ideoque eiusdem ἀδελφὸν, ab alio latere; diffusam enim videri fuisse familiam Iesu, quare non sequi, si Iacobus Alph. filius ad illam stirpem Matth. XIII, 55. non pertinuerit, eundem Iesu plane non fuisse cognatum, s. ἀδελφὸν: cum enim plures fuissent stirpes eiusdem familiae, clare autem demonstretur hic Iacobus ἀδελφὸς κυρίου Gal. I, 19., atque ἀδελφὸν cognatum quemvis significare, dubio careat, quomodo Iacobus Alph. filius, quamvis idem non esset cum Iacobo τῷ ἀδελφῷ τ. Κυρίου Matth. XIII, 55. ipse tamen ἀδελφὸς τ. Κυρίου esse potuerit; facile intelligi. — Quid? quod concedere possumus, ut ulterius Storrio procedamus, Iesum habuisse germanos fratres Matth. XIII, 55. et alibi commemoratos; nec tamen inde sequitur, Iacobum Alphaei filium prorsus non fuisse ἀδελφὸν τ. Κυρίου, cum vis huius cognominis, Hebraeorum more, tam late patuerit, atque hic tam clare Gal. I, 19. innuatur. Quamquam igitur haec omnia facile largiri possumus, salva nostra sententia, eoque ipsam controversiam paullo angustius contrahere: haec tamen explicandi ratio mihi pluribus de caussis iam supra expositis, non satis probatur; inprimis cum mihi videatur infinita diversarum eiusdem nominis personarum copia in historiam Iesu haud inferenda praeter necessitatem. Veram quidem omnino unam vel alteram rationem esse

posse, probe intelligo, neque deesse, quibus haec vel illa egregie commendetur: sed interno aliquo sensu in explicanda historia Iesu impedior, quo minus adsensum praebere possim; eamque potius teneam rationem, quam §. 1. prolixius iam exposui. Qua quidem id modo demonstrare voluimus: non temere abiiciendam esse vulgarem sententiam; probabiliusque multo statui, Iacobum τ. ἀδελφὸν τ. Κυρίου non fuisse germanum fratrem Iesu, sed eundem potius cum Iacobo Alphaei, quam contrarium: atque hoc sic satis nos effecisse arbitramur. Tantum de prima quaestione!

Sectio II.

Cuinam Iacobo epistola hoc nomine insignita adscribenda sit, disseritur.

Introitus.

Pergimus nunc ad alteram quaestionem, quisnam e tribus illis, qui ab altera parte putantur, Iacobis auctor sit epistolae eidem in canone librorum N. T. sacrorum adscriptae? Itaque, ne iusto prolixius diffundatur libellus,

ut concessam sumimus auctoritatem huius epistolae canonicam, atque de solo Iacobo, quis tandem ille fuerit, hoc loco quaerimus. Quamquam enim (ut paucis modo rem attingamus) antiquiorum ecclesiae Christianae doctorum plures hanc epistolam prorsus ignorasse videntur, primusque eam, claris quidem, etsi non valde honorificis, verbis excitat Origenes (Tom. XIX, in Ioh.) multique etiam veteres (inprimis apud Hieronymum, quamvis ignoti, ex ignotis etiam caussis) parum auctoritatis eidem tribuunt: probabiliter tamen cognita haec epistola iam fuisse Clem. Rom., Irenaeo, aliisque censetur, neque desunt gravia iudicia Athanasii, Chrysostomi, Lactantii, aliorum (teste ipse Eusebio, iniquo alias huius epistolae iudice, quibus auctoritas illius sic satis firmatur; quo cum maxime referas aequa iudicia Syrorum, quos quidem spurium aliquem librum non facile admisisse sciamus: neque ulla animadvertuntur in tanta epistola fraudis vestigia. Atque sunt denique caussae illius dubitationis facile obviae, quod tum incertum esset, quisnam Iacobus auctor epistolae fuerit, tum argumentum ipsum sententiis Paullinis prorsus repugnare videretur. Quare nec sinistra iudicia Lutheri, Centuriatorum Magdeburgensium aliorumque nos movent. Plura dabunt praeter Lardnerum, Millius in Prolegom ad N. T. § 57. et 202. sqq. Michaelis in Introduct. ad libros N. T. P. II, p. 1155. Hassencamp Anmerkungen zu Michaelis Einleitung §. 3. Nösselt Vertheidigung der Christl. Religion p. 344. sqq. ed. 4. Schmidius

in histor. antiqua et vindic. canonis p. 683. sqq. (cupiditati tamen hunc auctorem nimium dedisse, atque ob id ipsum cum iudicio legendum esse constat.), et Pottius in epist. catholic. Vol. I. proleg., ut alios taceam. — Antiqua igitur ecclesiae monimenta si diligentius investigamus, facile tandem intelligimus, plurimos ecclesiae doctores in eo convenisse: Iacobum, non alium, fuisse epistolae auctorem (qui ipse consensus indiciorum in reliquis dissonorum auctoritatem epistolae mire confirmat); sed in eo modo a se invicem discessisse, quisnam e tribus istis Iacobis vere auctor statuendus sit? Haec igitur nobis nunc disquirenda restant. Verum enimvero cum Benson, Michaelis, Zachariae, Pott ll. cc. aliique hunc locum bene iam occupaverint, neque in capite rei ab his viris ipse discedam, summam modo rei, ne actum agere videar, adspersis hinc inde observationibus nonnullis non ubique obviis, nunc exponere iuvat.

§. I.

An Iacobus, Zebedaei filius, auctor epistolae censendus sit, disquiritur.

Pauca sunt et sane levissima, externa, quae vocant, argumenta, quibus epistola ad Iacobum, Zebedaei filium, referatur. Primum ei favet subscriptio epistolae in versione latina antiqua apud Martianaeum haec: „Explicit epistola Iacobi filii Zebedaei.“ Sed ignoramus prorsus hunc testem, qui fuerit, et

quibus argumentis adductus haec subscripserit: et quam parum fidei omnino his subscriptionibus habendum sit, in vulgus constat. — Deinde inscriptio trium epistolarum catholicarum, Iacobi, Petri et Iohannis, in versione Syriaca N. T., eaque in ed. Widmanstadii amplior, sed in edd. Tremellii et Trostii brevior, hanc epistolam tribuit „Iacobo testi transfigurationis Iesu in monte „Tabor" h. e. Zebedaei filio, coll. Matth. XVII, 1. sqq. Sed eius modi inscriptionibus vim probandi nullam inesse, non est, quod multis demonstrem; cum illae sint et recentiores, et secum ipsae pugnantes, adeoque, si alia desint argumenta, omni fide destitutae. Contra editio vers. Syr. in bibl. polyglott. solum Iacobi nomen habet; imo versio Arabica Erpenii ex Syriaca facta hanc epistolam adscribit Iacobo fratri Domini. Quae etiam fuit reliquorum Syrorum sententia; e. g. Ephraemi, qui, ut unum modo locum adferam, Opp. P. III. p. 51. ait: Ἰακώβος δὲ, Ὁ ΤΟΥ͂ ΚΥΡΙ'ΟΥ 'ΑΔΕΛΦ'ΟΣ, λέγει πενθήσατε καὶ κλαύσατε, κ. τ. λ.: atque in Missalibus et Lectionariis Syrorum hanc epistolam perpetuo tribui Iacobo, fratri Domini, non Zebedaei filio, observavit Hassencampius (Zusätze zu Michaelis Einleitung in d. N. T. p. 31.) Est igitur illa inscriptio Syriaca in ed. Widmanstadii merum commentum, quod forte profectum erat ex inepta opinione hac: cum duorum testium transfigurationis Iesu, Petri et Iohannis, epistolae exstent, statuendum etiam esse, tertium testem Iacobum epistolam aliquam scripsisse; qui cum fuerit Ze-

bedaei filius, huic, non alii Iacobo, istam epistolam catholicam adscribendam esse: sic enim socios illos in videndo Iesu transfigurato esse et ipsos socios in scribendo. — Neque offendere adeo nos debet talis ineptus ingenii lusus; plures enim huius modi ineptiae apud veteres occurrunt.

Neque interna, quae dicuntur, argumenta satis valida mihi videntur ad vindicandam hanc epistolam Iacobo Zebedaei filio: quamvis ea non prorsus spernenda sint, atque ipse cum Ven. Noesselto (coniectur. ad histor. ep. Iacobi cathol. p. 6.) credam, apud plurimos huius rei iudices cognitioni caussae praecurrisse adsertionem. Adfertur autem primum hoc: „In his literis Iudaeos dispersos plane non admoneri ad colendam cum „gentibus, ad fidem Christianam conversis, „pacem et concordiam; quod vero, postquam „ethnici ad religionem Christianam accessissent, „cum perpetua fere posthaec inter Christianos, „ex Iudaeis et Gentilibus conversos, alerentur „dissidia, maxime necessarium fuisset: unde se„qui, Iudaeos hos dispersos, quando epistola „haec ad ipsos perscriberetur, nondum fuisse „cum ethnicis permixtos, hosque igitur sacra „Christianorum nondum sequutos: quod op„time quadrare ad Iacobum, Zebedaei filium, „qui iam ante, quam Evangelium inter gentes „latius esset disseminatum, ab Herode Agrip„pa Act. XII, 2. interfectus fuisset; unde „etiam intelligi, quare nulla consessus Hiero„solymitani Act. XV. commemorati mentio in

„hac epistola fiat.“ — At non necessario videtur hoc inde fluere, nam Iacobus Alphaei filius aeque poterat ante haec dissidia ad Iudaeos Christianos literas dare, quippe qui a Paullo diserte nominatur ἀπόστολος τ. περιτομῆς Gal. II, 9; praesertim si sumas cum Ven. Noesselto (l. c. p. 11. sqq.), hanc epistolam datam esse ad ecclesiam Antiochenam, antequam alii e Iudaea venissent, qui Antiochenos negarent salutem consequi sine circumcisione posse (Act. XV, 1.). Quid? quod ex hac ipsa sumtione, ecclesiae Antiochenae destinatas fuisse has literas, colligi possit, admonitione aliqua ad pacem inter utramque partem colendam in hac epistola non opus fuisse etiam post illas lites exortas; cum non solum Iacobus suam iam hac de re sententiam declarasset Act. XV, 13 sqq., verum etiam decreto illo Apostolorum v. 23. sqq. ecclesia Antiochena pacata fuisse dicatur v. 31. Sed mitto hanc argumentandi rationem; quod mihi non satis probatur opinio ista, ingeniose licet atque egregie a Viro summo exornata: at copiosius hoc nunc exponere non est huius loci. Brevius potius rem sic confici equidem existimo: nullam adparere necessitatem, quae urgeret Apostolum, ut horum dissidiorum mentionem faceret, cum neque in aliis epistolis serius conscriptis hoc semper factum sit, neque fieri commode potuisse in hac epistola catholica videatur, quod non unaquaeque ecclesia his dissidiis discinderetur. Putant quidem alii, Iacobum vere hanc pacem Iudaeis Christianis commendasse cap. IV, 11.; sed de longe alio litium, ex aemulatione nempe ortarum, genere

sermo ibi esse videtur (vid. Pott ad h. l.). Neque propterea vis aliqua huic argumento inesse censenda est, quod non certo definiri potest tempus, quo haec epistola scripta sit, atque ab huius temporis ratione et occasio et argumentum epistolae pendet (vid. Pott proleg. p. 35. sqq.). Potest denique nihil sane ex solo auctoris silentio, nisi gravissima alia accedant argumenta, probabiliter colligi, quare nec illa obiectio nos ferit: nullam in hac epistola mentionem fieri gravis illius consessus Hierosolymitani Act. XV.; nam necesse forte non erat, ex ratione temporis et occasionis scribendi, reliquarumque omnino περιστάσεων, ut Iacobus lectores suos de his moneret. — Alio utuntur argumento hoc: „plane non commemorari in hac epistola falsorum doctorum „commenta, nihilque illi inesse, quod ad haec „respicere videri queat; unde sequi, ante turbas a falsis doctoribus in ecclesia Christiana „excitatas, eam fuisse scriptam: quod et ipsum Iacobum, Zebedaei filium, auctorem epi„stolae arguat." — At, si qua insit huic argumentationi vis probandi, modo demonstrat hoc: Hanc epistolam prius, quam vulgo existimetur, esse scriptam: nonne vero et ipse Iacobus, Alphaei filius s. frater Domini, tum temporis iam scribere poterat? Atque, si universum epistolae tenorem attendimus, non facile fugere nos potest, in hoc literarum argumento refutandis falsis opinionibus, nisi ad animum vim haberent, locum fuisse nullum; atque abstinere adeo auctorem data opera ab omni doctrinarum subtilitate, aliosque debellandi cupiditate; nam, quae Iacobus Cap. II.

de recte factorum necessitate disputat, huc plane non pertinent. — Denique ad exornandam illam opinionem facere etiam possit hoc: „videri Iacobum c. II. pugnare in doctri-„na de Iustificatione cum Paulli sententia in „ep. ad Rom. exposita: quam pugnam evitatu-„rus fuisset Iacobus, si post epist. ad Rom. „has dedisset literas.“ Sed iterum nil probat hoc argumentum, nisi ad summum antiquiores forte epistolae origines: at ne hoc quidem satis recte. Nam tum ab omni veri specie abhorret, omnes apostolos reliquorum scripta ab initio statim novisse et legisse; tum eodem iure inverti potest haec argumentandi ratio in Paullum Apostolum, qui, si Iacobi epistolam legisset, aeque sibi cavere potuisset et debuisset, ne Iacobo contradicere videretur (veram enim pugnam inter utrumque haud intercedere, notissima res est). Uterque potius, vel alterius alter epistolam, epistolae saltem verba, plane ignorans, vel, dum scriberet, animi ardore correptus, eadem verba, easdemque sententias, diversa quidem ratione, usurpasse videtur. Leviora reliqua transeo. — Quae autem hactenus monui, tantum demonstrant, alium etiam Iacobum, praeter Zebedaei filium, auctorem epistolae esse potuisse, minime vero, hunc Iacobum seniorem plane non fuisse auctorem. Ad hoc igitur nunc progrediamur. — Permulta sane sunt, quae et hoc nomine ab aliis proferantur: plura quidem nullius fere momenti; at nonnulla tamen graviora, quibus ipse subscribere haud dubito. Leviora silentio prorsus hoc loco praeterirem, nisi nonnulla auctores haberent viros graves et doctos.

Haec igitur sola nunc strictim recensenda videntur.

I.) „Sero hanc epistolam scriptam esse „post epistolas ad Romanos et Galatas; has „enim respexisse Iacobum in sat multis suae „epistolae locis, quibus abusui sententiarum „Paullinarum occurreret: non posse igitur Ia„cobum, Zebedaei filium, quo iam mortuo, „illae epistolae a Paullo scriptae demum fue„rint, pro auctore huius epistolae haberi." — Primum hic sumitur; Iacobum legisse epistolas ad Romanos et Galatas; quam sententiam post Lardnerum, Millium, Wetstenium egregie exornarunt nostra quidem aetate Ven. Semler (in proleg. ad paraphr. ep. Iacobi p. 27. sqq.), et Ven. Storr (dissert. exeget. in epist. Iacobi, nota 82. 89. 136.). Sed incerta admodum est haec sumtio: quid enim (recte monente Ven. Noesselto l. c. p. 9.) verborum quorundam similitudo effecerit, ut unum ab altero lectum putemus, nisi sint ita uni scriptori propria ab eoque uno aut primo usurpata, ut, si alter quoque adhibuerit, necesse sit, hunc ex illius sermone in suum deduxisse; aut nisi integrum locum alter ex altero descripserit? At neque hoc, neque illud in iis locis cernitur, quae ex Iacobi Paullique epistolis proferuntur. Nonnullae potius sententiae atque dicendi formulae ad dialectum ecclesiae sacram ita pertinuisse videntur, ut singuli scriptores Christiani iis uterentur. Cui accedit, aliam prorsus vocab. πίςις apud Iacobum, quam apud Paullum, notionem esse subiectam; atque exemplum et fidei et pietatis

Abrahami inter ipsos Iudaeos fuisse celebratissimum, ut ad hoc adhibendum sane non opus esset legendis epistolis Paullinis: ne dicam, retorqueri posse illud argumentum, Paullumque, statui epistolam Iacobi respexisse. — Deinde sumitur, Iacobum abusui et pravae interpretationi sententiarum Paullinarum occurrisse. Sed Iacobus singula haec scribere potuisset, potuissent etiam alii soli religionis cognitioni nimium tribuere, etiamsi Paullus nusquam sententiam suam de fide exposuisset. At, si vel maxime cum Ven. Knappio (commentat. in c. II. ep. Iac. p. 27.) concedamus, exemplis ac sententiis, sive e sermonibus Paulli sive ex epistolis, arreptis abusos fuisse verae doctrinae corruptores, ut erroribus suis probabilitatis speciem conciliarent; horumque opiniones falsas, et impias interpretationes sententiarum Paullinarum refutasse Iacobum: inde tamen non sequitur, Iacobum legisse epistolas Paulli, hisque posteriorem esse illius epistolam; hic enim abusus sententiarum Paulli a solis ipsius sermonibus falso intellectis ac in impium sensum detortis repeti potest. Sed illa Viri Ven. opinio ipsa non satis firma ac certa mihi quidem videtur.

II.) „Si haec epistola mature adeo a Iaco„bo, Zebedaei filio, scripta esset, futurum „etiam fuisse; ut Paullus, cui non potuisset „non illa innotescere, sibi in utraque episto„la ad Romanos et ad Galatas caveret, ne in „verbis sententiisque cum Iacobo pugnare vi„deretur. Quod cum aliter evenisset, plane „non posse origines epistolae ad prima illa

„tempora referri. — Ponitur autem sic argumentando, quod iam supra, ratione quidem inversa, in altera parte reprehendimus: temere enim sumitur, Paullum, quaecunque ab Apostolis aliis prius scripta fuerint, et legisse, et ita tenuisse, ut, quamvis toties esset et negotiorum molestia obrutus, et rerum adversarum cumulo fere oppressus, et animi sollicitudine perturbatus, atque inter scribendum ipsum tanta sententiarum gravitate perculsus, tantoque animi sensuum fervore abreptus, illarum tamen sententiarum, et alio prorsus consilio declaratarum, et iam dudum a se lectarum, ne unquam quidem oblivisceretur. Quis talia ferat?

III.) „Quo tempore Iacobus, Zebedaei fi„lius, religionis Christianae caussa interfectus „iam fuerit Act. XII, 2., hanc ipsam religio„nem Palaestinae fines nondum excessisse, „cum tamen, epistolam Iacobi ad homines ex„tra Palaestinam degentes conscriptam esse, „statim ex Cap. I, 1. luculenter adpareat: ne„que admodum probabile esse, saltem certa „ulla ratione probari non posse, Iacobum prae„ter morem et consuetudinem Apostolorum ec„clesiis ante scripsisse litteras, quam ipse eas „doctrina Christiana erudiendas informandas„que adiisset“ — Mirari subit, repeti hac nostra aetate hoc Bensonii argumentum satis superque iam confutatum; vid. Michaelis Einleitung P. II. p. 1136. sqq., Zachariae Paraphr. d. kathol. Br. Einleitung, et Noesselt coniectur. in ep. Iac. p. 11. sqq. Nam non modo ecclesiam Antiochenam an-

te obitum Iacobi, Zebedaei filii, fundatam iam fuisse et mire auctam, verum etiam in aliis terris religionem Christianam late sparsam, ex Lucae commentariis abunde adparet. — Apostolos vero non prorsus abhorruisse a scribendis ad ecclesias nondum a se ipsis instructas et informatas literis, clare docet exemplum epistolae ad Romanos a Paullo ante, quam eos adiisset, datae. Nec denique ipsi Iacobo, Alphaei filio, qui plerumque Hierosolymis commoraretur, singulas illas ecclesias, quibus haec epistola destinata esset, propius nosse contigerit. — Haec de levioribus argumentis.

Pergo nunc ad graviora, quae mihi quidem videntur. Primum, quamvis longe lateque doctrina Christiana iam ante obitum Iacobi, Zebedaei filii, sparsa sit, tamen, extra Palaestinam, praeter Antiochenam, alia ecclesia integra hoc tempore nulla extitisse videtur; quae enim a Luca ante Act. XII. de religione Christiana ultra fines Palaestinae propagata narrantur, modo demonstrant, si ecclesiam Antiochenam exceperis, in aliis quoque terris plures quidem, at singulos homines, vel singulas familias ad illam doctrinam fuisse adductas. At integras ecclesias, easque ex Iudaeis (δώδεκα φυλαῖς ἐν τῇ διασπορᾷ) exortas, paullulumque iam adultas, quales haec epistola requirit (vid. Zachariae l. c.), in aliis terris hoc iam tempore surrexisse, historia silet. Neque in his primis sacrorum Christianorum incunabulis tantos eorum progressus exspectaveris. Atque, si ecclesia Hierosolymitana tam felices religionis Christianae apud ex-

teros progressus rescivisset, hos profecto Lucas, qui tot alias leviores historias commentariis suis inserit, cum ad primam religionis aetatem (nam alia multa, etiam graviora, studio eum praeterire scimus) pertinuerint, haud reticuisse videtur. Iam vero epistola Iacobi, meo quidem sensu, est catholica h. e. pluribus ecclesiis per orbem dispersis destinata (de alia potestate voci καθολικὸς a Ven. Noesselto subiecta disserere, non est huius loci; vid. interim Pott epp. catholl. Vol. I. Exc. I); nam αἱ δώδεκα φυλαὶ ἐν τῇ διασπορᾷ, quibus haec epistola inscribitur, haud differre videntur a τοῖς παρεπιδήμοις διασπορᾶς Πόντου, Γαλατίας, Καππαδοκίας, Ἀσίας καὶ Βιθυνίας 1 Petr. I, 1.; nec maiorem doctrinarum copiam et varietatem equidem desidero in hac epistola Iacobi, quam in priori Petri: etsi vel maxime hoc concesserim, eam forte non tam catholicam, quam encyclicam, fuisse, h. e. ad certam aliquam provinciam maiorem, veluti illam ad Ephesios, restrictam. Quicquid autem horum sit, plures tamen ecclesias, quibus destinata sit, haec epistola requirit. Quae cum prima illa et infantili, ut ita dicam, religionis Christianae aetate ante obitum Iacobi, Zebedaei filii; praesertim tales, quae ex solis Iudaeis institutae fuerint, nondum extitisse censendae sint; Iacobo illi Zebedaidi has literas non tribuendas esse, facile intelligimus. — Deinde non videntur Apostoli mature adeo epistolas scripsisse; hae enim, si analogiam sequi fas est, perfectiorem aliquam ecclesiarum indolem et formam requirunt, quam quae ab illis incunabulis exspectari possit. Certe non prostat si-

mile iam tum scriptarum ab alio Apostolo literarum exemplum: atque ipsa epistola Iacobi satis prodit (vid. Zachariae l. c.), vel iis ecclesiis, quibus destinata esset, perfectiorem illam formam vere iam contigisse. — Denique universa antiquitas Christiana, si hanc epistolam omnino admittit, eam tribuit uno ore, non Iacobo, Zebedaei filio, sed vel Iacobo, fratri Domini, vel Iacobo Alphaei filio. Cui consentienti veterum testimonio si fides habenda non sit, quid tandem certum aut probabile in historia librorum sacrorum foret? Inscriptiones autem illas ac subscriptiones, quibus haec epistola Iacobo maiori adscribitur, nihil habendas esse, supra demonstravimus. Itaque cum ne ullo quidem idoneo testimonio ex antiquitate Christiana petito concedatur haec epistola Iacobo, Zebedaei filio, neque alia pro eo pugnent argumenta gravia, alia potius omnia ei adversentur: summo iure auctorem huius epistolae eum negari statuimus. —

§. II.

Utrum Iacobo, Alphaei filio, an Iacobo, fratri Domini, eique ab illo diverso, haec epistola adscribenda sit, investigatur.

Multo maiorem fidem meretur sententia eorum, qui hanc epistolam Iacobo, τῷ ἀδελφῷ τοῦ Κυρίου, cuius Matth. XIII, 55. Gal. I, 19., mentio fit, quique per longam annorum seriem ecclesiae cum primis Hierosolymitanae praefuisse dicitur, tribuunt. Nam, quicunque antiquiores hanc epistolam admittunt, iidem

etiam illam Iacobo, τ. ἀδελφῷ τ. Κυρίου adscribunt: veluti Athanasius, et Basilius (qui quidem auctorem modo laudant Ἰακώβον τὸν Ἀπόστολον; at de Iacobo, Zebedaei filio, sane non cogitarunt) Chrysostomus, Eusebius, Epiphanius, Cyrillus Hierosolymitanus, Hieronymus, Ephraemus Syrus, Ruffinus, Theodoretus, Sophronius, Syncellus (vocat Iacobum ἀδελφόθεον), alii (quorum testimonia vide ap. Schmidium et Pottium ll. cc.). Itaque si quicquam apud nos valet in constituenda historia librorum sacrorum auctoritas antiquae ecclesiae (et sane debet valere, nisi incerta statuantur omnia): huic, non alii, Iacobo adiudicanda est haec epistola. — Sed hi antiquae ecclesiae doctores, quamquam unanimi consensu Iacobi, fratris Domini, hanc epistolam esse pronunciant, non tamen eodem omnes modo de eo, qui sit Iacobus ille frater Domini, sentiunt. Eusebius et Epiphanius eum pro filio Iosephi ex priori coniuge nato habent. Cyrillus Hierosolymitanus distinguit eum a XII. Apostolis. Hieronymus sibi ipse non constat: mox (adv. Helvid.) putat, auctorem epistolae modo esse consobrinum Iesu, atque eundem cum Iacobo, Alphaei filio; mox, (Comm. ad Es. XVII.) Iacobum fratrem Domini habet pro decimo tertio Apostolo, adeoque ab Alphaei filio diverso. Chrysostomus, Theodoretus, Sophronius habent eum pro filio Clopae; at non docent, an Clopam eundem censeant cum Alphaeo, patre Iocobi Apostoli. Athanasius et Basilius adpellant eum ἀπόστολον: at quo iure ac sensu hoc

faciant; utrum eum pro Alphaei filio, an cum Eusebio et Hieronymo pro novo aliquo Apostolo habeant, non declarant. — Ex his igitur intelligimus, quantum antiquioris ecclesiae doctores, quamvis in re ipsa amice conspirent, in definiendo tamen rei modo a se invicem dissentiant. Acceperint ergo, quae mea est sententia, hi viri, e constanti traditione ecclesiastica solum hoc: „Auctorem epistolae esse Iacobum fratrem Domini:" inde tantus in re ipsa virorum consensus! At cum hac ipsa via non itidem accepissent, qui sit ille frater Domini, et quo sensu hic sit, idque proprio potius ipsarum iudicio relictum esset: inde tantus iterum in hac re declaranda opinionum dissensus! Enimvero, ubi Patres, quos vocant, non testes agunt, sed iudices, nos quidem effatis eorum plane non adstringimur; ipsi enim iudicare, ipsi opinari possumus. Auctorem igitur epistolae fratrem esse Domini, hoc sane nobis non negandum est; nisi quid temere sumere, vel abiicere velimus. Quo autem sensu auctor huius epistolae frater Domini dicatur; sitne Alphaei filius, an alius; cognatus Iesu, an germanus Eiusdem frater: in hoc certe salvum est nostrum iudicium; atque sive hoc, sive illud statuamus, id sane fieri poterit salva fide antiquae ecclesiae. Attamen, quod observetur, non prorsus indignum puto hoc: nostram quidem sententiam, qua frater ille Domini censetur Iacobus, Alphaei filius, nonnullos veterum tueri: qui vero inter antiquiores eundem habeat pro germano fratre Iesu, eoque ipso ex Maria, matre Iesu, nato, sane esse neminem; quamvis non dees-

sent, qui hunc Iacobum ex priori Iosephi coniugio natum, fraternitatisque adeo vinculo cum Iesu coniunctum, atque LXX discipulis adnumeratum fuisse adfirmarent; sed miris adeo opinionum commentis v. c. de decimo tertio loco Iacobi inter Apostolos, de ipsius Nasiraeatu, comesto cum Christo agno paschali, rel. hanc sententiam sic permiscerent, ut, et ipsam ex solo eorum ingenio profectam esse, haud obscure adpareat. —

Si quis igitur demonstrare velit, Iacobum, Alphaei filium, quamvis ille possit ἀδελφὸς τ. Κυρίου, ex notissima vocis potestate, dici, auctorem tamen huius epistolae habendum non esse; id sibi datum esse sciat, ut hoc ex longe aliis, quam externis illis, quae nihil sane ad rem faciunt, argumentis, iisque gravioribus clare doceat. Quae vero hucusque ab altera parte in hanc caussam prolata esse scio, ea plane non sunt, quae non aeque possint ad Iacobum, Alphaei filium, accommodari. Quod enim auctor epistolae se δοῦλον, non ἀπόστολον, inscribit, eo sane non negat, se esse ἀπόστολον: nam Paullus Apostolus non modo saepius δοῦλον et ἀπόστολον in titulis epistolarum coniungit, unde, unum non tollere alterum, planum est; verum etiam Philipp. I, 1. solum δοῦλον se adpellat, ac Philem. v. 1. δέσμιον, nulla apostolicae dignitatis in fronte epistolae mentione facta (plura vide sis ap. Pottium, ad Iac. I, 1.). Neque tanta vis inesse videtur comparationi argumenti huius epistolae, et scribendi generis, cum Iacobi, fratris Iesu Christi, cognomine Iusti, vita ab Hegesippo et Iosepho

delineata: nam ut taceam, illas narrationes, si fabulas quidem nugasque, iam a Scaligero (in animadversionibus ad Eusebii Chronicon) explosas, resecueris, tales omnino esse, ut commode ad Iacobum, Alph. filium, referri possint; equidem non video, cur non ab ullo alio, quam Iacobo illo Iusto, eodem et veritatis et pietatis sensu, eodemque dicendi genere gravi et ornato, elaborari haec epistola potuerit. — Neque impedit, quod Iacobus hic, frater Domini, episcopus ecclesiae Hierosolymitanae dicitur, quo minus et ipse Apostolus esse potuerit: nam nihil obstare, quo minus Apostolus, quamvis hoc nomine doctoris universalis munere functus, nec unicuidam ecclesiae adstrictus fuisse censendus sit, certa tamen aliqua ratione istius ecclesiae, in qua per aliquod temporis spatium fere continuum commoratus, quamque auctoritate apostolica subinde moderatus fuerit, episcopus adpelletur, aliis iam observatum est. Caveamus modo, subiiciamus huic voci, iam in N. T. libris latius patenti, notionem posterioris aevi Christiani angustiorem; pari enim ratione et reliqui Apostoli omnium illarum regionum et urbium, quas doctrina sua illustrarunt, ecclesiarumque, quas et instruxerunt, et gubernarunt, episcopi fuerunt (cf. Ittigii select. capp. hist. eccles. Sec. I. c. VII. Sect. V. §. 18. et Suiceri thesaur. eccles. sub voc. ἐπίσκοπος).

Quae cum ita sint, nulli dubitamus, hanc epistolam tribuere Iacobo, Alphaei filio, eique Apostolo, qui et ipse sic satis probabiliter in

Sect. I. demonstratus sit fuisse Iacobus ille ὁ ἀδελφὸς τ. Κυρίου. Certo quidem confici haec res plane non potest, cum idoneis veteris ecclesiae testimoniis destituamur. Quoniam vero, quod vidimus, primum nihili habendae sunt caussae, quibus hic Iacobus epistolae fuisse auctor negatur, omnia potius in eodem optime conveniunt; deinde, si haec epistola ad alium Iacobum, ab Alphaei filio diversum refertur, hoc sine ulla caussa, gravi ea quidem et iusta, fieri, manifestum est; porro a plerisque antiquioribus Iacobus, epistolae auctor, Apostolus dicitur, qualis, praeter Zebedaidem, Alphaei filius solus fuisse censendus est; praeterea inter ipsos antiquiores nonnulli, iique viri graves, v. c. Chrysostomus, Theodoretus, hunc Iacobum, ἀδελφὸν τ. Κυρίου, non Iesu fratrem, qui propie dicatur, sed modo consobrinum fuisse, adfirmant; denique nos ipsi, sententiam, qua Iacobus Alphaei filius idem fuisse cum Iacobo, fratre Domini, existimatur, summa, quae quidem in his rebus exspectari possit, veri specie haud carere, satis superque evicisse nobis videmur: cur nihilo tamen secius non huic Iacobo Alphaei, sed alii Iacobo, haec epistola adiudicanda sit, plane non intelligimus. — Sin autem Iacobus, ὁ ἀδελφὸς τ. Κυρίου, diversus sit a Iacobo, Alphaei filio, libenter equidem concesserim, non huic, sed illi, ob constans antiquae ecclesiae testimonium, hanc epistolam esse concedendam: unde tamen non illico sequitur, auctorem fuisse germanum fratrem Iesu; poterat enim esse alius cognatus,

ab alio forte familiae latere cum Iesu coniunctus. — Enimvero cum ad aestimandum id, quod fide dignum sit, non haerere liceat in eo, quod aut esse, aut fieri possit; sed deceat, nisi incerta sequamur, maiorem veri speciem circumspicere; ad eamque partem inclinare, quae pluribus caussis se nobis commendet: non possumus non ex argumentis supra fusius expositis sententiam hanc: Iacobum Alphaei filium, tum eundem esse cum Iacobo fratre Domini, tum et ipsum auctorem huius epistolae recte haberi, tamquam multo probabiliorem reliquis opinionibus longe praeferre. — Sed haec de nostra quidem sententia: aliorum sit aliter iudicare.

V.

De librorum ecclesiae symbolicorum et legis regiae pro tuenda eorum auctoritate Leopoldo II. scriptae (Wahlcapitulation Artic. II. §. VIII.) iusta ratione ad libertatem coetibus evangelicis propriam.

Oratio,

quam
in festo anniversario
Petro-Paullino
a. d. XXIX. m. Iun. A. C. MDCCXCI,
quum rectoris munus primum susciperet, habuit
M. Ioannes Philippus Gabler,
Theol. P. P. O.
Altorfinus.

Si quo unquam, hoc certe, in quod nos servati sumus, tempore ordo rerum sive civilium

sive sacrarum ita turbatus et plane conversus videtur, ut vel summa ingenii sagacitas, qualem tandem mira haec rerum fere omnium conversio exitum habitura sit, vix certo praefinire valeat. Studia enim hominum in contraria currunt, atque exarsisse nunc videtur funestum bellum omnium contra omnes. Quemadmodum ab altera parte impotentem dominandi libidinem videmus immani crudelitate in cives saevientem, atque libertatem fere omnem penitus opprimentem: sic feroci impetu ab altera parte erumpit atque longe lateque vagatur effrenata infimae adeo plebis licentia, quae perruptis optimarum legum repagulis, in ipsos principes, resque sanctissimas quidvis sibi licere existimat, hancque solam fere scripsisse sibi legem videtur: Nil revereri, suoque soli vivere ingenio. —

Neque laetior est hac aetate ecclesiae Christianae facies, Alli enim quodvis confessionum publicarum vinculum proterve respuunt, in media ecclesia Iesum, Servatorem Optimum, contemnunt, eiusque religionem sanctissimam aut male torquent, aut verbis adeo contumeliosis insectantur, atque spreta omni librorum sacrorum auctoritate nullam doctrinam, nisi rationis humanae imbecillitati iam perviam, admittunt. Alii contra in formulis antiquis tam anxie haerent, ut non ipsi modo ab omni nova veritatis investigatione abhorreant, sed alios etiam liberalioris ingenii viros verique amantiores, simul atque hi libertate ecclesiae nostrae Evangelicae melius usi, in sensum et veram indolem sacrarum scriptura-

rum altius penetrent, dogmata Christiana cautius definiant, opiniones mere humanas a doctrinis vere divinis accuratius discernant, atque placitis humanis iustum, hoc vero est, minus, ac antea soleret, pretium statuant, hos, inquam, viros cordatos, doctos, probos, religionisque Christianae inprimis studiosos atrociter damnent, atque tamquam impios haereticos ex ecclesiae consortio protinus eiiciendos furore plusquam Cyrilliano abrepti censeant. Putant nimirum hi homines, universum doctrinarum divinarum ambitum a primis iam purioris formulae conditoribus satis fuisse descriptum, nec posse quidquam sine impia offensione Lutheri, aut librorum ecclesiae nostrae symbolicorum a nobis rectius definiri, aut dici aptius; atque inepto hoc et male sano iudicio verum Catholicismum, quem dicunt, in ecclesiam nostram inferunt. Suscepto enim imprudenti hoc consilio non secus agunt, ac si libertatem tanto pretio redemtam ipsi eripere studeant, plane immemores, perfectam absolutamque veri indagationem non esse unius hominis, nec unius aetatis; id quod perpetuus usus et observatio in quocunque disciplinarum genere satis confirmat; atque obliti prorsus gravis illius admonitionis beati Lutheri: Thut auch etwas nach meinem Tode!

Tanta igitur tamque atrocia in ecclesia nostra Evangelica gliscunt sententiarum dissidia, ut alii contemtis omnibus ecclesiae symbolis quidvis sibi in dicendo aut scribendo licere existiment, atque hac licentia animis Christianorum vel scrupulos, vel levitatem et teme-

ritatem iniiciant; alii contra, male neglecta libertate ecclesiae nostrae restituta, in perennem auctoritatis humanae servitutem mentem Christianam redigere allaborent. Quibus contrariis Theologorum studiis quum haud parum conturbetur pax et tranquillitas ecclesiae, et ipsius adeo civitatis arctissimo cum illa vinculo coniunctae: mirum sane non est, Principes Electores anno proxime praeterlapso in formulis novo Imperatori eligendo praescribendis ad reprimendam hanc ipsam opinionum in rebus sacris perversitatem, terris religioni Romano-Catholicae addictis inprimis noxiam, animum intendisse. Quod quidem factum esse scimus in legibus eligendo Imperatori Leopoldo II. scriptis, artic. II. §. 8. his verbis antiquae formulae Iosepho II, immortalis memoriae, iam praescriptae additis:

„Daſs überhaupt keine Schrift geduldet werde, die mit den symbolischen Büchern beiderlei Religionen und mit den guten Sitten nicht vereinbarlich ist, oder wodurch der Umsturz der gegenwärtigen Verfassung oder die Störung der öffentlichen Ruhe befördert wird."

Quis lectis vel auditis his novae formulae verbis non agnoscat et revereatur piam Serenissimorumm Principum Electorum mentem, pacisqne in ecclesia et civitate servandae quam maxime studiosam? Verum enimvero haec eadem nova formula pia erga Germaniae Principes Electores mente a nobis colenda quum in

libris edendis antiqua librorum symbolicorum norma severe nos adstringat, aliis haud paucis visa fuit libertati nostrae Evangelicae haud parum inimica. Quid igitur nobis statuendum erit de libertate ecclesiae Evangelicae? Estne forsitan ficta tantum et fallax aliqua libertatis species, an veri nominis libertas? Qua ratione committi illa potest cum auctoritate librorum symbolicorum? Quo tandem modo conciliánda est cum ipsa hac nova lege Leopoldo Imperatori scripta? Haec vero pro virium imbecillitate ac temporis demensi angustia brevibus nunc disputare, quum regendae huic academiae admoto mihi coram concione hac amplissima more consueto dicendum sit, haud abs re esse arbitror *). Velitis igitur, Auditores omnium ordinum Ornatissimi, aures dicenti mihi praebere benevolas, Vos ea, qua par est, observantia impense oro rogoque.

Primum et Ecclesiae nostrae, et ipsi Se-

---

*) Quum hanc orationem typis excudendam iam curarem, incidit in manus commentatio brevis eiusdem consilii et argumenti in libello illo annuo celebratissimo: Iournal von und für Deutschland, acht. Iahrg. 1791. Stück II. p. 168. sqq. In omnibus quidem quasi dè compacto mecum amice consentit auctor ἀνώνυμος; id quod haud parum mihi attullit voluptatis. Quum autem haud pauca copiose a me in hac oratione exposita vel breviter modo ille attigisset, vel planè intacta reliquisset: nec hanc opellam meam suo usu carituram esse existimavi, praesertim quum ille ipse scriptor, ut res a pluribus pertractaretur, optasset.

renissimorum Principum Electorum aequitati et sapientiae id nos debere profitendum est, ut teneamus, Serenissimos hos Electores eorumque publicos in splendidissimo illo consessu Francofurtensi interpretes nova hac lege nihil efficere voluisse, quod contra iura et beneficia Ecclesiae Evangelicae fidei formularum ratione ac indole prorsus diversa aperte pugnet. Sin autem vel maxime ex ipsa sententia eorum, qui hanc legem rogarunt, talis verborum sensus admittendus sit, ut pugna illius cum vera Ecclesiae nostrae indole, sine ullo quidem nocendi consilio, negari non possit, male nempe intellecta caussa religionis Evangelicae atque permixta prorsus indole librorum symbolicorum ecclesiae Evangelicae et Romano-Catholicae, per se quidem plane diversa: alia nobis ratio quaerenda est, qua libertatem ecclesiae Evangelicae adversus quascunque calumnias ex hac lege petitas vindicemus. — Duplicem igitur viam in gravi hac caussa nobis ineundam esse videmus: alteram quidem molliorem et iucundiorem, alteram vero paullo asperiorem et molestiorem. Priorem viam si ingrediamur, nova haec lex Leopoldo scripta ita interpretanda est, ut cum genuina indole ecclesiae Evangelicae atque cum liberali ingenio ac consilio librorum eiusdem symbolicorum consentiat. Itaque primum strictim notandum est verum consilium librorum symbolicorum, ut iusta deinde legis interpretatio huic consilio conformis institui a nobis possit. Atque haec mollior legem interpretandi ratio tam diu a nobis teneri poterit, donec authentica aliqua Serenissimorum Electorum in-

terpretatio, nostrae quidem contraria, alteram, eamque asperiorem, viam ingredi nos iubeat.

Inter omnes constat, in eo potissimum versari discrimen Evangelicos inter et Pontificios, quod his auctoritati ecclesiae firmiter inhaerentibus, atque canones conciliorum, effata Patrum, quos vocant, atque decreta Romanorum Pontificum pro sancta ac inviolabili norma fidei declarantibus, illi omnem auctoritatem humanam in doctrina Christiana respuant, atque solam sanam rationem et sacram scripturam, recte quidem intellectam, unice sequantur. Enimvero quum ratio humana magis magisque excolatur et perficiatur, atque auctis subinde linguarum et historiarum praesidiis iusta et legitima identidem sacras literas interpretandi ratio maiora in dies incrementa capiat: fieri plane non potest, quin multa hodie melius a nobis perspiciantur, ac rectius aestimentur, quam a primis istis purioris doctrinae vindicibus, illo quidem tempore, tam egregiis et intelligendi et interpretandi subsidiis destituto, fieri potuerit. Itaque si libris ecclesiae nostrae symbolicis isto tempore conscriptis tantum tribueremus, quantum Pontificii concilii Tridentini decretis, eosque pro immutabili fidei nostrae norma et ipsi haberemus, et aliis obtruderemus: iniqua hac in libros symbolicos pietate et immodica reverentia ipsa fundamenta ecclesiae nostrae male concuteremus, atque honorifico Evangelicorum nomine nos redderemus plane indignos. Neque vero eo tendebat consilium librorum symboli-

corum, nominatim Augustanae Confessionis eiusque Apologiae, ut liberum de rebus divinis iudicium tolleretur, praeriperetur que confessoribus materia dogmata Christiana penitius investigandi, liberius examinandi, accuratius definiendi, atque, recte adhibitis philosophiae, philologiae et historiarum praesidiis, universam disciplinam theologicam repurgandi et amplificandi. Longissime enim aberat primum Confessionis Augustanae consilium ab iniungenda confessoribus perenni ac immutabili norma fidei, sed locum potius eadem fecit satis amplum, tam in praefatione, quam in clausula, futurae cuique mutationi et emendationi. Eum in finem potius, quod inter omnes constat, haec Confessio Augustana fuit exhibita, ut Evangelicae formulae addicti ab ignominiosa haereseos atque rerum novarum suspicione et calumnia sese purgarent, proponerentque, quae de rebus divinis secus, ac Pontificii, at rationis iudicio et sacrae scripturae decretis, pro istius quidem temporis et ingenii ratione, satis convenienter sentirent, ac denique occasionem praeberent doctrinam publicam repurgandi, et varios abusus tollendi, qui in res sacras irrepserant, hocque pacto concordiam restaurandi *). Neque igitur libertas civilis coetibus Evangelicis concessa ad normam illius Confessionis restricta erat, sed data potius terris et Imperii Ordinibus Evangelicis omni-

*) cf. Puetters historische Entwickelung der heutigen Staatsverfassung des teutschen Reichs. Th. I. p. 390 sqq.

no. Quo factum est, ut coetus Reformati, qui dicuntur, eadem, qua Lutherani, pace fruerentur, etsi iisdem omnes uterentur symbolis, multique praeter Augustanam Confessionem, eamque variatam, aliam formulam agnoscerent nullam. — Haec denique potestas Evangelicorum symbola sua mutandi, et aliam doctrinae formam recipiendi non solis his doctrinae nostrae fundamentis nititur, verum etiam in publicis Imperii Germanici commentariis confirmata est; quod iam Puetter *), vir celeberrimus, clare satis docuit. Nam in constitutione Passaviensi eamque sequuta Augustana, eademque tum in subsequentibus comitiis, tum maxime in Instrumento pacis Osnabrugensis sollemniter confirmata, haec verba legimus expressa: „So sollen die Kaiser„liche Maiestät, wie auch Churfürsten, Für„sten und Stände keinen Stand des Reichs „von dieser A. C. Religion, Glauben, Kir„chengebräuchen und Ceremonien, so sie „aufgerichtet, oder nachmals aufrich„ten möchten, dringen." Eandem libertatem coetibus Evangelicis concedunt pacta conventa Iosephi II., artic. II. §. VIII. his verbis, in ipsa novissima lege Caesarea Leopoldo II. scripta repetitis: „Am allerwenigsten „aber solle man sich anmassen; den heilsamen „Reichssatzungen zuwider über neue editiones „der Augsburgischen Confessionsverwandten li„brorum symbolicorum, so sie vor oder

*) vid. praef. editionis A. C. ab Ipso a. 1776. procuratae p. 31.

„nach dem Religionsfrieden dafür angenom-
„men, oder noch annehmen möchten,
„den Fiscal zu hören, oder Processe ausgehen
„zu lassen" — Gaudet igitur omnino Ecclesia nostra Evangelica, tum secundum notiones primas religioni suae proprias, tum secundum privilegia auctoritate publica eidem concessa, iure suo libros symbolicos mutandi et emendandi, ipsosque adeo abrogandi, atque cum novis melioribus permutandi: id quod iam docte et copiose exposuit Doederlinus, Vir venerabilis *) ut summo iure verba Senecae (ex ep. XXXIII.) ad nos transferamus: „Qui
„ante nos ista moverunt, non domini nostri,
„sed duces sunt. Patet omnibus veritas, non-
„dum est occupata, multa ex illa etiam futu-
„ris relictum est." . . .

Quae cum ita sint, liceat etiam necesse est doctoribus ecclesiae Evangelicae dogmata auctoritate publica recepta sollicite examinare, melius describere, locos sacrae scripture ad probandum allatos accuratius excutere, pretium singulis veterum Theologorum placitis statuendum rectius aestimare, dubia nonnulla modeste nectere, meliorem denique institutionem Christianam aetati nostrae accommodatiorem

---

*) in egregia commentatione: de mutatione religionis publicae; vid. Opusc. theolog. p. 163. sqq. Conferri etiam merentur eximie dicta in libello: Bemerkungen über Roennbergs Abhandlung über symbolische Bücher. Leipz. 1790. 8. p. 70. sq.

tentare. Possitne enim ea libertas dici, quae usu plane careat? Nonne absonum foret, doctoribus ecclesiae perpetuam ac indefessam veri perscrutationem impense commendare, acriusque literarum studium eis graviter praecipere, et nihilo tamen secius eosdem damnare, si adhibitis pro viribus his praesidiis tantopere ipsis commendatis ad alias sententias, atque adhuc ex systematis theologici rationibus exponi solerent, meditando pervenerint? Nonne ineptum foret, quae meditando praecedant, sollicite inculcare, quae vero prono alveo inde fluant, nihilo tamen secius acriter insectari? Ab omnibus linguarum scientiarumque praesidiis ad indagandum id, quod verum sit, longe melius maioribus nostris esse instructum, nec tamen in constituenda rectius doctrina christiana ne latum quidem unguem ulterius progredi, quis hoc ferat? — Itaque pro libertate, qua ecclesia Evangelica gaudet, licet omnino, editis libris capita doctrinae in libris symbolicis expressa examinare, argumenta in utramque partem proposita ponderare, dubitationem modeste movere, sicque materiam accuratiori veritatis perscrutationi largiter praebere. Qui enim m o d e s t e d u b i t a t, meliusque se edoceri cupit, is sane doctrinam publicam p r a e f r a c t e n e g a r e haud censendus, nec inter haereticos referendus est; praesertim si dubia sint e genere subtiliori, atque ad p o p u l a r e m institutionem plane non pertineant. Atque si ecclesiae nostrae, quod supra demonstravimus, ius mutandorum symbolorum competit, pateat etiam cummaxime ea via necesse est, qua ad rem propositam facillime per-

venias. Quaenam autem expeditior via eo perveniendi cogitari possit, quam mutua et publica sententiarum vel diversissimarum collatio? Eheu! quam parum hucusque profecissemus in literis theologicis, nisi haec via nobis patuisset! Quis enim eo arrogantiae, imo dementiae procedat, ut sibi solus sapere audeat? Unde quaeso insignes illi progressus Germanorum in sanctioribus disciplinis, praesertim in meliori librorum sacrorum interpretatione conspicui, qui et exteros, superbos alioquin rerum nostrarum contemtores, in admirationem sui rapiunt? Nonne profecti sunt hi omnes a libertate illa dicendi et scribendi, qua excitarentur optime ingenia ad rimandam penitius veritatem, efformandamque melius universam Theologiae rationem et indolem. Nonne admissa hac scribendi libertate ex ultimis his triginta circiter annis multo praestantiora emolumenta cepit religio Evangelica, quam ex integris duobus saeculis faustius hoc aevum praegressis, quibus, inducta iterum infausta omnino in ecclesiam nostram superstitione, et servili in ecclesiae placita reverentia, a singulis vel levissimis librorum symbolicorum sententiis recedere fuerat religio? Sed recentiori huic sentiendi scribendique libertati debemus erectiorem illam mentis indolem, ut fidei Evangelicae summam non quaeramus in singulis doctrinae publicae sententiis anxie et superstitiose retinendis, sed in liberaliori Ecclesiae nostrae indole, ab omni humana auctoritate aeque ac servili mente longe aliena. Mire nunc consentiunt cordatiores Theologi omnes in multis rebus, quae veteribus seculi praeter-

lapsi Theologis horridae et exsecrabiles visae sunt. Placide nunc inter Theologos disceptatur de rebus iis, quas acerrime et cum exsecratione secus sententium defenderant veteres. Multae lites nunc plane consopitae sunt, quibus olim vehementissime exarserunt animi omnium. Unde haec tanta animorum mutatio? Nonne profluxit ex fonte libertatis scribendi saluberrimo? — Atque si quando auctoritate Principum Evangelicorum ex tot intelligentium voto aut veteres ecclesiae formae novis doctorum gravissimorum curis emendandae sint, aut plane novae conficiendae; cuius quidem rei ius nobis esse, supra docuimus: qui tandem exspectari possit inter Theologos illos, novae formulae conditores, in rebus gravissimis consensus, quive ab eorum studiis fructus, nisi iudicium eorum multiplici lectione et meditatione prius fuerit subactum? Sed fructu carebit lectio et meditatio, nisi libri lecti ex mente liberali fuerint profecti, nec tanta librorum, qui hanc liberalem indolem prae se ferant, copia adsit, ut lectores sine ulla praeiudicata opinione rem ab omni parte possint contemplari. Quo igitur ecclesiae nostrae sua constet libertas, suique eam maneant fructus libertatis saluberrimi, regnare etiam inter nostros debet ingenua, cauta illa quidem ac modesta, in scribendo et dicendo liberalitas, durae nulli necessitati aut ignominiosae servituti subiecta. —

Verum enimvero erunt, qui imminui admodum hac via auctoritatem librorum symbolicorum, reverentiamque illis debitam existiment.

Cadit quidem, haud diffiteor, hac via coeca illa symbololatria, Romano-Catholicae fidei sane accommodatior ac Evangelicae; cadit et cadere debet insana illa symbolorum veneratio, qua tot Theologi Ecclesiam Evangelicam olim tam male adflixerunt, ut ipsa confessionis nostrae fundamenta penitus everterent. Sed non cadit iusta illa ac cum ratione coniuncta reverentia, quae antiquae et praestanti universae ecclesiae Evangelicae confessioni, eidemque publicae, merito debetur. Quidquid enim singuli contra singula huius confessionis capita moneant, id semper referendum est ad opiniones singulorum, quibus nihil plane in doctrina publica immutetur, donec collatis tandem inter se invicem atque sollicite ponderatis his singulorum placitis auctoritate Principum Evangelicorum atque consentientibus Theologis primariis nova formula publica condatur. Priusquam autem libri nostri symbolici novam hanc speciem publica auctoritate induant, nemini liceat, ne exoriantur turbae, in instituendo populo atque in libris illius usui scriptis a formula doctrinae publica temerario ausu recedere. — Quare nec denegari ecclesiae potest ius obstringendi futuros doctores, ut symbolis publicis convenienter populum doceant. Quamquam enim haec ecclesiae nostrae symbola per libertatem religioni Evangelicae propriam, quacum imperium in sensus hominum componi nequit, dici non possunt norma fidei singulorum: sunt tamen ex iure societatis Christianae regula ac norma publicae professionis; quam qui respuit, populumque, invita ecclesia, aliena docet, haud immerito a mune-

re movetur, cui quippe hac lege ab ipso sponte accepta, ut professioni publicae convenienter populum instituat, admotus fuerat. Sed in edendis libris subtilioris argumenti, nec populo, sed doctioribus modo destinatis liberum cuique esto de rebus theologicis iudicium, modo cum modestia, nec temere, nec cupide in gravi hac caussa versetur. — Hac ergo via non adeo trita equidem censeo libertatem ecclesiae evangelicae, vera libertate dicendi et scribendi, quae non in temerariam licentiam abeat, inprimis conspicuam, eaque magis magisque adiuvandam, optime conciliari posse cum necessitate doctoribus ecclesiae recte iniuncta libris symbolicis, tanquam publicae professionis normae, convenienter docendi.

Revertimur nunc ex hoc quasi diverticulo ad id, cuius caussa haec omnis disputatio a me proposita est, ad iustam nimirum interpretationem supra commemoratae legis Leopoldo II. scriptae: „Libros quoscunque cum li„bris symbolicis utriusque religionis haud con„venientes protinus esse supprimendos." Nostrum enim est, iam docere, qua ratione possit haec lex regia cum libertate Evangelica supra descripta, atque cum universo symbolorum ecclesiae nostrae ingenio facillime conciliari. Nam de nostra modo ecclesia hoc loco quaeritur; quum in Romana ecclesia neque libertati sentiendi singulorum, neque mutationi religionis publicae locum esse relictum, ecclesiae contra decreta firma stare et immota, in vulgus notum sit. Si igitur lex illa regia ita

est interpretanda, ut salva sit et integra ecclesiae nostrae libertas: referendus sane est praescriptus in hac lege consensus edendorum librorum cum ecclesiae nostrae symbolis ad solum eorum ingenium atque consilium supra enarratum; non ad singula, levioris praesertim, aut subtilioris nec ad popularem institutionem pertinentis argumenti, capita. Ab institutione enim populi, librisque eiusdem usui scriptis si recesseris, per ea, quae supra exposuimus, liberum esto in rebus mere theologicis, non ad religionis popularitatem, sed ad theologiae subtilitatem spectantibus, nec populi rationibus, sed soli indagationi veritatis doctae et subtili inservientibus — in his — inquam, liberum esto, ne ipsi ecclesiae fructus libertatis praestantissimi temere praeripiantur, singulis ecclesiae doctoribus iudicium; modo hi viri modeste, caute, nec temere aut cupide sensa animi expromant. Inservit huic interpretationi arctissimus verborum nexus cum proxime praecedente lege supra iam laudata in eodem §o. Iosepho II. iam scripta. Etenim si integrum esse debet, ecclesiae nostrae libros symbolicos mutare, aut novos conficere: libera identidem sint necesse est auxilia quaevis gravi huic consilio apta et necessaria. Quorsum cummaxime tales libri pertinent, in quibus singula dogmata subtiliter disquirantur, docte illustrentur, modeste in dubium vocentur, accuratius definiantur; modo conveniant hi libri cum universo ingenio et consilio symbolorum Evangelicorum, nec illorum auctores vel sollicitatis primariis religionis Christianae capitibus, vel opinioni-

bus a doctrina publica alienis, ipsi populari institutioni temere immixtis, vel denique, quod turpissimum sane atque doctore Christiano prorsus indignum putamus, doctrina publica coram populo in contemtum adducta, aut irrisui adeo exposita tranquillitatem populi, pacemque publicam vehementer conturbent. Etenim qui usum rei concedit, concedere idem debet necessaria eiusdem praesidia. Itaque Serenissimi Principes Electores quum concedant in eodem §o. futuram librorum symbolicorum mutationem, concedere etiam iidem censendi sunt quaevis librorum docte et subtiliter conscriptorum praesidia, quorum scilicet ope emendatio illa symbolorum recte et praeclare possit institui. Quare et permittere censendi sunt iidem editionem talium librorum, quorum argumentum cum universo quidem symbolorum nostrorum consilio et ingenio conveniat, etsi non cum singulis eorum, levioris aut subtilioris argumenti, capitibus, haec potius corrigat et emendet, aut dubia saltem reddat. — Atque haec est via illa facilis et expedita, qua lex Leopoldo II. scripta cum libertate Evangelica, mea quidem sententia, in concordiam redire queat.

At enim vero quum haec lex rogata esset a Serenissimis Electoribus Romano-Catholicae religioni addictis, atque Serenissimi et Potentissimi Electores Evangelici legi huic ferendae, quod ex commentariis rerum in consilio Francofurtensi gestarum novimus, aucto

ritatem suam opposuissent *): verendum sane est, ne Serenissimi illi Electores, qui hanc legem rogarunt, alium sensum, eumque libertati Evangelicae fere inimicum, quamquam praeter consilium, verbis suis subiecerint. Videtur potius in hac lege male intellecta fuisse caussa ecclesiae nostrae, atque permixta, quod et verba ipsa innuunt, cum caussa Ecclesiae Romano-Catholicae, et utraque adeo ecclesia, ipsis fidei fundamentis diversissima sibique invicem plane contraria, hoc eodem decreto sine ullo discrimine iunctim comprehensa. Ecclesia enim Romano-Catholica cives suos severe subiicit decretis librorum symbolicorum, nominatim Concilii Tridentini, atque perennem, sanctam et inviolabilem ipsius fidei normam in iis contineri censet. Pertinet vero hoc potissimum ad ecclesiae Evangelicae naturam et indolem ut nullam prorsus perennem et immutabilem, neque fidei, neque publicae confessionis, normam praeter sanam rationem et sacram scripturam agnoscat. Quicunque igitur talem fidei aut confessionis perennitatem in ecclesiam nostram velit inducere, is sane eam perturbare, eiusque nativam indolem destruere, atque iura eidem auctoritate publica vindicata imminuere et infringere existimandus sit. Quibus ipsis argumentis com-

*) cf. Protocoll des kurfürstl. hohen Wahlconvents zu Frankfurt im J. 1790. Frankf. 1791. in 4. S. 413. u. 414.

moti Principes Electores Evangelici legi illi regiae ad Evangelicas etiam ecclesias extendendae acriter sese opposuerunt. Haec ergo est altera via ab ipsis coetuum Evangelicorum Statoribus inita, asperior illa quidem et molestior, sed tuendae libertati nostrae Evangelicae perquam necessaria, qua huic legi omnem vim et auctoritatem, quae et nostram ecclesiam obstringat, plane denegamus. Quum enim ecclesiae nostrae ex pace religiosa et Osnabrugensi constet non modo libertas ecclesiastica, verum etiam facultas immutandorum librorum symbolicorum, atque cum hac, quod supra clare docuisse mihi videor, arctissime cohaereat libertas de rebus divinis ingenue, cum circumspectione quidem et modestia, scribendi: alia sane lex huic libertati ecclesiasticae plane contraria vi sua ad nostram saltem ecclesiam careat necesse est. Praeterea tali lege ipsam auctoritatem principum in regendis civibus iusto arctioribus finibus includi, quis non videt? Principi sane integrum esse debet, prospicere, ne novae et periculosae opiniones in terris suis spargantur, quibus sive civibus sive ipsi principi damnum adferatur; nec aliis licet his rebus se inferre, aut iura principis minuere. — Nec denique per pacta publica vel Imperatori vel utrique Consilio Imperiali, vel denique Ordinibus Imperii Romano-Catholicam religionem profitentibus ius competit, de libris Evangelicorum sacris, nec de controversiis theologicis inter hos agitatis, nec de consensu aut dissensu librorum theologicorum a libris nostris symbolicis, nec de aberratione ab illis vel toleran-

da vel cohibenda decernendi *). Horum omnium potius iudicium, quum ex quacunque emendatione doctrinae nostrae nullum plane damnum ad alias ecclesias resultet, ipsi ecclesiae Evangelicae integrum esse debet, quae eodem sane iure fruitur in Imperii Germanici ditionibus, quo Ecclesia Romano-Catholica, cuius mutationem aut meliorem conditionem nunquam sollicitarunt, nec in posterum impedient Principes Evangelici. Quae singula, docte et subtiliter nuper disseruit Herzbergius, Comes Illustrissimus, vir perspicacissimus atque de terris Borussicis, aeque ac de universa Germania meritissimus, in notissima caussa illa Villalmiana **). — Itaque nil nobis metuendum est ab hac lege regia, vel per se iusta et aequa, vel ad solam Romano-Catholicam ecclesiam pertinente, nec, multis quidem de caussis supra expositis, ad Ecclesiam nostram extendenda, vel tandem per ipsa pacta publica omni vi ad Evangelicos prorsus carente.

---

*) Quare Corpus Evangelicorum iam a. 1779. in caussa Bahrdtiana auctoritatem suam contra Consilium Imperiale graviter interposuit.

**) cf. Allg. Literat. Zeitg. v. 1791. Intell. Blatt St. 40. Quocum conferri meretur: Iournal von und für Deutschland. Achter Iahrgang 1791. St. 2. p. 170. sq. atque egregius libellus Hufelandii V. Cl über das Recht protestantischer Fürsten, unabänderliche Lehrvorschriften festzusetzen. Ien. 1788. inprimis Sectio III.

Licet igitur, et in posterum licebit, sacras literas accuratius interpretari, dogmata rectius definire, tenues argutias eliminare, atque pretium cuique dogmati statuendum melius aestimare. Etenim in hac ipsa libertate cogitandi magnum profecto inest pacis et concordiae praesidium; id quod egregie docuit Doederlinus, Vir venerabilis, in peculiari oratione hac de re habita *). — Caveamus modo, ne fidem publicam contemtim habeamus, nec temere ab ecclesiae symbolis in erudiendo populo recedamus. Caute ac modeste agamus, si a vulgari aliqua opinione nobis discedendum sit, nilque admittamus, quo pax et tranquillitas ecclesiae turbetur. Quod eo facilius cavere possumus, quum dissonae Theologorum opiniones maximam partem ad solam scholae subtilitatem pertineant, nec quicquam faciant ad virtutem et salutem coetus Christiani vel firmandam, vel infringendam. Tueamur modo pro viribus insignem religionis Christianae dignitatem, amplificanda magis magisque doctrina divina, colenda sincera virtute Christiana, mutua praesertim caritate; nilque praetermittamus, quo vera salus coetus Christiani in dies augeatur, firmetur. Sic adiuvabimus accuratiorem doctrinarum theologicarum intelligentiam, haud turbata pace ecclesiae atque tranquillitate. Sic proderimus non minus doctrinae subtilitati, quam populari institutioni. Quo tandem fiet, ut libertas ecclesiae Evangelicae

---

*) cf. Doederlini opuscula theologica, p. 210. sqq.

servetur integra, temeraria contra licentia ab Ecclesia avertatur et proscribatur.

Transeo nunc ad ea, quorum caussa haec disserui, quaeque novae mihi demandatae provinciae auspicia postulant. cet. cet.

VII.

De Theologorum Altorfinorum per hoc saeculum meritis eorumque iusta aestimatione Oratio,

quam
in Memoriam Saecularem
Altorfini Theologorum Ordinis
in anniversaria panegyri Petro-Paullina
a. d. XXVIIII. m. Iun. a. r. s. CIↃIↃCCLXXXXVII.
recitavit

D. Ioannes Philippus Gabler.
Theol. Prof. Publ. Ord.

Amplissima
et omnium ordinum dignitatumque
maxime veneranda concio!

Illuxit tandem ille dies nobis omnibus sacer, quo memoriam saecularem instituti nostri Theo-

logorum Ordinis, cum eoque totius huius litterarum Universitatis hac demum accessione omnibus numeris perfectae, atque cum reliquis per Germaniam Academiis eodem plane honoris dignitatisque loco constitutae, pie, sancte, laete recolimus. — Illuxit ille dies, cuius quidem celebrandi spes exeunte anno proxime elapso, rebusque nostris iam conclamatis, euanuit omnis! Mox tamen reuixit spes laeta, fore, ut res nostrae sartae tectaeque maneant, quam hodienum alere et fouere prouida Dei cura nobis datum est; quae ne nos fallat, impense precamur. — Quo magis igitur hunc diem memoriae saeculari sacrum faustis illuxisse ominibus laetamur; eo magis nostrum esse censemus, ut, quae grata atque iucunda per hos centum annos huic Musarum domicilio, Theologorum praesertim Ordini, contigerint, pio gratoque erga Deum ac Nutritores nostros munificentissimos animo recolamus, iustisque laudibus celebremus; quaeque bene apud nos, a Theologis inprimis, gesta fuerint, et in memoriam reuocemus, et debitis praedicemus encomiis; piis denique votis, ardentissimisque ad Deum precibus celebre hoc bonarum literarum emporium, uti decet, prosequamur.

Effluxit nunc integrum saeculum, ex quo efflorescere coepit Theologorum Ordo in hac literarum Universitate. Ante hos centum annos enim non omne defuit quidem hoc Theologorum collegium; ornarunt potius hanc Musarum sedem praeterito saeculo Theologi doctissimi, celeberrimique, ex quibus nominasse

sufficiat Hackspanium, Reinhardum, Dürrium, Saubertum, Fabricium. Quanta nomina, quorum celebritatem vix uni vel alteri Theologorum nostrorum huius saeculi attingere licuit! Neque carebat tum temporis haec Academia Doctoribus Theologiae; condecoratos enim summis his in Theologia honoribus fuisse scimus Schopperum, Koenigium, Matthiam, Althoferum, Weinmannum, Saubertum, Filium, et Fabricium. Sed reportarunt hos honores ex aliis academiis, destituti ipsi facultate, hos honores aliis impertiendi. Academia enim, auctoritate Caesarea Rudolphi II. anno saeculi decimi sexti octogesimo iam condita, atque potestate Baccalaureos et liberalium artium Magistros creandi instructa, quum esset superioris saeculi anno vicesimo secundo conversa singulari indulgentia Imperatoris Ferdinandi II. in Universitatem studiorum, seu, quae verba sunt Caesarei diplomatis, in Academiam universalem, s. Studium universale, concessum modo fuerat, confirmatis praeterea antiquioribus Academiae iuribus, ius ac potestas, Iuris ac Medicinae Licentiatos et Doctores legitimo sollemnique ritu creandi, nulla quidem Theologorum Ordinis mentione facta. Nec id mirum in tanta, quae tum regnaret inter Romano-Catholicos et Evangelicos, mutui odii acerbitate, ac saeviente tum funesto illo tricennali bello. Neque tamen praecisa spes omnis, fore, ut, rebus in Germania pacatis, iura ac privilegia ICtis, Medicis ac Philosophis in hac Academia iamiam concessa ad Theologos quoque transferantur. Longius quidem haec spes

protacta, non tamen prorsus fefellit. Quae enim Ordini Theologorum diu inhaeserat ignominia, abstersa tandem fuit singulari gratia Augustissimi Imperatoris, Leopoldi I, qui vergente anno superioris saeculi sexto et nonagesimo, iteratis munificentissimorum Academiae nostrae Nutritorum precibus tandem concessit, atque nouo privilegio Licentiatos et Doctores pro modo unius cuiusque scientiae ac doctrinae, et in qualibet Facultate creandi (quae ipsa verba sunt diplomatis Augustissimi), hancce academiam ornauit. Sic tandem evenit, commendante praesertim Imperatori Leopoldo res nostras praeter alios a Senatu Norimbergensi excitatos Henrico ab Obernütz, Consiliario Imperatoris aulico, eoque vehementer impulso a Theologo nostro, b. Sonntagio, qui aegre ferret viliorem Ordinis sui conditionem, erogante denique sumtus Andrea Ingolstettero, mercatore Norimbergensi meritissimo, — sic, inquam, evenit, ut illud quoque egregium ornamentum, et praecipuae dignitatis quasi supplementum huic ipsi Academiae ex voto accederet. Decernente igitur inclyto Senatu Norimbergensi promulgatum fuit, ante hos centum annos, festo sollemnique ritu, in hac ipsa anniversaria Academiae panegyri, augustissimum illud privilegium, traditis praterea a Christophoro Pellero, Academiae tum Procancellario, nouis insignibus Rectori Universitatis, Ioanni Fabricio, Theologo pereximio, at abitum ad academiam Helmstadiensem iam paraturo; simulque Deo, et Augusto, itemque Nutritoribus, quae debebantur, pietatis gratique

animi significationes factae, et altero post die primi Theologiae Doctores, Pertsch, Culmbacensis Superintendens, Wegleiter et Lang, Theologi nostrates, a b. Sonntagio, Theologo tum Primario, sollemnissime sunt creati. — Hae sunt origines Ordinis Theologorum academicis iuribus ac privilegiis in hac Musarum sede muniti; hicque huius ipsius tertius velut dies natalis, primo quidem eidem decreto ab Imperatore Rudolpho II. anno seculi decimi sexti octogesimo, altero vero indulgentia Imperatoris Ferdinandi II. anno superioris saeculi vicesimo tertio *).

Floruit igitur per centum annos Theologorum Ordo in hac literarum Universitate insignibus his privilegiorum ac iurium, auctoritate Caesarea eidem concessorum, ornamentis condecoratus. Floruitne vere? Floruitne nominum celebritate apud exteros? Floruitne copiosae, exquisitae, et accuratae doctrinae

---

*) Plura de his originibus ac incrementis Academiae Altorfinae habent (M. D. Omeis) Actus promulgationis privilegiorum Universitatis Altorf. indulgentissime confirmatorum et amplificatorum, cet. Altorf. CIↃIↃCIIC. 4. (Chr. Gottl. Schwarz) Acta sacrorum saecularium Academiae Altorfinae, Altorf. 1723. fol. G. A. Will Geschichte und Beschreibung der Nürnb. Universitaet Altdorf, 1795. 8. (p. 9. sqq.) et D. Io. Andr. Sixt Programma ad hanc ipsam memoriam saecularem privilegiorum Altorfinae Litterarum Universitatis a Leopoldo I. in gratiam Theologorum Ordinis amplificatorum, fol.

laude? Floruitne recta iuvenum institutione, cuique tempori accommodata? Floruitne doctorum virorum, qui ex his scholis prodiissent, fama et gloria? Floruitne propriis, iisque insignibns de re sacra et christiana meritis, rite excultis, amplificatisque disciplinis theologicis? Quis quaeso est, si de flore Ordinis nostri Theologorum per saeculum hoc elapsum sermo inciderit, quin hunc requirat? Quorsum enim magniloqua illa honorum ac privilegiorum ostentatio, destitutus si fuerit hic Theologorum Ordo vero ac summo ornamento, a praestantiori interna illius ratione ac indole unice repetendo? Hodierno igitur die memoriae saeculari Ordinis nostri Theologorum sacro ratio velut reddenda esse videtur, quid ille praestiterit per longam hanc centum annorum seriem? quid bene gesserit, quid effecerit, quod salutare esset et honorificum huic ipsi literarum Universitati, imo universae Germaniae? quid meditando, docendo, scribendo contulerit ad excolendam, amplificandam et ornandam Theologiam, curae suae unice et maxime commendatam? quid praestiterit hic Ordo in universum? quid praestiterint singula illius membra? Singulorum enim Theologorum meritis ad unam veluti summam relatis intelligi demum recteque iudicari potest pretium, quod universo huic Theologorum Ordini per hoc saeculum sit statuendum. Hunc fere in modum rationes nostras subducere decet in hac memoriae saecularis sollemnitate.

Arduum vero ac perdifficile opus, aleae invidiaeque plenum! Aegre enim condonatur

error in recensendis aliorum meritis commissus, etsi nequaquam alienus ab humanae naturae imbecillitate, imo venia quam maxime dignus; verti potius in malam partem plerumque solet, quasi malo quodam consilio grauidus. Quocunque igitur te verteris, vix elaberis. Maiores nostros si laudes, vix ac ne vix quidem te liberabis ab inhonesta partium studii suspicione, praesertim cum hoc agas in ipsa sacrorum saecularium sollemnitate. Sin illos vituperes, vel saltem, quantas iis laudes iure deberi posteri vel alii defunctorum amici sibi persuaserint, tantas, solo veritatis amore ductus, iisdem concedere dubites, atram profecto vix effugies arrogantiae aut calumniae, impii ingratique animi notam. Quanto graviorem igitur putemus et acriorem reprehensionem illi demum subeundam esse aeui nostri Theologo, qui, quamvis nec annis, nec meritis grauis, iudex tamen sedere audeat in caussa Theologorum, qui ante se in hoc saeculo vixere, eorumque merita accurate ponderare sustineat, quorum libellos ne nouerit quidem omnes ac singulos, nedum attente perlegerit integros, plerosque potius per partes modo euoluerit, alios fugitiuo oculo percurrerit. — Denique caremus prorsus, quod maximi est discriminis, in tanta hominum de rebus ad theologiam pertinentibus sentiendi iudicandique varietate, communi aliqua et constanti norma, ex qua possint merita Theologorum recte, confidenter, ac sine offensione aliorum iudicari; aliis quidem seuerum antiquae formulae studium in summa laude reponentibus, aliis vero in contraria quaevis abeuntibus.

Quae cum ita sint, parum abfuit, quin, quod primum cepissem, consilium de meritis Theologorum nostrorum per hoc saeculum hodie disserendi, plane abiicerem. Sed confirmauit animum in persequendo illo consilio haec ipsa sollemnitas memoriae saeculari Ordinis mei sacra, quae nos ante omnia pio gratoque recolere animo iubet Theologorum nostrorum per hunc centum annorum decursum virtutes ac res bene gestas, quibus dignos se praestare insignibus illis beneficiis ac iuribus vergente superiori saeculo Ordini suo collatis allaborarint. Cui pietatis officio satisfacturus, imposito mihi a Perillustribus Academiae Curatoribus, Dominis Gratiosissimis, grauissimo oneri succumbere, quam, metu difficultatis rei perterritus, de aliis plane rebus hodie disserendo, eidem callide me subducere malui. In his enim sollemnibus non tam rei difficultatem, quam quid aptius sit, quid memoriae saeculari conuenientius, unice spectandum esse existimaui. — In quo omnium maxime me confirmauit insignis Vestra, Auditores Spectatissimi, eaque non satis deueneranda, quam saepius iam expertus sum, humanitas atque indulgentia, quae tantum mihi addidit animum, ut hac sola fretus atque confisus, contemta quacunque rei difficultate, nihil non auderem, firmiusque proposito insisterem. Vos enim, qui, quam anceps illud sit et impeditum, quamque facile ab alienigena, qui haud pauca indigenis probe cognita penitus ignoret, in recensendis Theologorum nostrorum meritis error, admittatur, me non monente, probe noueritis ipsi, pro Vestra in me prolixa vo-

luntate condonaturos esse virium tenuitati, atque ad probitatem consilii relaturos singula, spero atque confido. Nec parum mihi succurrit sollicito ac trepidanti temporis angustia, quippe quae, ut a brevitate saltem orationi aliqua accedat commendatio, haud permittit perfectam, etiamsi mearum esset virium, Theologorum nostrorum descriptionem, sed rudem modo ac tenuem eorum delineationem.

At ne sic quidem, quamvis temporis angustia egregie adiutus, idoneum me sentio demandato mihi oratoris muneri, qui ad dicendum coram amplissima hac concione in tanta huius diei sollemnitate neque natus sim, neque factus, nunquam non de veritate rerum magis, quam de verborum elegantia ornatuque orationis sollicitus. Utinam igitur per praesentem Ordinis mei rationem licuisset, ut hoc munus dicendi non minus graue ac honorificum in alium hoc honore multo digniorem deferretur Ordinis mei Socium, qui rectius, cautius, elegantius, atque ornatius his de rebus verba ad Vos fuisset facturus! Sed dira aliqua necessitas, haud facile evitanda *), graue

*) Primarius enim Ordinis mei Theologus, atque h. t. Decanus D. Io. Andr. Sixt, V. S. R. iam satis occupatus tenebatur et scribendo ad hanc memoriam saecularem programmate, et oratione sacra hoc ipso die festo pro concione in templo habenda. Alter vero Ordinis mei socius summe reverendus, D. Paul. Ioach. Sigism. Vogel ob collatos in honorem hu-

hoc dicendi onus mihi imposuit, cui natura non dedit ore loqui rotundo, quique, a consuetudine veterum Romanorum tam longe remotus, adsuetus potius tenui, imo barbaro dicendi generi a Theologis frequentato, satisfacere dicendo plane non possum hodiernis Ordinis mei, quin universae huius Academiae sollemnibus, quae orationem efflagitant exquisitam, ornatam, verborumque ac sententiarum luminibus distinctam. Vestram igitur imploro humanitatem atque beneuolentiam, Auditores Omnium Ordinum Spectatissimi, ut mihi sive erranti, sive minus apte ac ornate dicenti benigne indulgeatis, atque consilium ipsum, de Theologorum nostrorum per hoc saeculum meritis breuiter nunc disserendi, aeque bonique consulatis. —

Merita hominum si omnino spectemus, recte quidem magnitudinem eorum, bene monente Abbtio *), dimetimur ex maiori vel minori copia aut ipsorum commodorum, quae ad alios inde redundant, aut hominum, plurimum vel pauciorum, qui maiora vel minora emolumenta ex illis capiunt. Unde auctores

ius festi saecularis summos in Theologia honores iussu Superiorum in hac ipsa Oratione tam iusta horum gratulatione, quam piis votis erat prosequendus; quare nec poterat ipse in hac Ordinis mei sollemnitate oratoris munere fungi. —

*) Thom. Abbt vom Verdienste, Berlin, 1765. p. 255 sq. 342 sq.

librorum asceticorum bene quidem compositorum longe melius de genere humano mereri censendi sunt, quam viri doctissimi et sagacissimi, qui sive ingenii praestantia, sive doctrinae copia divinas humanasque scientias amplificant atque exornant. Doctorum contra virorum, magistrorum praesertim academicorum, merita si eodem modulo ac pede dimetiri velles singula, iniquus admodum illorum arbiter existeres. Haec enim tantum ex ingenii vi, copia doctrinae, meliori disciplinarum cultura, maiori alios instituendi facultate, eximiis librorum conscriptorum dotibus, eorumque vi ad emendandam augendamque rerum humanarum divinarumque scientiam, e praestantiori denique usu praelectionum, per iuvenes accurate institutos ad exteras adeo provincias dimanante, hisque similibus aliis aestimanda videntur. Eodem igitur modo nostrorum etiam Theologorum merita diiudicare fas est, ut tum ad ingenii vim, rerumque theologicarum scientiam, tum ad facultatem alios docendi, usumque institutionis academicae multiplicem attendamus.

Caveamus autem, ne, Theologorum nostrorum merita aestimaturi, eosdem cum aliis Theologis, maiorum praesertim Academiarum, comparemus, nec quaeramus, quid melius praestantiusque aliis nostri egerint, sed quid boni et egregii effecerint omnino. Mirum quidem, ac malae caussae omen videri possit, detrectari a nobis mensuram, quae in aliis omnibus adhiberi soleat; sine mensura enim, seu

quod idem est, sine comparatione unius rei cum altera eiusdem generis nullam plane locum habere posse dimensionem, quis est, qui nesciat? Sed salva res est. Nequaquam enim respuimus mensuram omnem in dimetiendis Theologorum nostrorum meritis, sed modo iniquam. Maxime vero iniquum in universum mihi videtur, eos omnes, qui alios in eodem loco constitutos bene merendo non superarint, suis defraudare laudibus. Modo res suas bene gesserint, atque, quae suarum essent partium, recte perfecerint, sua ipsis vere constant merita, etsi non maiora aliis. Quare nec nostris Theologis, etiamsi aliis Theologis academicis non excelluissent, modo officio suo recte essent defuncti, sua denegari possent merita. Sed haec nolim in eam detorqueri partem, ac si haec Academia prorsus caruisset Theologis eximiis, qui inter alios excelluerint: suos enim habuit Zeltneros ac Doederlinos; nec ullus inter nos exstitit Theologus, ne obscurissimus quidem, cui non socii adiungi possent alii multi doctores in celeberrimis adeo Germaniae Academiis non minus obscuri, qui nullo modo de re sacra ac literaria melius essent meriti, ac nostrates. Sed plures fuere caussae, eaeque grauissimae, quae impedirent, quo minus ad maiorem nominis celebritatem pertingerent Theologi nostri plerique, doctrinae licet et adsiduitatis laude satis conspicui. Haec igitur insignioris famae impedimenta accuratius cognoscere decet, ut aequos nos praebeamus in aestimandis horum Theologorum meritis. Quibus cognitis facile intelligemus, non posse Theologum quemquam

in hacce Academia versantem, nisi divino adiutum ingenio, ad magna adspirare; atque velle merita Theologorum nostrorum ex iis aestimare, quae alii aliarum academiarum Theologi praestiterint, id sane fore iniquissimum. Si nihilo tamen secius plures horum Theologorum singularis eruditionis laude floruisse, atque de amplificatis adeo Theologiae finibus egregie eosdem promeritos esse perspexerimus, hoc sane ad tanto maiorem nos impellit illorum admirationem. Si denique nonnullos eorum, propulsis feliciter his quibuscunque impedimentis, non aequasse modo reliquorum sui temporis Theologorum merita, sed etiam superasse; atque inter aequales adeo excelluisse intellexerimus, hoc summa profecto eorum nos admiratione percellit, atque supremum iis inter Theologos locum adsignare iubet.

Eminet autem inter impedimenta celebritati Theologorum nostrorum obiecta incommoda illa coniunctio muneris academici cum ecclesiastico. Munus sacrum enim dici vix potest, quantum temporis praeripiat academicis studiis, quum praeter orationes sacras ad populum habendas tot alia minora, ut ita dicam, negotia cum illo munere sint coniuncta, ut parum relinquatur temporis, si praelectiones theologicas cum praevia meditatione exceperis, aliis studiis privatis, multo minus, nisi in viscera tua saevire velis, libris, maioris saltem, sive molis sive numeri, conscribendis. Quid igitur mirum, alios Theologos, qui, munere ecclesiastico haud onusti, sibi solis litterisque vixissent, egregiosque libros, quibus omnium ma-

xime doctoribus academicis fama paratur, edidissent quam plurimos, magis inclaruisse his nostris Theologis, quibus per muneris rationem denegatum esset insigne hoc famae comparandae praesidium. Hoc forte et ipsum in caussa fuit, ut illi superioris saeculi Theologi, qui essent a munere ecclesiastico liberi, Hackspanium puto ac Dürrium, omnium maxime inclarescerent. — Cui accedit, Academiam nostram, sidere nescio fausto an infausto, hucusque habuisse, ut in quovis disciplinarum genere, ita et in Ordine Theologorum, viros egregie doctos quidem, sed modestos, qui secum sibi habitare didicerint, atquê nec inclarescendi libidine capti, nec rei domesticae angustia, fecundissima illa librorum matre, ad scribendum adacti, sua potius contenti sorte, scholae quam gloriae vivere, et libris legendis quam scribendis vacare maluerint. En nouam caussam minoris nostrorum celebritatis! — Aliud celebritatis Theologorum nostrorum impedimentum detexisse mihi videor in ipsa praelectionum ratione ac varietate a Theologis nostris occupata. Emetiri solebant hi Theologi tantum non omnes (ac etiamnum solemus) meditando ac docendo universum fere disciplinarum theologicarum campum, exiguo quidem, quae adversa minorum academiarum sors est, auditorum numero non facile angustiorem praelectionum circulum permittente. Sic omnium quidem Theologiae partium ampla ac copiosa cognitione instructi semet ipsi tamen impedivere, adiuncta cum maxime muneris ecclesiastici molestia, quo minus, quod alioquin omnino licuisset, altius penetrarent in singu-

las. Pluribus enim intentus, fert proverbium, minor est ad singula sensus. Ampla autem multarum rerum scientia parit quidem doctrinae laudem; at late sparsam ac diuturnam nominis celebritatem sola dat profundior singularum rerum investigatio, novis illa observatis fecunda, atque scientiarum melius informandarum optima magistra. In maioribus contra Academiis, quum singulis quibusque disciplinis theologicis singuli se dicare soleant magistri, atque quotannis fere, confluentibus undique ad audiendum iuvenibus, ad easdem, hasque pauciores scholas redeant, nec sint in omnes omnino scientias sanctiores diffusi, sed angustioribus potius inclusi literarum cancellis, faciliori sane negotio hi in interiora singularum, in quibus solis et totis habitant, Theologiae partium adyta penetrant, atque ex iis accuratius perlustratis ac in lucem velut protractis permagnam referunt ingenii atque industriae laudem. — Nec minus obfuit maiori Ordinis nostri Theologorum celebritati ipsa oeconomica academiae nostrae ratio, per quam non liceret, viros claros, ac magna iam scientiae theologicae laude per Germaniam celebratos, huc evocare, sed viros modo, bonae quidem spei, quam editis nonnullis ingenii ac doctrinae speciminibus de se excitassent, sed illos neque annis plerumque, neque de re sacra et christiana bene iam meritis graues. Qui etiamsi spem de se susceptam nequaquam fallerent, sed omnes potius ingenii neruos intenderent, ut spartam ornarent sibi commissam, utriusque tamen muneris mole ita fere opprimebantur, ut lento duntaxat gressu, nisi

accerrima ingenii vi essent a natura praediti, ad copiosam exquisitae eruditionis laudem accederent. — Denique Academiae nostrae, quam non adeo multi e terris longinquioribus adire soleant, non ea, quae aliis, iisque maioribus, fortuna contigit, ut tam eximiae eruditionis, quam praeclarae institutionis fama eorum etiam virorum, quibus librorum suorum copia ac praestantia inclarescere datum non esset, per suae tamen disciplinae alumnos, in omnes quidem Germania terras diffusos, longe lateque spargeretur. — Sed nolo uberiori recensu caussarum, quae maiorem, ac meruissent, Theologorum nostrorum celebritatem impedirent, Vobis amplius esse molestus.

Haec igitur varia celebritatis obstacula Ordini meo obiecta si rite pensitamus, nobis sane mirum non foret, si universum hunc Ordinem per totum hoc saeculum non modo non inclaruisse meritorum fama, verum etiam summa adeo nominum obscuritate tectum intellexerimus. At cauit, quam pii gratique veneramur, prouida Dei cura, in alenda ac sustentanda hac Academia omnino satis conspicua, ne, quanta ex enarratis his obstaculis Ordini Theologorum non temere metuenda fuissent mala, tanta eidem re ipsa acciderint. Splenduit enim hic Ordo per hoc saeculum non modo viris doctissimis, meritissimisque haud paucis, verum etiam celeberrimis adeo nonnullis, quorum fama per totum orbem literarium percrebuit. — Quid, quod in ipsis illis caussis supra recensitis, quae nominis celebritatem non possent non impedire, nonnullae sunt,

quae, tantum abfuit, ut imminuerent ac obscurarent Theologorum nostrorum in hanc Academiam merita, ut eadem augerent potius ac illustrarent. — Accumulatis ex utroque munere laboribus impediti quidem fuerant Theologi nostri plerique, quo minus, nisi insigniori, quae paucorum modo est, ingenii alacritate fuissent praediti, librorum conscribendorum copia ac praestantia inclarescerent; at non oppressit haec laborum moles ingenii vim aut industriam, sed excitauit acrius; non depulit eos a prosequendis sanctiorum literarum studiis, non retinuit a prouehenda ac amplificanda rerum diuinarum scientia, non auocauit ab instituendae iuventutis cura ac diligentia; sed incitauit potius, aluit ac confirmauit literarum amorem ac studium, ut, quam ex utriusque muneris molesta coniunctione temporis fecissent iacturam, resarcirent acriori ac intentiori harum literarum assiduitate. Seruati autem academiae nostrae plerumque fuere hi viri doctissimi, quod laborum multitudine ac molestia ab edendorum, plurium certe, librorum consilio auocati non tanta apud exteros doctrinae fama viguissent, ut ad splendidiores euocarentur provincias. Alii eadem de caussa nacti quidem, sed sero, nominis celebritatem, cum sero demum lautiores ipsis offerrentur provinciae, recusarunt illas et annis iam provectiores, et nostro adsueti vitae generi, atque ad mortem usque utroque apud nos munere in summam sui ipsorum et Academiae laudem fuere defuncti. Ita magnum celebritatis impedimentum in caussa fuit, ut hi ipsi Theologi eo melius de hac Academia essent

meriti. — Idemque munus ecclesiasticum, cuius molestiam omnes hucusque Theologi, qui ad maiora adspirarent, vehementer conquesti sunt, egregium tamen ac saluberrimum nunquam non fuit adiumentum, futuros coetuum christianorum doctores ac sacrorum curatores rectius ac melius informandi, atque ad munera sacra rite et cum fructu obeunda salubrius praeparandi. Theologi enim, qui et ipsi munere sacro defunguntur, multiplici rerum sacrarum usu atque experientia edocti, multo aptiores censendi sunt ad monstrandam iuvenibus viam ac rationem, quam probi ac prudentes teneant necesse sit futuri ecclesiarum doctores, si votis suis haud excidere, nec desideriis coetuum deesse velint. Virorum ita expertorum doctrina atque exemplo sapere demum discunt iuvenes, ne immatura studia ad sacra transferant, ac populo quasi obtrudant; discunt caute ac circumspecte in ecclesia christiana agere, nunquam non, quod salutare sit, potissimum spectare, atque, quae institutione aut lectione didicerint, singula ad usum referre. Eiusmodi enim Theologi, qui et ipsi, diuturno quippe usu subacti, quid assequi mente valeat populus, quibus potissimum rebus egeat, quid prae reliquis desideret, quidque in institutione populi fieri possit vel non possit, probe sciant, alios etiam eo melius docere possunt, quid scholae, quidve vitae usui discendum sit, qua demum via optime consulatur et desideriis et necessitatibus populi, quaque praecipue opus sit ad popularem institutionem cautione atque circumspectione, ne quando, quae scholae modo ac doctrinae caus-

sa didicerint iuvenes, in populum protrudant, nec nouis opinionibus, quibus inprimis sibi placere solet studiosa iuventus, animos auditorum obtundant atque conturbent, nec denique suae ipsorum gloriae studio, sed solis populi usibus inserviant, omniaque dextre, consilio, ac prudenter agant. Sic demum recte formantur in Academiis viri, muneri sacro dextre obeundo idonei, prudentes, ac pii: qui insignis est usus muneris ecclesiastici cum provincia Theologi academica coniuncti. Servat enim haec amica coniunctio et magistros et discipulos ab opinionum in vulgus spargendarum temeritate et cupiditate non minus noxia, quam hac praesertim aetate frequenti, atque singula ad usum populi referre docet. — Itaque facile intelligimus, nonnulla maioris Theologorum nostrorum famae impedimenta auxisse adeo eorundem merita. —

Quodsi haec, quae de iniqua Ordinis mei sorte hactenus dicta sunt, probe teneamus, eo rectius nunc ac melius de meritis Theologorum nostrorum statuemus et universis et singulis. — Hos enim si in universum spectemus, constant sane iis merita sat multa, satque gravia. Non deerant praesidia proferendae et amplificandae scientiae theologicae plane egregia; cum et ipsi, plerique saltem, copiosa librorum supellectile fuissent instructi, et uti facile potuissent aliis, tam huic Academiae propriis, quam iis, quibus Norimbergam abundare constat, librorum copiis. Hoc enim literatis Noricis proprium esse solet, ut libris et colligendis sedulo et accurate inspiciendis

gaudeant, nec tamen amplam illam doctrinae copiam ex diligenti hac librorum lectione sibi comparatam ostentent; cum alii contra, in summa licet librorum ac eruditionis inopia, multos tamen libros conficere, ac magnae doctrinae vanam speciem prae se ferre soleant. Usu etiam ac consuetudine aliorum virorum doctissimorum, ex Philosophorum praesertim Ordine, quibus Academia nostra hucusque exsplenduit, mire auxerunt Theologi nostri doctrinae suae copias. Ab his igitur praeclarae eruditionis opibus undique collectis satis instructi qnum ad institutionem aliorum accessissent, fieri non potuit, quin ex tali institutione multum proficerent disciplinae eorum alumni. Quantum ergo Theologi nostri per centum hos annos docta hac ac salutari institutione tot iuvenum patriorum et exterorum, qui sacris postea praeficerentur muneribus, contulerunt ad iuvandam ecclesiae christianae salutem, et ad disseminandam accuratiorem doctrinae christianae cognitionem! Quanta hinc ad illos ipsos Theologos redundarunt merita! Neque minus meriti sunt hi viri de docta ac subtili rerum divinarum scientia, non accurata solum scholae disciplina, verum editis etiam haud paucis libris libellisque, totidem copiosae ac solidae eruditionis testibus locupletissimis. Prodierunt ex eorum scholis Theologi doctissimi, perque universam Germaniam celebratissimi, Frommann, Doederlein, Rosenmüller, Hufnagel, Tresenreuter, Dietelmair, Iunge, antea noster, nunc Antistes Norimbergensis primarius meritissimus, et qui in eiusdem locum in Ordine

meo successit, Vogel, V. S. R. atque Collega coniunctissimus, aliique viri docti, et graves, ii praesertim, qui ecclesiam Norimbergensem per hoc saeculum ornarunt, et adhuc ornant, v. c. b. Moerl, b. Strobel, Ven. Panzer, alii, quos eruditionis, qua inclaruere, fundamenta apud nos iecisse, et Ordini meo, et universae huic Academiae in summum cedit honorem. Quorum ii, qui primum nominati a me fuerunt, quum illustriori loco positi in aliis Germaniae terris, alios quam plurimos summa cum laude instituendo, de religione ac theologia christiana optime et essent promeriti, et adhuc promereantur, fieri non potest, quin, reflexis quasi his lucis, qua circumquaque illi fulgeant, radiis ad praeclara Theologorum nostrorum instituta, tanquam ad primam sui originem, horum ipsorum merita nouo hoc luminis splendore mirifice collustrentur et augeantur. Id quod multo magis de iis valet magni nominis Theologis, qui, veluti Feuerlinus et Doederlinus, nobis quidem tristi fato erepti, at in splendidiorem translati locum, tanto maiorem sibi collegerunt meritorum gloriam. — Tantum de meritis Theologorum nostrorum in universum!

Sed descendamus ad singulos, quorum praeclara merita, breviter quidem, quod temporis ratio postulat, at vere, quantum per vires licet, nunc adumbrare iuvat. — Quae singulorum Theologorum nostrorum merita quo rectius atque aequius aestimemus, varia primum, quibus Theologi academici excellere possunt, meritorum genera rite dignoscamus, at-

que suam cuique classem designemus; deinde hanc nobis legem scriptam esse existimemus, ut aequitatem sectantes, pro sui quemque temporis, quo vixerit, ratione, atque ex scientiarum illius aetatis modulo aestimemus. Quod si negligamus, ne ipsis quidem Moshemiis, non Ernestiis iustissima sua laus constiterit. Merita autem doctorum Theologorum duplicis generis esse solent: ex egregia editorum librorum ratione ac indole repetita alia, alia ab institutionis academicae praestantia profecta. Priora et ipsa duabus absoluuntur partibus. Auctores enim librorum, ut cuiuscunque generis, ita et theologicorum, vel nouam scientiae rectius cognoscendae viam aperiunt, eidemque nouam plane ac meliorem formam induunt, atque universam adeo disciplinam aliquam aliter plane informant ac dirigunt. Huius generis Theologi sunt primi ordinis, ab inventionis laude celebratissimi; quales fuere hoc quidem saeculo Moshemius, Ernestius, Michaelis, ac Semlerus. Cuius quidem generis viri praestantissimi ut sunt per naturalem rerum humanarum sortem et ipsi rarissimi; ita neque nostrae, neque alii ulli Academiae potest esse dedecori, tales non aluisse viros, rerum nouarum inventores, vel nouae scientiarum formae conditores. Sed sua cuique literarum universitati iam constat laus, suusque honor, modo splendeat Theologis secundi ordinis, qui viam ab aliis iam apertam muniant, ac commodiorem iucundioremque reddant, disciplinas theologicas amplificent, earum formam ac habitum emendent atque exornent, singulis denique disciplinae locis in

meliorem ordinem redactis, temporisque rationi accomodatis, Theologiae studium magnopere adiuvent. Quibus si accesserit ingenii liberalitas, sine qua reliquae quidem cuiusque libri virtutes verum haud praestent usum, ut nec temere nec cupide quicquam proferatur in medium, ut id potius, sine ullo neque antiquitatis, neque nouitatis studio, unice spectetur, quod verum certumque sit, atque, quae melius iam dicta fuerint, libenter admittantur, referanturque omnia sine ira ac studio ad solam veritatis atque utilitatis legem: tum talem habemus imaginem Theologi secundi ordinis, quam si quis referat in ulla Academia, haec profecto habet, de quo sibi summopere gratuletur. — Huius quidem generis Theologi et ipsi valde inter se differunt, maiorem alii eruditionis famam, alii minorem consecuti, quatenus vel plus vel minus contulerint ad amplificandam Theologiae scientiam, huiusque fines latius proferendos, plures vel pauciores disciplinas, seu Theologiae partes, celerius vel tardius, pertractauerint, maiorem denique vel minorem eruditionis Theologicae copiam, philosophici etiam generis, vel historici modo ac literarii, sibi comparauerint. —

Eius modi Theologis secundi ordinis haud paucis, varii quidem iisdem generis ac honoris, Academiam nostram gauisam per hoc saeculum fuisse constat; inter quos omnes autem eminent, et agmen quasi ducunt duumuiri celeberrimi, Zeltnerus ac Doederlinus. — Gustavus Georgius Zeltner, qui Theologorum Ordinem ab anno huius saeculi sexto

usque ad tricesimum ornauit, vir in philologia praesertim sacra, atque in historia ecclesiastica ac literaria, inprimis Norimbergensi versatissimus, modestia ac pacis studio amabilis Theologus, praeter multas dissertationes pro more temporis conscriptas, maxime exegeticas, quibus plura S. S. loca egregie illustrasset, ac praeter breviaria controversiarum cum ecclesia Graeca, ac Ruthenica, cum Arminianis, cum Anabaptistis ac Fanaticis, cum Pietistis denique, hodienum aestimanda, inclaruit praesertim tum vitis Theologorum Altorfinorum elegantissime depictis; tum editione bibliorum germanicorum, variis, brevibus licet, notis, quae et doctrinam et ingenii liberalitatem spirarent, illustratorum; tum historia Crypto-Socinismi Altorfini, libro incomparabili, non eam modo, quam fronte gerit, historiam exponente, sed universum Socinismum, e literis praesertim ipsorum Socinianorum erutum, egregie illustrante. — Alter, qui in nostra omnium memoria adhuc viget, at immatura, proh dolor, morte, totique orbi literario acerba, rebus humanis ereptus Ioannes Christophorus Doederlein, Theologus praestantissimus, in quo quid magis admireris, summam ingenii vim, an amplissimas eruditionis theologicae copias, plane non habes, per decem annos, ab anno saeculi septuagesimo secundo usque ad octogesimum secundum, nostrum Theologorum Ordinem reddidit longe illustriorem. Hoc ipso autem anno eundem Ienam ad ampliorem spartam evocatum contulisse quam plurimum per decem annos ad maiorem inclytae illius Academiae celebritatem,

quis est, qui nesciat? Omnes fere Theologiae et philologiae sacrae partes docendo ac scribendo felicissime occupauit divinum Viri summi ingenium, ac indefessa industria. Plurimum autem debent Viro celeberrimo, mea quidem sententia, crisis et exegesis librorum V. T., ac theologiae dogmaticae studium. Esaiae oraculorum enim noua versio ac explicatio sane egregia, qua primus rectius eorum intelligendorum viam muniuit, atque Institutio Theologi Christiani, toties iam typis repetita, aeterna manebunt Viri incomparabilis monimenta *).

Nec inter reliquos Theologos defuere, qui, etsi hos duumuiros ingenii vi ac ubertate haud attigissent, praestantissimae tamen eruditionis laude admodum florerent, atque de hac Academia docendo et scribendo optime essent meriti. — Inter hos primo loco nominandus est Christophorus Sonntag, ante hos centum annos Theologus Ordinis sui primarius, hacque dignitate per septem et viginti annos bene defunctus, vir apprime doctus, atque in graeca praesertim lingua, qua dissertationes adeo nonnullas scriberet, ac in lectione Patrum, quos vocant, versatissimus, qui

*) Uberiorem meritorum Doederlini narrationem exhibuit Ven. Ammon in notissimo libro menstruo: Neues theologisches Iournal, B. I. St. I. p. 1. sq. ut Schlichtegrollii Necrologum aliosque commentarios taceam.

dissertationibus, quibus pro more temporis doctrinae suae copias exponeret, fere ducentis admodum inclaruit, etsi nostro quidem tempore iis modo Sonntagii libellis, qui antiquitates sive Iudaicas sive Christianas illustrant, aliquod concedi possit pretium. — Sequitur hunc Collega, non coniunctissimus ille quidem, Ioannes Michael Lang, vir egregius, doctrina, pietate, liberaliori disciplina, quae vero collegae primario, Sonntagio, strenuo illi seuerioris formulae assertori, admodum displiceret, ac sinistris fatis ex hoc odio domestico non minus, quam ex imprudenti cum fanaticis nonnullis commercio ortis, clarissimus, qui egregiis multis, pro more seculi, dissertationibus, exegetici quidem argumenti, inter quas illae de herba Borith et de genealogia Christi eminent, tractatu de nuptiis ac divortiis, uberioribus denique notis et supplementis ad Dürrii et Baieri theologiam moralem magnam nominis celebritatem nactus fuit. Utinam male sanus pro sana, quae putabatur, doctrina furor tam praeclarum Virum, qui ab initiis Ordinis Theologici ad decimum huius saeculi anum noster fuit, non tam turpiter Academia expulisset! — Hunc apud nos excepit Ioannes Guilielmus Baier, notissimi illius compendii Theologiae positivae architecti, eiusdem nominis, Theologi Ienensis, filius, antea apud nos Philosophus et Mathematicus, deinde ab anno saeculi decimo, post Langii discessum, per viginti annos Theologus multiplici eruditione, ac variis dissertationibus exegetici et antiquarii argumenti clarissimus. — Sequitur Ioh. Balthasar

Bernhold, Ordinis nostri ab anno saeculi quinto et vicesimo per integros quatuor et quadraginta annos insigne ornamentum, Vir acute et ingeniose dictis non minus, quam amplissima eruditionis, praesertim graecae, copia, ac felicissimae memoriae laude apud nos clarissimus, qui praeter permultas dissertationes, exegetici ac dogmatici argumenti, atque theologiam veterum ecclesiae doctorum, quorum in lectione totus habitasset, illustrantes, edidit compendium theologiae polemicae, et Canones apostolicos scholiis illustratos, quibus eruditionis suae famam apud exteros etiam confirmauit. — Accessit Iacobus Guilielmus Feuerlein, primum apud nos philosophus eclecticus celeberrimus, deinde ab anno saeculi tricesimo post Zeltneri discessum Theologus noster non minus clarus, denique, hoc munere apud nos per sex annos cum plausu omnium gesto, in Goettingensem Academiam tum fundatam euocatus Theologus primarius, qui praeter multas dissertationes ac programmata, quibus philosophiae nonnulla capita, historiam literariam et ecclesiasticam, praesertim haereticorum veterum, ac theologiae symbolicae illustrasset, conscripto compendio theologiae dogmaticae, liberalioris quidem indolis, atque adornata bibliotheca symbolica, a Riederero nostro deinde emendata et aucta, spartam theologicam apud nos ac Goettingenses gestam egregie ornauit. — Successit Ioannes Augustinus Dietelmair, Theologus multae ac variae eruditionis laude aeque clarus, ac placidis moribus amabilis, ab

anno saeculi quadragesimo sexto per quadraginta fere annos Ordinis nostri insigne decus, in omni doctrinae theologicae genere, praesertim in historia ecclesiastica versatissimus, atque praeclarae artis, quam perpauci callent, primam iuventutem doctrinae christianae elementis imbuendi, peritissimus, qui praeter continuata biblia Telleriana, quae vocantur, ac varia meletemata theologica, quatuor tomis comprehensa *), optime meritus est de historia dogmatum christianorum, editis duobus libellis, qui hodiennm in magno sunt pretio, quibus historiam tum dogmatis de descensu Christi ad inferos, tum de ἀποκαταστάσει τῶν πάντων egregie illustrauit. — Adiunctus est Ioannes Bartholomaeus Riederer, Vir doctus, atque in historia literaria atque ecclesiastica, sacrorum inprimis repurgatorum, nec non in philologia romana et sacra bene versatus, qui, Ordini nostro ab anno saeculi quinquagesimo secundo per viginti fere annos adscriptus, praeter varias dissertationes, egregiae eruditionis testes, novis praesertim in historiam literariam theologicam observatis, iisque quinque voluminibus **) comprehensis, ac nova, eaque multum aucta et emendata,

---

*) Vermischte Abhandlungen, 2 voll. Theologische Betrachtungen, 2 voll.

**) Nachrichten zur Kirchen-, Gelehrten- und Büchergeschichte, 4 voll. Abhandlungen aus der Kirchen-, Bücher- und Gelehrten-Geschichte, 1 vol.

editione bibliothecae symbolicae Feuerlinianae supra iam commemoratae magnam doctrinae laudem reportauit. — Agmen denique claudat, qui anno saeculi octogesimo secundo Doederlino successit, Christianus Godofredus Iunge, Vir Venerandus, ingenio, doctrina ac eloquentia clarus per undecim annos noster, nunc Antistes primarius Norimbergensis, cuius modestia quidem vetat me in recensendis Ipsius meritis esse prolixum, at silentio plane Eum praeterire vetat religio. Innotuit iam orbi literario, priusquam ad nos venisset, egregiis commentationibus philosophici ac theologici argumenti *), quae liberalitate theologica maxime se commendarent. Qui cum apud nos versaretur, mihi ipsi socius in utroque munere coniunctissimus, de re academica et ecclesiastica, aeque ac scholastica et docendo et scribendo longe fuit meritissimus, nunc autem tam de ecclesia Norimbergensi, exaratis nouis formulis liturgicis temporibus nostris accommodatis, quam de universa re literaria continuanda institutione religionis Doederlinianae **) optime promereri pergit: quibus laboribus sustinendis ac perficiendis ut supremum numen vitam viresque largiatur, ex animo precamur. — Hi Theologi omnes hactenus recensiti librorum editorum praestantia, suo quis-

*) Philosophische und Theologische Aufsaetze, 2 voll.

**) Christlicher Religions-Unterricht, a sexta inde libri parte.

que tempore ac modo, et sibi ipsis et universae Academiae haud exiguam conciliarunt famam ac gloriam, atque de omnibus fere disciplinis theologicis, tum universis, tum maxime de singulis earum partibus, exegetici potissimum et historici generis, insigniter fuere meriti.

Sed restat alter de rebus academicis bene merendi modus, qui ipsa praelectionum theologicarum praestantia continetur; quod meritorum genus equidem in summa laude reponendum esse conseo. Quid enim profuerit disciplinae tuae alumnis copiosissima tua rerum humanarum divinarumque scientia, si ne prima quidem cuiusque disciplinae elementa recte ac perspicue tradere valeas? Itaque accurate, perspicue, ac temporibus nostris accommodate, quae docenda sint, docere, doctoris academici prima dos, ac suprema lex est. Qua enim bene ac utiliter alios instituendi facultate si quis destitutus sit vir doctus, qui in maiori aliqua Academia, ubi plures eandem disciplinam profiteri solent, docendi munere fungatur, non tantum illa quidem ab tali magistro minus idoneo ceperit detrimentum, modo egregiae suae eruditionis fama hanc Academiam reddat illustriorem; sed minori cuique Academiae talis magister ad docendum neque natus neque factus, etiamsi sit doctissimus, vulnus infliget prorsus insanabile. Plaudere igitur et hoc nomine haec sibi potest Academia, quod nunquam destituta fuit Theologis ad instituendos iuvenes idoneis. Etenim e recensitis iam doctis Theologis egregia hac et necessaria alios

bene instituendi facultate excelluere Sonntag, Lang, Zeltner, Feuerlein, Dietelmair, Doederlein, Iunge. — Atque his adiungendi sunt duumuiri Pfitzer ac Trèsenreuter *), quibus quidem breuitate temporis, quo munere Academico essent defuncti, non datum erat, scribendis libris magnam sibi conciliare doctrinae famam, qui vero institutionis elegantia ac suauitate auditoribus mire sese commendauerunt. Ioannes Iacobus Pfitzer, vir egregie doctus, ac dicendi facultate in primis clarus, vix anno saeculi decimo septimo, ut Sonntagio, his rebus erepto, succederet, huc euocatus, anno quarto et vicesimo Norimbergam redire, ac Antistitis munere defungi iussus est. — Christophorus Fridericus Tresenreuter, Theologus plane eximius, liberalis ingenii ac exquisitae et accuratae eruditionis vir, cum mira dicendi suauitate in utraque cathedra docendi subtilitatem et perspicuitatem arctissime coniunxit. Sed vix anno tricesimo septimo Vindobona ad nos euocatus, post novem iam annos in optimo aetatis flore, editis modo nonnullis liberalis ingenii ac eruditionis speciminibus **), praema-

*) Quibus addere possis, ne iniquior ac iusto seuerior videaris, Christophorum Wegleiterum, ante hos centum annos Theologiae Doctorem una cum Collega Michael Langio creatum, at rebus humanis iam anno saeculi sexto ereptum, virum doctum, ac instituta diligenter studiosa iuventute commendabilem.

**) v. c. iniusta ἁμαρτωλοποιία; de origine et permissione mali; de paschate, cet.

tura morte nobis ereptus est. Quo praematuro Viri obitu quantam liberalis doctrinae iacturam fecerit Academia nostra, intelligere iam possumus ex uno loco literarum ad b. Moerlium, Antistitem primarium Norimbergensem, virum doctissimum, ob scholia in V. ac N. T. a se edita tum male vexatum, anno tricesimo octavo perscriptarum, quem, iam alibi *) a me laudatum, huc transferre iuvat: „Est hoc commune quasi, inquit, omnium ve„ritatum fatum, ut nonnisi per multas difficultates, per invidiam et odia emerserint e tene„bris. Premimur adhuc iugo quodam, quod „ferre prudentia suadet, quia excuti uno ausu „non potest. Fiet autem, ut spero, successu „temporis; illudque tantum votis expetendum „videtur, ne in licentiam aliquando effrenatam „abeat libertas, cuius et nomen iucundum est, „et res ipsa salutaris.“ — Quam sententiose dicta! quam vere! quam fatidica quasi vi Viri optimi! Reviviscere igitur videbatur cum hoc Theologo eximio liberalitas doctrinae theologicae, superiori iam saeculo e schola Georgii Calixti, viri immortalis, ad hanc Academiam ab Hackspanio, Reinhardo, Dürrio, Sauberto ac Fabricio translata, sed post discessum Fabricii per severiorem doctrinae formulam Vitebergensem ac Ienensem diu oppressa. At cum morte Tresenreuteri sepulta iterum iacebat haec liberalitas theolo-

*) Praef. ad P. II. Vol. I. editionis meae libri: Eichhorns Urgeschichte mit Einleitung und Anmerkungen.

gica, donec tandem auctis quasi viribus revixerit cum Doederlino, Viro hoc etiam nomine de Academia nostra immortaliter merito, nunquam iam, si Deus faveat, apud nos interitura! — Habuit igitur, quod ex breui hoc recensu facile est ad intelligendum, Academia nostra inter quindecim Theologos, qui praeter nos praesentes huic Ordini per hoc saeculum adscripti fuerant, vix duo vel tres, silentio a me praetermissos, quibus, sine ullo quidem detrimento, carere facile potuisset. Quam secundam hac re fortunam experta est Academia nostra, quae vix ulli alii, ne maioribus quidem institutis literariis exceptis, per hoc saeculum contigit! — Quanto hoc esse debet nobis praesentibus Theologis incitamento, omnes intendendi vires, ut adsidua meditatione ac diligenti iuvenum institutione nos dignos, qui tantis viris successerimus, praebeamus. Hoc si fecerimus, tum demum, etiamsi tantos antecessores prorsus adsequi haud possimus, in magnis tamen voluisse sat est. —

Te certe, Vir summe Reverende atque Excellentissime, Theologiae Doctor ac Professor Vogel, Fautor et Collega Honoratissime, Coniunctissime, cui summos in Theologia honores, die abhinc tertio *) ab Ordine meo sponte, ac honori quidem hodiernae memoriae saecularis, oblatos, hodieque de valuis publicis sollemniter confirmatos, iterum ac de pu-

*) d. XXVII. m. Iun. privatim quidem in aedibus meis.

blico hoc loco sollemniter ex animo gratulor, atque mihi tam felici contigisse, ut, quos ante hos decem annos, hoc ipso die, a Spectatissimo Ordinis nostri Decano *), Collega Coniunctissimo, pie Venerando, accepissem, summos in Theologia honores Tanto Viro, quem pie suspicio, ac intimo amoris cultu prosequor, conferrem, TEque ab auspiciis Ordinis nostri quadragesimum Doctorem Theologiae crearem, impense laetor, — Te, inquam, certe, quod, quae iam edidisti, praestantissimi ingenii, exquisitissimaeque eruditionis specimina praesagire nos iubent, Virorum doctissimorum, qui nos antecessere, vestigia non modo presse secuturum, verum etiam, si Deus vitam concesserit, quod nos omnes in honorem Academiae nostrae a Supremo Numine piis efflagitamus precibus, plurimos eorum post Te relicturum, imo optimos quosque ac principes, quos Academia fouit, Theologos aequaturum, si non superaturum esse, certissime confido. In Te enim, Vir Summe Reverende, quid magis admirer, acerrimam ingenii viam, an maximam multiplicis sane et accuratae doctrinae copiam; veram liberalitatem theologicam, quae et turpia vincula menti humanae olim iniecta, et mutua dissentientium odia quam maxime abominatur, an iustam moderationem, qua soles in dubiis ac in utramque partem disceptatis doctrinae theologicae capitibus egregie uti; seuerum veri honoris ac iustae existimationis studium, an amabilem illam modestiam

*) D. Io. Andr. Sixto, Theologo primario.

ac humanitatem plane singularem, qua imbecilliores patienter ferre, TEque ingenio multo inferiores Tibi adeo praeferre soles, — et ut paucis dicam, — quid magis admirer, magnitudinem mentis, an animi probitatem ac liberalitatem, plane non habeo. Sed nolo diutius ori Tuo modesto tenuibus his laudibus ruborem suffundere, ne et ipse in turpis adulationis, a qua equidem, quod Tu ipse optime scis, alienissimus sum, suspicionem incurram; etsi dulce sit, in prolixas coram effundere se posse illius laudes, quem vehementer diligamus ac suspiciamus. Cohibendus igitur est animi adfectus in Te effusus. Velit Supremum Numen Te Tuosque, mecum, de quo mihi ipse maxime gratulor, coniunctissimos, ad seros usque annos saluos seruare atque incolumes, omnique felicitatis genere ita cumulare, ut mihi nunquam desit laetandi, Tibique gratulandi materies. Sic vale, mihique nobisque omnibus, qui de Te nobis iuncto laetamur, favere perge. —

Vobis vero, Auditores Optimi, omnibus ac singulis maximas ago gratias, maiores habeo, quod non modo honorifica Vestra praesentia hanc sacrorum saecularium celebritatem celebriorem reddere voluistis, verum etiam dicenti mihi aures mentesque praebuistis beneuolas. —

Peractis iam ac absolutis iis, quae hoc festo Ordini meo sacro pro virium tenuitate

dicenda esse videbantur, grates nunc Supremo Numini persoluendae sunt huic sacro congruae, atque pia vota pro salute Reipublicae Norimbergensis, huiusque praesertim literarum Universitatis, ex imo pectore offerenda.

Tibi, Aeterne Deus, pro tot tantisque beneficiis, quibus hanc bonarum literarum officinam ab ultimis illius primordiis ad hunc usque diem nunquam non cumulasti atque ornasti, his quidem plane dignas persoluere grates, non opis est nostrae. Tuae providae, curae, quae omnia in salutem humanam regit atque gubernat, debemus prima auspicia et universae huius Academiae, et nostri Theologorum Ordinis. Tu rexisti benignissime animos eorum omnium, sive Augustissimorum Imperatorum, sive Patrum Patriae munificentissimorum, a quibus et natales et auctae firmataeque vires celebris huius Academiae penderent, ut ad hanc instituendam, alendam, ac fouendam sua potissimum referrent studia. Tu illustre hoc literarum emporium in tot malorum, quae patriam vehementer concuterent, conflictu, inter tot tantaque pericula, quae toties eidem imminerent, inter armorum strepitus, qui metu nos omnes ac pauore percellerent, sartam tectamque servasti, atque ab infortuniis praesentissimis, quae alii omnes experirentur, anno praesertim proxime elapso in tam atroci hostium invasione, clementissime liberasti, resque nostras mox aliunde ita iam concussas, ut de iis desperarent omnes, benignissime sustentasti. Quanto, summa haec beneficia Tua pio gratoque animo re-

colentes, gaudio afficimur, quanta exultamus laetitia! — Serves modo, Aeterne Deus, hanc nostram incolumitatem; serves, augeas, firmes atque stabilias salutem, ut universae Academiae, ita et Ordinis nostri Theologorum; avertas mala, largiare bona! Sis rebus nostris propitius, iisque addas perpetuitatem; felicem fortunatamque Academiam nostram praestes, ut impietas ac ignorantia longe propellatur, ut honestas contra atque bonarum literarum studium in dies magis efflorescat, ut religio Christiana apud nos servetur sana atque intemerata, suaque semper apud nos luce serena radiet veritas, atque salutari Theologorum nostrorum ope magis magisque exsplendescat, ut denique prodeant ex hoc bonarum literarum domicilio, qui patriam ornent, virtutem ament, sapientiam colant, neque quicquam, nisi quod pium, quod iustum et honestum, quodque cum laude coniunctum sit, promti alacresque sequantur. Ita semper foueas hanc literarum Universitatem, ut nunquam desint doctores idonei, nunquam desit diligens ac bene morata studiosa iuventus. — Serves ac tueare Augustissimum Imperatorem nostrum, Franciscum II., Pium, Felicem, Pacificum, una cum universa Augustissima gente Austriaca, fac ut sub Eius auspiciis pax et securitas, salus et laetitia universae Germaniae, bello hoc funesto tantopere afflictae ac oppressae, reddatur felicissime, utque sub iisdem Caesareae Maiestatis auspiciis nostra etiam res publica academica efflorescat, atque ad maiorem subinde splendorem emergat. — Adiuva ac sustenta almam matrem, Norimbergam, de-

fende eam ab iniuria malorum, quibus concussa ingemiscit. Restitue clementissime universam hanc inclytam Rempublicam, a cuius salute et nostra salus pendet, ad pristinum splendorem, ac concede prudentissimis Patriae Patrum consiliis ad salutem rei publicae spectantibus exitum sane felicissimum. — Conserves ac tuearis Nutritores Academiae nostrae munificentissimos, in primisque Perillustres illius Curatores, Dominos nostros gratiosissimos, concedas Iis cum splendidissimis gentibus inconcussam incolumitatem, atque frui Eosdem iubeas summa exoptatissimaque rerum omnium prosperitate. Fac denique, ut, quaecunque in salutem Academiae nostrae ceperint, consilia ad exitum pertingant longe felicissimum. — Rectorem huius Academiae Magnificum *), Virum, uti de omni re literaria, ita de rebus nostris longe meritissimum, quovis frui iube felicitatis genere, ac, quae meritis suis plane eximiis per hunc praesertim annum addidit noua, ad res nostras seruandas atque ab impetu hostium defendendas, largissime Ipsi remunerare, quae nos quidem remunerari haud valemus, piis modo gratisque votis Eundem nunquam non prosequentes, atque fausta quaevis animo apprecantes integerrimo. — Magnificum itidem Academiae nostrae Procancellarium **)

---

*) D. Io. Christian. Siebenkees, Iur. Prof. Primar.

**) D. Paul. Iac. de Feuerlein, ab et in Neuenstatt, S. R. I. Equ. et Reip. Nor. Consiliar.

adiuva in gravissima sua provincia, ut eam diutissime ornet, atque egregii in rem patriam et academicam studii fructus percipiat uberrimos. — Spectatissimum Ordinis mei Decanum *), Theologum primarium, Collegam coniunctissimum, pie suspiciendum, Virum de Academia et ecclesia meritissimum, provida Tua cura ita fove atque sustenta, ut, quovis incolumitatis ac felicitatis genere beatus, ad seros usque annos utrique provinciae primariae cum laude praesit, quo maiores subinde ac praestantiores Academia pariter ac ecclesia fructus inde percipiat, nec quicquam Eidem desit salutis, sive publicae sive privatae, quod iustam praebere queat laetandi materiem. — Universo Senatui huius Academiae Amplissimo, singulisque illius Sociis meritissimis, celeberrimisque Tua adsis gratia; conserves res eorum publicas ac privatas; confirmes vires ad peragendos feliciter labores in honorem ac salutem huius literarum Universitatis susceptos, ut quam diutissime sibi gratulari possit haec ipsa de tantis Viris, fama meritisque gravissimis. — Adiuves, Bone Deus, studiosae nostrae iuventutis diligentiam morumque probitatem, ut patriae nunc spes, eiusdem splendeat quondam decus ac ornamentum! — Fac igitur, o Supremum Numen, supplex precor, ut universa haec Academia cum Ordine Theologorum saepius hanc

*) D. Io. Andr. Sixtum.

memoriam saecularem laeta, grata, ac fortunata recolat!

Vigeat ergo, Floreat, Crescat Academia Altorfina!

Dixi.

VIII.

De

E p i s c o p i s

primae ecclesiae Christianae eorumque origine Dissertatio Theologica.

Quam
Rectore Academiae Magnificentissimo
Serenissimo Principe ac Domino
D o m i n o
C a r o l o A u g u s t o,
Duce Saxoniae, Cliviae, Montium, Angariae et
Guestphaliae, Landgravio Thuringiae rel.
P r o L o c o
in Venerabili Theologorum Ordine
rite obtinendo
A. D. II. m. Februarii CIↃIↃCCCV.
publice disceptandam proponit
D. I o a n n e s P h i l i p p u s G a b l e r
Sereniss. Duci Saxo-Vinar. et Isenac. a Consil.
Eccles. et Theol. Prof. Publ. Ord. rel.
I e n a e.

§. I.

Instituti ratio declaratur.

Superfluum plane, imo ineptum videri possit, post tot doctissimorum virorum labores argu-

mentum ab utraque parte ad nauseam usque iam disceptatnm, denuo retractare, si in summa quidem rei ad unam modo vel alteram partem sub finem libelli redeas, nec noui quid cogitando effingere, ne nouam quidem rei speciem induere valeas. Constat enim inter omnes, contra Pontificios et Theologos Anglos, inter quos eminuere Petau, Beueridge, Hammond, Dodwell, Pearson, Bingham, Usher *), qui, permagnum presbyteros inter atque episcopos discrimen primitus iam interfuisse, acriter et magna cum doctrinae specie contenderent, multos viros doctrinae et ingenii laude conspicuos eosque Protestantium maxime coëtui addictos Salmasium, Blondellum, Hildebrandum, Zieglerum, Vitringam, Boehmerum, Buddeum, Pfaffium, Grunerum, Danovium, quibus nuper accessit Ven. Ziegler (Rostochiensis Theo-

*) Vid. Dion. Petavii de ecclesiastica hierarchia libri V., et dissertatt. theologic. lib. I. (in Eiusd. Op. de theologicis dogmatibus, Tom. IV.) — Gu. Beueregii cod. canonum ecclesiae primitivae vindicat. lib. II. (Extat etiam in Cotelerii Pattr. Apost. ed. Clerici. Vol. II.) — Henr. Hammondi dissertatt. quatuor, quibus episcopatus iura adstruuntur. (Lond. 1651) — Henr. Dodwelli dissertatt. Cyprianic. (decima) Oxon. 1684. — Io. Pearson vindiciae epistolar. Ignatii (repet. in Cotelerii Pattr. Apost. ed. Clerici. Vol. II.) — Ios. Bingham Origg. s. antiquit. ecclesiast. (lib. II. Cap. I.) — Iac. Usserii de origine Episcoporum et Metropolitanorum.

logus *) nullum prorsus inter Presbyteros et Episcopos intercessisse discrimen tanta ingenii sagacitate tantaque argumentorum copia defendisse, ut nihil sane novi iis, quae iam dicta sint, addi posse videatur, quod graue sit et attentione dignum. Quumque duo iam Theologi Ienenses celeberrimi, Buddeus atque Danovius, in solvendis nodis, quibus perplexum videmus hoc argumentum, cum laude laborassent, sane non opus esse videtur tertio quodam Ienensi Theologo, horum nodorum vindice. Atenimvero in summa rei quamquam po-

*) Vid. Wal Messalini (h. e. Claud. Salmasii) de Episcopis et Presbyteris diss. I. (Amst. 1641.) — Dav. Blondelli Apologia pro sententia Hieronymi de Episcopis et Presbyteris. (Amst 1646.) — Ioach. Hildebrandi diss. de episcopis. (Helmst. 1662.) — Casp. Ziegleri de episcopis liber. (Norimb. 1786.) — Campeg. Vitringae de synagoga vetere. (Franequ. 1696.) lib. II. — Iust. Henn. Boehmeri dissertatt. iur. eccles. antiqui ad Plin. et Tertull. (ed. 2. Hal. 1729.) diss. VII. et VIII. Io. Franc. Buddei diss. de origine et potestate Episcoporum. (Dissertatt. theolog Syntagma I. Ien. 1715.) — Eiusd. Ecclesia apostolica (p. 719. sqq.) Io. Frid. Gruneri diss. de origine Episcoporum cet. (Halae 1764.) — Christoph. Matth. Pfaffii origg. iur. ecclesiast. (ed. 2. Tub. 1756.) — Ern. Iac. Danovii diss. de Episcopis aetate Apostolorum (Ienae 1774.) D. Wern. Car. Lud. Ziegleri Versuch e. pragmat. Geschichte der kirchlichen Verfassungsformen (Leipz. 1798.)

steriori sententiae a nostratibus maxime Theologis docte et praeclare defensae lubens accedo, nonnulla tamen in hac iustae caussae defensione inesse video, quae parum certa sint et minus accurate dicta; nec ab iisdem Theologis nostratibus prae nimio feruore, quo ferebantur in Theologos Pontificios et Anglos, qui episcopalem dignitatem iusto altius proveherent, vera episcoporum origo proxime post Apostolorum aetatem accurate satis et sine ulla cupiditate ita inuestigata esse videtur, ut, quae historia illius aetatis teste sciamus, cum iis, quae de episcopis aetate Apostolorum iisdem prorsus cum presbyteris recte quidem dicta fuerint, amice conspirent. Quare non mirum est, tentatam nuper fuisse ad componendas has lites a Viro quodam celeberrimo et hoc in literarum genere versatissimo viam aliquam plane novam, suavem quidem et iucundam non minus ac ingeniose munitam, sed, quantum equidem video, non satis certam illam et tutam *).

Quae cum ita sint, actum agere mihi haud videor, sed operae potius pretium facturus, cum denuo et, si per vires atque huius libelli et tenuitatem et brevitatem liceat, accuratius in veram rationem et originem episcoporum primae ecclesiae christianae nunc inquirere apud animum constituo, habita potissimum no-

*) D. G. I. Planck Geschichte der christlich-kirchlichen Gesellschaftsverfassung. B. I. K. 4.

vae illius atque ingeniose effictae ὑποθέσεως ratione. Quo minus autem hoc in negotio vere actum agere videar, abstinendum mihi esse intelligo (quod et ipsa angustia libelli suadet) ab omni pompa illa et abundantia literaria et patristica, quam vocant, facile ea quidem ex libris supra laudatis repetenda. Equidem continebo me potius in iusto et rerum et argumentorum delectu, et sana ac brevi ἐπικρίσει eorum, quae ab aliis in utramque partem dicta fuerint. Ea igitur modo deligere mihi liceat, quae ad rem ipsam, nostra praesertim aetate agitatam, eiusque rationibus quammaxime accommodatam pertinent, neglectis aliis, quae nosse historiae modo literariae interest, quaeve, si universum quidem huius argumenti ambitum animo complecti velis, addiscere facile ex libris supra adductis poteris.

§. II.

E p i s c o p i

aetate Apostolorum iidem fuere, qui Presbyteri.

Proxima ab Apostolis eorumque sociis aetate iam extitisse Episcopos a presbyteris diversos, qui non modo ecclesiis, verum ipsis etiam presbyteris, etsi non ubique, praeessent, non negamus. Quaeritur modo hoc: an ipsi Apostoli iam constituerint episcopos singulis ecclesiis adstrictos, eosque a presbyteris distinctos hisque superiores? Tum enim existeret demum peculiaris ordo Episcoporum ex instituto ipso Apostolorum, s. iure divino, isque ab ordine presbyterorum seiunctus, eoque maior et praestantior. Sin autem ex certis N.

T. locis effici potest, fuisse episcopos, qui ab Apostolis vel eorum sociis in singulis coetibus christianis essent constituti, cum presbyteris horum coetuum plane eosdem, nec repeti amplius poterit ab ipsa Apostolorum institutione singularis ille ordo Episcoporum Presbyteris longe superior; sed alia potius origo horum Episcoporum proxime post Apostolorum aetatem indaganda erit atque declaranda. Fuisse autem tempore Apostolorum Episcopos singularum ecclesiarum eosdem plane cum earundem Presbyteris, ex his potissimum patet argumentis.

1) Iidem adpellantur in N. T. libris modo Episcopi, modo Presbyteri. — Actor. XX., 17. Paulus arcessivit τοὺς πρεσβυτέρους ecclesiae Ephesinae; hos autem v. 28. compellavit ἐπισκόπους; (προσέχετε οὖν ἑαυτοῖς καὶ παντὶ τῷ ποιμνίῳ. ἐν ᾧ ὑμᾶς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἔθετο ἐπισκόπους κ. τ. λ. — Tit. I., 5. scribit Paullus Apostolus, se reliquisse Titum in Creta insula, ut constitueret κατὰ πόλιν πρεσβυτέρους, quorum quae esse debeat animi indoles, quive mores, describit v. 6. (εἴ τις ἐστὶν ἀνέγκλητος κ. τ. λ.) additque caussam v. 7. Δεῖ γὰρ τὸν ἐπίσκοπον ἀνέγκλητον εἶναι κ. τ. λ. Hoc igitur sententiarum nexu Presbyteros v. 5. commemoratos Apostolus v. 7. adpellat Episcopos. Nec audiendus est, qui comma 7. ad Titum referri velit; nam partic. γὰρ comma 7. arcte connectit cum commate 6., ubi mores eorum describuntur, qui eligendi sint Presbyteri v. 5. De Tito igitur ipso h. l. plane non est cogitan-

dum *). — Quae contra monentur, parum valent. Presbyteros, sunt qui existiment, nonnunquam adpellari quidem a cura ecclesiae ipsis commissa episcopos; sed praeter eos alios etiam fuisse episcopos his Presbyteris superiores. At ita obiiciendo ipsi concedunt, Presbyteros per singulas ecclesias constitutos et adpellari et vere fuisse Episcopos, nec diversum primitus fuisse ordinem Episcoporum ab ordine Presbyterorum in ecclesiis christianis. An alii praeterea extiterint aetate Apostolorum

---

*) Addunt alii locum 1 Petr. V. 1. 2., ubi τῶν πρεσβυτέρων mentio fiat v. 1. quibus ἐπισκοπὴ tribuatur v. 2. (ποιμάνατε τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον τοῦ Θεοῦ, ἐπισκοποῦντες κ. τ λ.) — Verum enimuero hoc in loco etsi ipse persuasus sim agi de illa re, ob quam solet hic locus allegari, nempe de presbyteris et cura ecclesiae ipsis commissa (ποιμαίνειν, ἐπισκοπεῖν); nolim tamen hoc uti loco contra secus sentientes. Nam voc. πρεσβύτεροι v. 1. non exprimit, si nomen h. l. per se spectes, munus, sed modo aetatem. Petrus enim se ipse nomine συμπρεσβυτέρου insignit, etsi eum Presbyteri munere haud defunctum fuisse, certum sit. Neque nomen ἐπισκόπου v. 2. occurrit, sed modo verbum correlatum ἐπισκοπεῖν. Rem autem ipsam hoc loco contineri, hac de caussa existimo, quod, historia teste, qui πρεσβύτεροι aetate essent, et ipsi plerumque in primitiva ecclesia christiana fuerunt πρεσβύτεροι dignitate ac munere; praeesse enim illa aetate iubebantur plerumque ecclesiis viri annis et meritis graues, aeque ac זקנים synagogis Iudaeorum, quarum mores ac ritus, docente Vitringa (de synagog. vet.) ad sacra primorum Christianorum transferri solebant.

Episcopi, qui non ipsi fuissent presbyteri, his potius superiores, nec tamen certo cuidam coetui adstricti, de hoc postea videbimus. Huc certe haec quaestio referenda non est, ubi modo id agitur: utrum Episcopi singularum ecclesiarum tempore Apostolorum iidem plane fuerint, qui Presbyteri earundem ecclesiarum, nec ne? Fuisse autem eosdem, ex locis adductis clare patet. Et ipsa ratio utriusque nominis in aprico est; πρεσβύτερος enim erat nomen aetatis et dignitatis; ἐπίσκοπος contra nomen officii, s. muneris ab inspicienda et administranda ecclesia repetitum. — Nec magis sibi cauent alii, hoc quaerentes effugium: Episcopos saepius κατ' ἐξοχὴν et honoris caussa adpellari Presbyteros, nonnullos etiam munere Presbyteri simul fuisse defunctos. Nam neque fidem rei faciunt, nec sibi satis constant: si enim Episcopi et ipsi esse poterant Presbyteri, tantum profecto utrorumque haud fuit discrimen, quantum illi quidem praetendunt.

2) In nonnullis locis N. T. Episcoporum modo et Diaconorum fit mentio, omissis Presbyteris, qui vero praeteriri haud potuissent, si ordo Episcoporum plane diversus fuisset ab ordine Presbyterorum. — Huc pertinet Philipp. I, 1. ubi Paulus Apostolus salutat Christianos Philippenses σὺν ἐπισκόποις καὶ διακόνοις, Presbyteros autem silet. — Idem obseruamus 1. Timoth. cap. III., ubi Apostolus tantum memorat Episcopos v. 1-7. regulas vivendi iis praescribens, et statim transit v. 8-10. ad Diaconos, omissis prorsus Presby-

teris. Qua quaeso ratione hos silentio praeterire potuisset Apostolus, diversi si fuissent Presbyteri ab Episcopis, constituissentque peculiarem in ecclesiis ordinem? Nonne et hi indigebant certis vivendi agendique regulis muneri suo accomodatis? Sed si Presbyteri haud differebant in prima ecclesia christiana ab Episcopis, apte cohaerent in hoc capite omnia. Quare et Syrus interpres v. 2. aeque ac Tit. 1. 7. ἐπίσκοπον redddiit ܩܫܝܫܐ (senem s. seniorem), quod in aliis locis, v. c. 1 Tim. V, 1. 17. 19. 1 Petr. V, 1. respondet τῷ πρεσβυτέρῳ; eodemque modo ἐπισκοπὴν v. 1. transtulit ܩܫܝܫܘܬܐ (munus presbyteri.) — Sunt denique loca in epistolis Paulinis, quibus in recensendis muneribus ecclesiasticis praeter provinciam docendi extraordinariam ἀποςόλων et προφητῶν soli διδάσκαλοι commemorantur v. c. 1 Cor. XII. 28. 29. Qui si sunt ἐπίσκοποι, cur omittuntur οἱ πρεσβύτεροι? Sin intelligendi sunt πρεσβύτεροι, cur silet Apostolus τοὺς ἐπισκόπους? Sed si Episcopi et Presbyteri haud differunt in N. T. libris, nihil plane difficultatis habet hic locus. — Eadem plane ratio est loci Eph. IV. 11. quo praeter doctores extraordinarios (ἀποςόλους, προφήτας et εὐαγγελιςὰς) memorantur ποιμένες καὶ διδάσκαλοι. Ποιμένες respondent τοῖς ἐπισκόποις; iidem h. l. vocantur etiam διδάσκαλοι. Sed non commemorantur Presbyteri non facile h. l. omittendi; hi ipsi igitur h. l. sint necesse est et ἐπίσκοποι s. ποιμένες (nam presbyteri dicuntur ποιμαίνειν τὸ ποίμνιον τοῦ Θεοῦ 1 Petr. V, 1. 2.) et διδάσκαλοι, h. e. doctores ecclesiae ordinarii. Neque est, quod obiicias, hoc ipsum

verborum ποιμένες et διδάσκαλοι discrimen significare h. l. vel diversos plane ordines Episcoporum et Presbyterorum, vel varias saltem classes eiusdem ordinis Presbyterorum et Episcoporum, sive regentium sive docentium *). Hoc enim sumere vetat graecae linguae ratio. Nam Apostolus si hanc varietatem partium significare voluisset, scribendum eidem potius fuisset v. 11. τοὺς δὲ ποιμένας, τοὺς δὲ διδασκάλους. Cum vero scribit: τοὺς δὲ ποιμένας καὶ διδασκάλους, hac ipsa vocula καὶ clare satis innuit, eosdem plane esse et ποιμένας et διδασκάλους, nequaquam igitur differre Episcopos a Presbyteris.

3) In eadem urbe plures fuisse dicuntur in N. T. episcopi, v. c. Ephesi Actor. XX, 28. et Philippis, Philipp. I, 1. Sed posteriori aetate, qua Episcopi peculiarem ordinem a Presbyteris diversum constituerent, unus modo Episcopus singulari cuidam ecclesiae praeficiebatur. Plures igitur illi episcopi unius urbis in his locis commemorati non possunt non esse Presbyteri, quorum complures in quavis urbe coetibus christianis praefuere. — Nihili enim est, quod obiiciunt, Actor. cap. XX. non solos intelligendos esse presbyteros Ephesinos; sed et alios potius Episcopos proximarum ecclesiarum Asiae minoris itidem fuisse ad Paulum arcessitos. — Vana certe haec

---

*) Vid. Ven.Ziegleri Versuch einer pragmatischen Geschichte der kirchlichen Verfassungsformen, p. 8. et 9.

sunt et commentitia; nam Lucas modo refert v. 17., Paulum ablegasse Ephesum (non in universam vel saltem adiacentem Asiam minorem), qui advocarent τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας, intellige τῆς ἐν ἐφέσῳ. Atqui hos ipsos compellavit v. 28. ἐπισκόπους. Nec sane suppetebat tempus, reliquos arcessendi episcopos Asiae minoris in tanta festinatione Apostoli; ἔσπευδε γὰρ — narrat Lucas v. 16. — εἰ δυνατὸν ἦν αὐτῷ, τὴν ἡμέραν τῆς πεντηκόστης γενέσθαι εἰς Ἱεροσόλυμα. — Atque restat alter locus Philipp. I, 1. ubi talis non adparet elabendi rima: salutat enim Apostolus h. l., nominatim Episcopos Philippenses. Unde clare patet, in eadem urbe plures fuisse tum temporis Episcopos: quod cum intelligi haud possit de Episcopis, quales posterior aetas christiana vidit, quae unum modo in quavis urbe admitteret Episcopum, sponte sequitur, per Episcopos intelligendos esse h. l. Presbyteros, hosque igitur tempore Apostolorum eosdem fuisse cum Episcopis. Unde simul intelligitur, quare versio Syriaca prior verba σὺν ἐπισκόποις reddiderit ܥܡ ܩܫܝ̈ܫܐ (cum senioribus s. presbyteris); cum proprie debuisset vertere ܥܡ ܐܦܣܩܘ̈ܦܐ (cum episcopis), uti Actor. XX., 28. — Nec ullum aliud reperitur in universo N. T. vestigium magni illius discriminis Episcoporum a Presbyteris, quale posterius aevum decernere solebat. Quamvis enim in singulis coetibus christianis in una eademque urbe, s. ἐκκλησίαις κατ' οἶκον (ecclesiolis) in quas multis de caussis dispertiri soleret universa ecclesia eiusdem urbis, constituti fuerint praesides s. episcopi, (quod

Moshemio placuit); hi ipsi tamen fuere nonnisi Presbyteri, quibus esset cura harum ecclesiolarum commissa, admodum diversi ab iis Episcopis, qui posteriori aetate vel ipsis omnibus omnino presbyteris praeficerentur, quique peculiarem eundemque superiorem ordinem constituerent. Neque desiderabatur et presbyterorum et universae ecclesiae gubernatio, quae postea in Episcopos conferretur, eo tempore, quo Apostoli ipsi eorumque socii universam ecclesiam christianam diligentissime moderabantur.

4) Episcopos tempore Apostolorum haud diversos fuisse a Presbyteris innuunt etiam, vel adeo diserte testantur plures doctores ecclesiae, tum ii, qui proxime abessent ab Apostolorum aetate, (Patres Apostolicos vocant) tum etiam seriores nonnulli. — Ultimo loco hoc argumentum reponimus, cum non tanti referat, an res ex disertis N. T. locis satis iam comprobata aliis etiam doctorum ecclesiasticorum testimoniis confirmetur; inprimis cum multorum scriptorum primis his doctoribus plerumque tributorum authentia a viris doctis haud paucis dudum fuerit addubitata. Attamen ex iis horum doctorum libellis, quorum γνησιότης maxime sit probabilis, eo acceptiora sunt testimonia, quo propius absunt ab aetate Apostolorum, et quo certius est, habuisse iam ecclesias christianas tantum non omnes proximo hoc ab Apostolis tempore episcopos proprie sic dictos, eosque a presbyteris diversos atque iis adeo superiores. Quare in hac saltem caussa obverti nequit, transtulisse hos

doctores sui temporis mores in primam ecclesiam christianam; quod alios quidem posterioris praesertim aevi christiani doctores haud raro fecisse scimus. Haec autem loca viris doctis dudum cognita repetentibus nobis ne noua scribatur dica, in potioribus modo, hoc quidem loco, missis reliquis, quae dubitationis aliquid habeant, subsistere liceat. —

Pertinet huc cum primis testimonium Clementis Romani in prima epist. ad Corinthios §. XLII. et XLIV. Altero quidem loco (§. XLII.) de Apostolis tradit haec: *κατὰ χώρας καὶ πόλεις κηρύσσοντες καθίςανον τὰς ἀπαρχὰς αὐτῶν, δοκιμάσαντες τῷ πνεύματι, εἰς ἐπισκόπους καὶ διακόνους τῶν μελλόντων πιςεύειν.* Quo quidem loco Clemens Rom. Episcopos modo et Diaconos memorat, omissis Presbyteris, eodem modo, ac Paulus 1 Timoth. cap. III. Presbyteri igitur cum superiores fuissent Diaconis, essentque alia prorsus, eaque Diaconis praestantiore provincia defuncti, iidem plane censendi sunt hoc Clem. Rom. loco cum Episcopis. — Idemque efficitur ex altero loco XLIV. ubi nefas esse ait Clem. Rom., viros probos *τῆς ἐπισκοπῆς ἀποβάλλειν*, atque hanc ob caussam beatos praedicat Presbyteros iam demortuos, sua haud exutos provincia. Verba haec sunt: „*ἁμαρτία ου μικρὰ ἡμῖν ἔςαι, ἐὰν τοὺς ἀμέμπτως καὶ ὁσίως προσενέγκοντας τὰ δῶρα, τῆς ἐπισκοπῆς ἀποβάλωμεν. Μακάριοι οἱ προοδοιπορήσαντες πρεσβύτεροι, οἵτινες ἔγκαρπον καὶ τελείαν ἔσχον τὴν ἀνάλυσιν· ου γὰρ ευλαβοῦνται, μή τις αὐτοὺς μεταςήσῃ ἀπὸ τοῦ ἱδρυμένου αὐτοῖς τόπου.*“ — Qui igitur h. l. episcopatu (*ἐπιςκοπῇ*) deturbati dicuntur, iidem adpel-

lantur a Clem. Rom. Presbyteri, atque eodem plane utrique et muneris et dignitatis loco habentur. — Unde fit clarum, quid sit, quod Clemens Rom., qui de acerrima lite a Corinthiis περὶ τοῦ ὀνόματος τῆς ἐπισκοπῆς mota §. XLIV. queritur, hanc seditionem Corinthiorum (quae et ipsa his Clementis literis et occasionem et materiam praebuit scribendis) §. XLVII. descripserit his verbis: τὴν ἐκκλησίαν στασιάζειν πρὸς τοὺς πρεσβυτέρους. Ipsis igitur Presbyteris tribuitur a Clem. Rom. ἐπισκοπὴ (episcopatus). — Quare fuisse miror, qui contenderent, hanc Clementis Rom. epistolam tantum abesse, ut caussae nostrae faveat, ut contrariam potius stabiliat sententiam: obortam enim esse illam litem, quam componere haec studeat, de munere episcopi. Sed non viderunt hi viri, eam ipsam ἐπισκοπὴν has literas tribuere Presbyteris. —

Sunt quidem et alia nonnulla, quae ingeniose satis contra hanc argumentandi rationem monuerunt Hammondus et Beueregius (ll. cc.) nec non Cotelerius (in notis ad haec loca Clem. Rom.); sed non sunt tanti, ut nostram convellere queant sententiam. Quare mirari subit, vel nostra aetate tantum iis potuisse a viris doctis pretium tribui *). Quod enim primum monent, Presbyteros propterea silentio praetermitti a Clem Rom. aeque ac a Paulo Ap.

*) Vid. D. I. A. Starck (Theol. Darmstad.) Geschichte der christlichen Kirche des ersten Iahrhunderts. B. III. S. 35. ff.

1. Tim. Cap. III., quod eorum munus nondum in omnibus ecclesiis christianis constitutum fuerit; hoc certe non quadrat ad haec loca Clem. Rom., ubi (§. XLIV.) diserte commemorantur οἱ προοδοιπορήσαντες πρεσβύτεροι. Si obiicias §. XLII. agi de prima Apostolorum aetate; mature sane constituti fuerunt Presbyteri in ecclesia primitiva; id quod clare patet ex quamplurimis locis Act. Apost. v. c. XI., 30. XIV., 23. XV., 2. 4. 6. 22. 23. XVI, 4. XX., 17. XXI., 18. Denique Presbyteri ubique iam instituti supponuntur 1 Tim. V., 17. Iac. V., 14. 1 Petr. V., 1., et tanquam ii, quorum munus ecclesiis christianis valde sit necessarium, Tit. I., 5. Neque me intelligere fateor, quo tandem pacto Apostoli dici possint invexisse iam primi ordinis (Episcoporum) discrimen a secundo (Presbyterorum), si hic ipse ordo illa aetate nondum extitisset — Cotelerius cum rem putat expediri posse hac observatione, ὁμωνύμως poni in N. T. Episcopos et Presbyteros, non videt, hoc ipsum quaeri, quare hoc fiat, caussamque facillime reperiri in eodem munere et honore. Quod enim dicit, Christum ipsum adpellari in N. T. ἐπίσκοπον, atque Apostolos πρεσβυτέρους et διακόνους, hoc sane fit alio longe sensu quam ecclesiastico. Iesus non adpellatur Episcopus cuiusdam ecclesiae, sed ἐπίσκοπος τῶν ψυχῶν, 1 Petr. II., 25., uti Hebr. III., 1. ἀπόστολος καὶ ἀρχιερεὺς τῆς ὁμολογίας ἡμῶν. Petrus se ipse compellat συμπρεσβύτερον, 1 Petr. V., 1. non munere, sed aetate. Apostoli denique διακόνους se pronunciant, non ecclesiae sed Dei et Christi s. Evangelii. Atque si Episcopi ex sententia Cotelerii Diaconorum no-

mine comprehenderentur apud Clem. Rom. quam frigida et inepta tum foret compositio τῶν ἐπισκόπων καὶ διακόνων, nemo non videt. — Nec ferenda est sententia Beveregii, Presbyteros vel nondum extitisse in ecclesiis primis apostolicis, vel contineri sub Diaconis. Falsum esse prius, supra docuimus. Presbyteros autem relatos fuisse ad Diaconos ecclesiae, merum est commentum. Nam Presbyteris multo praestantior et honorificentior ex claris S. S. locis decreta erat provincia, quam Diaconis in utroque sensu. Maiore igitur iure referendos eos esse ad Episcopos censemus, quibuscum plane eosdem fuisse et munere et honore, ex locis N. T. supra excitatis luculenter adparet. — Speciosius alium locum Clementis Rom. (ep. I. ad Corinth.) urgent, quo diserte ἡγούμενοι s. ἐπίσκοποι distinguantur a πρεσβυτέροις. Verba sunt §. I. haec: „ὑποτασσόμενοι τοῖς ἡγουμένοις ὑμῶν, καὶ τιμὴν, τὴν καθήκουσαν, ἀπονέμοντες τοῖς παρ' ὑμῖν πρεσβυτέροις." Sed nullam equidem video necessitatem τοὺς ἡγουμένους explicandi de Episcopis a Presbyteris diversis. Sunt illi potius vel magistratus civiles; vel ipsi Presbyteri, ut posterius membrum orationis sola sit ἐξεργασία prioris; vel denique πρεσβύτεροι modo sunt Seniores ratione aetatis, eodem plane sensu ac 1 Petr. V., 1. coll. v. 5. 1 Timoth. V., 1. sqq., nam proxime sequitur sententia haec: νέοις τε μετρία καὶ σεμνὰ νοεῖν ἐπετρέπετε. — Sed satis de his!

Pergimus ad Polycarpum, qui itidem in epist. ad Philippenses §. V. mentionem modo facit Presbyterorum et Diaconorum, omissis

Episcopis, perinde ac Clem. Rom. (loc. cit.) Episcopos tantum et Diaconos coniungit, omissis Presbyteris. Verba sunt haec: „Διὸ, δέον ἀπέχεσθαι ἀπὸ πάντων τούτων, ὑποτασσομένους τοῖς πρεσβυτέροις καὶ διακόνοις, ὡς Θεῷ καὶ Χριστῷ.“ — Diversum igitur eumque sublimiorem Ordinem Episcoporum h. l. ignorat Polycarpus; quare Episcopos ecclesiae et Presbyteros pro iisdem habuisse censendus est. — Eundem in modum Irenaeus adv. haereses L. IV. v. 26. inquit. „Quapropter eis, qui in ecclesia sunt, presbyteris, obaudire aportet, his, qui successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus, qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt.“ — Itaque Episcopatus successionem Presbyteris adscribit Irenaeus, eoque Presbyteros et Episcopos permutat, nisi haec dicere eum statuas propterea potuisse, quod Episcopi tum temporis ex ordine Presbyterorum electi fuerint. Recte tamen hoc certe colligitur ex isto loco, retulisse Irenaeum Episcopos ad ordinem Presbyterorum, nec peculiarem eorum, aetate quidem Apostolorum, statuisse ordinem a Presbyteris diversum. — Prostat autem et alius, isque luculentior locus Irenaei, qui illam sententiam confirmat, libr. V. contr. haereses, cap. XX. Ibi enim sub init. §. I. ille inquit: „Omnes ii (haeretici) valde posteriores sunt, quam Episcopi, quibus Apostoli tradiderunt ecclesias.“ Ab initio §. II. autem scribit: „Qui ergo relinquunt praeconium ecclesiae, imperitiam sanctorum Presbyterorum arguunt.“ Id quod refe-

rendum est per nexum sententiarum ad illos Episcopos, quibus Apostoli tradiderunt ecclesias §. I. Permutans igitur h. l. Irenaeus Episcopos et Presbyteros utriusque ordinis vel dignitatis tempore Apostolorum, diversitatem plane ignorasse videtur.

Ignatii epistolas, quarum loca nonnulla (praesertim ex epist. ad Heronem) hac in caussa plerumque adferri solent, equidem mittendas esse arbitror, tum quod spuriae mihi illae videntur ex utraque recensione, saltem admodum interpolatae, ut certi nihil ad primum aevum christianum effici inde queat; tum quod alia in his reperiuntur loca, quae in contrariam plane partem trahi soleant. — Neque uti in hanc rem equidem velim tritissimo illo loco Hieronymi (in comment. ad epist. Titi): „Olim idem erat Presbyter, qui et Episcopus, antequam diaboli instinctu studia vel schismata in religione fierent.“ — Nam Hieronymus (ut a remotiori, quo vixisset, tempore plane discedam) ipse erat Presbyter, et homo fervidus et cupidus, (id quod et hic ipse locus testatur) ideoque in iis rebus, de quibus cum aliis decertaret, sublestae admodum fidei. — Sed reliqua argumenta supra allata satis superque iam evincunt, me quidem iudice, tempore Apostolorum Episcopos et Presbyteros ordine ac dignitate nequaquam fuisse diversos.

---

§. III.

Examinantur argumenta

pro adserendo discrimine Episcoporum a Presbyteris in primitiva Ecclesia.

Non desunt tamen et alteri parti argumenta satis speciosa, quorum nonnulla a nostratibus haud raro magis contemta fuerunt, quam accurate refutata. Varii autem illa sunt generis et ponderis. Alia enim modo demonstrant, extitisse iam proximo ab Apostolis aevo Episcopos a Presbyteris honore ac dignitate distinctos; id quod facile concedimus salva nostra sententia. Alia vero eo tendunt, ut adpareat, ipsa Apostolorum aetate fuisse Episcopos a Presbyteris diversos, eosque ab ipsis Apostolis singulis ecclesiis praefectos. Id quod eo quidem sensu, quo contrariam sententiam §o praecedente evicisse mihi videor, negandum esse arbitror. Sed in alio sensu, salua mea supra declarata sententia, equidem concesserim (quamvis hoc concesso a vulgari me sententia longe recedere atque in alia omnia abire videam); extitisse scilicet iam aetate Apostolorum episcopos nonnullos, re, etsi non nomine, a Presbyteris ecclesiarum distinctos, iisque adeo superiores. Nam sola hac via et enervari demum posse argumenta contraria, et vero conciliari diserta doctorum ecclesiasticorum testimonia cum iis N. T. locis, quae superiori §o sollicite essent enodata, persuasum habeo. Sed de his postea fusius; nunc de singulis.

Ad prius argumentorum genus pertinent ea, quae ex epistolis Ignatianis repetuntur, a Ios. Bingham (origg. eccles. l. II. c. I. §. 2.) diligenter collecta. Quae cum controversiam ipsam parum tangant, potiora modo huc transferre iuvat. Ep. ad Philadelph. n. VII. τῷ ἐπισκόπῳ προσέχετε, καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ, καὶ διακόνοις. — Ep. ad Smyrn. n. VIII. πάντες τῷ ἐπισκόπῳ ἀκολουθεῖτε, ὡς Ἰησοῦς Χριστὸς τῷ Πατρί· καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ, ὡς τοῖς ἀποστόλοις· τοὺς δὲ διακόνους ἐντρέπεσθε, ὡς Θεοῦ ἐντολήν. — Ep. ad Trall. n. XII. πρέπει ὑμῖν τοῖς καθ' ἕνα, ἐξαιρέτως καὶ τοῖς πρεσβυτέροις, ἀναψυχεῖν τὸν ἐπίσκοπον. — Etiamsi vero genuinae essent hae epistolae atque ab omni interpolatione, vel ex utraque vel etiam e breviori saltem recensione, liberae, (quod quidem neque Pearsonius neque Cotelerius persuadere nobis potuere *) nihil inde efficeretur, nisi hoc: Ignatii iam aetate distinctos fuisse honore et gradu Episcopos a Presbyteris, quanquam valde dubitem, ad tantum honoris et dignitatis fastigium tum temporis iam adscendisse Episcopos, quantum ipsis in his Ignatianis epistolis conceditur. — Idem valet de reliquis testimoniis Clementis Alex. (Stromat. libr. VI.) Origenis (multis quidem in locis), Tertulliani (v. c. de baptismo

*) Vid. modo post doctissimos Dallaei, Lardneri et Semleri labores Ven. Schmidtii (Giss. Theol.) comment. Versuch über die gedoppelte Recension d. Briefe des Ignatius (Henke Magazin für Religionsph Exegese u. Kirchengeschichte. Vol. III.)

CXVII.) ab Hammondo, Binghamio aliisque large collectis. Nam ex superiori Episcoporum dignitate eorumque insigni a Presbyteris diversitate, quae Saec. II. et III. obtineret, metiri conditionem Episcoporum eorumque rationem ad Presbyteros Saec. a C. N. primo, vel adeo institutum aliquod Apostolicum inde colligere nefas foret. Quam celeriter enim quantaque ambitione Episcopi altius se extollere in primis his post C. N. saeculis allaborarint, historia docet. Hoc autem loco modo quaeritur, an Episcopi iam aetate Apostolorum, vel adeo ex ipso eorum instituto, praestiterint reliquis doctoribus ordinariis s. Presbyteris.

Transeo igitur ad posterius argumentorum genus, quod rem propius tangit. — Primo loco nobis occurrit argumentum ex Apocalyps. c. II - III. depromtum, ubi ἀγγέλων τῆς ἐκκλησίας fit mentio, quos ad Episcopos pertinere haud sine specie censent. Sed nolo hac in re multus esse, in qua iam tantopere desudasset Danovius (in diss. supra laudata p. 8 - 30.). Potiora modo delibare, atque, ubi a Danovio discedam, significare, hoc quidem loco sufficiet. — Angelos ecclesiae Apoc. II - III. ab ecclesiis ipsis diversos putant demonstrari tum per typos astrorum et candelabrorum, tum per expressa verba, v. c. cap. I., 20. οἱ ἑπτὰ ἀστέρες ἄγγελοι τῶν ἑπτὰ ἐκκλησιῶν εἰσί, καὶ αἱ ἑπτὰ λυχνίαι ἑπτὰ ἐκκλησίαι εἰσί. Quam formulam ἄγγελος τ. ἐκκλησίας respondere existimant hebraicae שליח צבור, (Legatus ecclesiae), quo quidem nomine insigniti fuissent

in synagogis, quorum ritus in primam ecclesiam christianam transiisse constet, moderatores et antistites synagogae. — Magnam quidem, haud diffiteor, veri speciem haec prae se ferunt; attamen sententiam nostram supra confirmatam concutere minime valent. Primum enim, cum Apocalypsin non ab ipso Ioanne Apostolo, sed ab alio auctore profectam esse, multis ex argumentis, (quae quidem accurate exponere, non est huius loci), persuasus sim, haec omnia ex Apocalypsi repetita concedere possem sine ullo quidem sententiae §o praecedente corroboratae discrimine. Nam post Apostolorum aetatem invectam fuisse novam eamque Presbyteris potiorem dignitatem Episcoporum atque auctoritatem, libentissime largior. Sed fac, Apocalypsin vere esse Ioannis Apostoli, tamen non procedet, spero, illud argumentum. Singula enim, quae in his primis Apocal. capitibus nobis obvia sunt, si rite conferamus, facile intelligemus, nihil plane in iis inesse, quod ad solos pertineat episcopos, nec ad ecclesias ipsas possit referri. Diserta etiam in ipso cap. 2do plurium fit mentio coll. v. 10. 13. 24., atque dum angelum ecclesiae cuiusdam alloquitur Ioannes, se simul convertit ad ipsas ecclesias; coll. cap. II, 7. 11. 17. 29. III, 6. 13. 22., ubi αἱ ἐκκλησίαι intelligendae sunt ipsae illae septem ecclesiae Asiaticae. Quare ἄγγελος τῆς ἐκκλησίας imago modo censenda est illius ecclesiae, quam repraesentat. Solemne enim fuit Iudaeis aeque ac Chaldaeis, cuivis regioni, provinciae, imo peculiari societati angelum praeficere, qui eandem referret atque significaret. Sic Dan. X-XII. qua-

tuor species coelestes occurrunt, quae ipsas provincias significant. Ex his Orientalium opinionibus deinde natae sunt formulae loquendi ad illas conformatae. — Hactenus facio cum Danovio; sed si ab altera parte obiicitur, angelos tamen hosce ecclesiarum in Apocalypsi clare distingui ab ecclesiis ipsis, cap. I, 20. coll. v. 12. 16. misere se torquere videtur vir doctissimus (§. XI.) in re facile expedienda. Angelus enim, (ut breviter rem exponam) repraesentat modo ecclesiam, cuius est legatus, nec igitur plane idem est cum illa ipsa ecclesia. Recte igitur discernitur angelus ecclesiae ab hac ipsa. Quatenus autem ἄγγελος τῆς ἐκκλησίας (Legatus ecclesiae) partes illius ecclesiae agit, hactenus eandem sane cum ecclesia ipsa personam sustinet. Potest igitur et epistola, quae proprie ad ecclesiam pertinet, ad angelum ecclesiae dari illius, cuius est legatus. — Falsi denique sunt, qui praeeuntibus Camp. Vitringa, Io. Lightfootio, et Christi. Schoettgenio ἄγγελον τῆς ἐκκλησίας cum Haebraeorum שליח צבור comparant. Munia enim τῶν שליחי צבור, quae hi ipsi viri docti referunt, sunt ex famulitiorum genere, nec affinia censenda honorificae spartae τῶν ἀρχισυναγωγῶν, quibuscum tamen conferre solent Episcopos, sed potius viliori provinciae τῶν ὑπηρετῶν. s. חזנים, docente hoc Iac. Rhenferdio (diss. de decem otiosis synagogae, Franequ. 1686. p. 81. sqq.) Io. Buxtorfio (Lex chald. Talm. Rabbin. sub. v. שליח) et Io. Gottl. Carpzovio (Adparat. antiqu. sacr. cod. p. 314). Neque licet cum Pfaffio (Origg. iur. eccles. ed. 2. p. 53.) usum loquendi veterum Hebraeorum a

recentiori distinguere, nisi possis hoc discrimen accurate docere. Cui accedit, ἄγγελον quidem denotare nonnunquam doctorem, sed a Deo ad homines missum; at ἄγγελον ἐκκλησίας neque doctorem neque episcopum per se significare posse. Ἄγγελοι τῶν ἐκκλησιῶν sunt potius legati ecclesiarum (si proprie quidem vim formulae accipias, nec simul per imaginem, ut in Apocalysi) idemque valent, quod ἀπόστολοι τῶν ἐκκλησιῶν, 2 Cor. VIII, 23. Philipp. II, 25. — Itaque miror, ipsum Dav. Michaelis, virum celeberrimum, ἄγγελον τῆς ἐκκλησίας cum illo legato synagogae, qui hodie praecentor in synagogis Iudaeorum vocatur, comparasse (vid. Eius Anmerkungen zu seiner Uebersetz. d. N. T. ad h. l.), cum ille ad ministros, ipso fatente viro celeberrimo, sit referendus, nec substitisse potius in universa illa notione legati ecclesiae, qua potissimum obscuro Apocalypseos loco lux adfundi potest.

Gravius multo est argumentandi genus hoc, quod antiquissimorum doctorum ecclesiasticorum testimonio nititur *). Separanda tamen hoc loco sunt ea Patrum, quos vocant, loca, quae in universum Episcopos (per quos et ipsi intelligi possent Presbyteri s. doctores ecclesiarum, uti in N. T. libris utrosque permisceri vidimus) ab Apostolis constitutos esse declarant, ab iis, quibus Episcopi a Presby-

---

*) Diligenter aliunde collecta vide haec loca Patrum in Ios. Binghamii origg. s. antiqu. eccles. l. II. c. 1. §. 3. sqq.

teris clare distincti ordinis sui originem ab Apostolis duxisse dicuntur. Nam haec modo loca, non illa, ad rem praesentem faciunt, quorum potiora haec sunt. — Tertulliamus (adv. Marcion. l. IV. c. V.) inquit: „Ordo „Episcoporum ad originem recensus in Ioannem „stabit auctorem.“ Clemens Alex. (Paedag. I. III. c. XII.) ait: „Μυρίαι δὲ ὅσαι ὑποθῆκαι εἰς „πρόσωπα ἔκλεκτα διατείνουσαι, ἐγγεγράφηται ταῖς βί„βλοις ταῖς ἁγίαις· αἱ μεν πρεσβυτέροις, αἱ δὲ ἐπι„σκόποις, αἱ δε διακόνοις, ἄλλαι χήραις.“ — Verum enimvero uterque locus non nisi opinionibus ac incerta fama niti videtur. Prior enim ordinem Episcoporum ad solum Ioannem refert, cum reliqua antiquitas christiana plures Episcopos a Petro quoque et Paulo constitutos fuisse tradat. Res potius ad solos Episcopos Asiaticos pertinere videtur, quos fama, narrante Clem. Alex., a Ioanne, post reditum ex insula Patmo, institutos esse tulit. Quod igitur de singulis episcopis in singulis provinciis primitus narrabatur, hoc denique ad omnes omnino Episcopos fama transtulit. Nihil igitur certi ex hoc Tertulliani loco contra nostram sententiam effici posse arbitror, cum de vera ac primitiva vi et potestate Episcoporum eorumque a Presbyteris diversitate, tempore quidem Apostolorum quaeratur. — Posterior locus tantum docet, Clementem Alex. Episcopos distinxisse a Presbyteris, hocque discrimen ordinis in ipsis N. T. libris quaesivisse. Nonne vero potuit Clem. Alex. Episcopos in N. T. obvios ex sui temporis usu dimetiri, ut illis eandem auctoritatem tribueret ac praecellentiam, quae esset Episcopis sui temporis

propria? Nonne saepius in eo peccavit posteritas, suos ut transferret mores ac instituta in prius atque antiquius aevum? Quod quidem vere accidisse veteribus scriptoribus christianis, edocemur exemplo Irenaei, qui (adv. haereses l. III. c. XIV.), „convocatos fuisse, „ait, Miletum a Paulo Apostolo (Actor. XX., „17.) Episcopos et Presbyteros, qui ab Ephe„so et a reliquis proximis civitatibus eo coiis„sent.“ Convenisse autem Miletum solos presbyteros Ephesinos, qui et ipsi salutarentur Episcopi, nec vero alios vicinarum Asiae minoris ecclesiarum episcopos, supra (§. II.) satis superque docuisse mihi videor. —

Quamvis autem hactenus allata Patrum testimonia ex adductis caussis discrimen illud Episcoporum a Presbyteris tempore Apostolorum nequaquam firmiter corroborent; alia tamen haud desunt, eaque graviora, argumenta ex catalogo primorum Episcoporum ab Apostolis in maioribus ecclesiis ordinatorum repetita, quibus discrimen illud ab ipsis Apostolis primitus constitutum clarius elucescat. Nonnulla quidem a Ios. Binghamio aliisque ex Tertulliani clarissimo loco (de praescript. c. XXXII.) *) et ex successione Episcoporum Ro-

*) Verba Tertulliani haec sunt: „Evoluant (haeretici) ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones, ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverint, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo ecclesiae Apostolicae census

manorum *) in hanc caussam allata non tanti videntur esse momenti, ut vulgaris nostratium sententia iis admodum concutiatur; nam Tertulliani auctoritas his in rebus suspecta est, et successio ipsa Romanorum Episcoporum dubia. Sed alia a defensoribus Apostolicae ordinis Episcoporum originis congesta veteris ecclesiae testimonia eius sane sunt generis, ut prorsus ea contemnere nihilque iis dare equidem non ausim. — Iacobum, τὸν ἀδελφὸν κυρίου, primum ecclesiae Hierosolymitanae episcopum fuisse, omnes scriptores antiqui unanimi consensu tradunt, non modo posteriores, Hieronymus, Epiphanius, Chrysostomus, verum et priores, Hegesippus, Clemens Alexandr., Dionysius, quos omnes Eusebius excitat testes iisque accedit (H. E. l. II. c. 23. III. c. 5. 7. l. VII. c. 19.). — Antiochenae ecclesiae primum Episcopum fuisse Evodium, ab Apostolis quidem, Petro praesertim, constitutum, et post eum Ignatium, atque utrumque ante Petri, Apostoli, obitum, testatur Eusebius (H. E. l. III. c. 22.) et Origenes (Homil. VI. in

---

suos deferunt; sicut Smyrnaeorum ecclesia Polycarpum ab Ioanne conlocatum refert; sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum edit. Proinde utique et caeterae exhibent, quos ab Apostolis in episcopatum constitutos, Apostolici seminis traduces habent." —

*) v. Io. Pearson et Henr. Dodwell de successione primorum Romae episcoporum; et Io. Phil. Baraterii de successione antiquissima Episcoporum Romanorum, cet.

Luc.), quibus deinde accesserunt Athanasius, Hieronymus, Chrysostomus, Theodoretus, alii. — De Polycarpo inprimis, primo Smyrnensis ecclesiae episcopo, a Ioanne, cuius erat discipulus, constituto, quae narrant scriptores christiani veteres, quammaxime digna sunt, quae diligenter attendamus. Irenaeus, qui ipse Polycarpum noverat, hunc tradit ab Apostolis creatum fuisse episcopum, his quidem verbis (adv. haereses l. III. c. 3.): „Ab Apostolis in Asia, in ea, quae est Smyrnae, ecclesia constitutus Episcopus, quem et nos vidimus in prima nostra aetate. Tertullianus (de praescr. c. XXXII.) et Eusebius (H. E. l. III. c. 36.), nec non Hieronymus (catal. sriptor. eccles. c. XVII.) *) idem testantur. — Pari ratione antiqui hi scriptores christiani adfirmant, Timotheum a Paulo Episcopum Ephesi fuisse institutum, aeque ac Titum in Creta insula. Quare Eusebius ait (H. E. l. III. c. 4.): „Ὁ λουκᾶς ἐν ταῖς πράξεσι τοὺς γνωρίμους αὐ„τοῦ (Παύλου) καταλέγων, ἐξ ὀνόματος αὐτῶν μνη„μονεύει. Τιμόθεος γε μέν τῆς ἐν Ἐφέσῳ παροι„κίας ἱστορεῖται πρῶτος τὴν ἐπισκοπὴν εἰληχέναι, „ὡς καὶ Τίτος τῶν ἐπὶ Κρήτης ἐκκλησιῶν.“ — Atque haec ipsa narratio de episcopatu Timothei et Titi vestigia nobis monstrat, quae in doctrina de Episcopis eorumque, aetate quidem Apostolorum, vera ratione pressius persequamur. — Quamvis enim in his veterum

*) Verba eius sunt haec: „Polycarpus, Ioannis Apostoli Discipulus, ab eo Smyrnae Episcopus ordinatus.“

Christianorum narrationibus nonnulla insint, quae posterior demum aetas verae historiae addiderit, omnia tamen de primis illis episcopis ab his auctoribus tradita ad fabulas referre pudor vetat et fides historica. Nihil enim credere fas esset in antiqua historia, nihil si dare vellemus tanto testium christianorum consensui. Concedere quidem nullo modo possumus, Episcopos, quorum in N T. libris fit mentio, ordine et munere diversos fuisse a Presbyteris. Sed si sequius aevum christianum Timotheum et Titum Episcopos fuisse contendit, qui hoc nomine non occurrunt in N. T. eosque cum posterioribus Episcopis, iisque ab ordine Presbyterorum distinctis, comparat, concedi tandem a nobis poterit, ne iusto morosiores videamur, extitisse iam aetate Apostolorum Episcopos, (licet hoc ipso nomine haud insigniantur ab Apostolis) qui non ipsi fuissent Presbyteri, quorumque imitatio proprios posthaec genuisset episcopos; solis autem presbyteris aetate quidem Apostolorum in libris N. T. concessum fuisse nomen Episcopi. Admittendum igitur erit discrimen inter Episcopos superiores, qui ipsis praeessent presbyteris, (etsi hoc nomine haud occurrant in libris N. T.) et inferiores, qui solam plebem christianam gubernarent. Hi soli in N. T. dicuntur Episcopi atque iidem sunt, qui Presbyteri. Quo quidem admisso discrimine mediam ingredimur viam, qua tandem utramque partem amice componere possimus. — Sed hac de re fusius et accuratius in ultima huius dissertationis sectione, qua nostram sententiam sumus expositiuri. —

§. IV.

Presbyteri aetate Apostolorum

erant et ipsi ad docendum populum non minus quam ad bene moderandam Ecclesiam constituti.

Pergimus nunc ad aliam quaestionem, quae cum ea, quae nobis sedet, sententia de vera ratione Episcoporum N. T. atque de origine Episcoporum posterioris aevi christiani arctissime cohaeret, atque viam nobis munit contrariae cuiusdam opinionis, magna quidem cum solertia exornatae, rectius examinandae et diiudicandae. — Episcopis curam ecclesiarum earumque gubernationem fuisse commissam, et nominis ratio, et comparatio cum ἀρχισυναγωγοῖς Iudaeorum, et diserta denique S. S. testimonia satis demonstrant. Episcopi enim, cum ἀπο τοῦ ἐπισκέπτεσθαι dicantur, accurate respondent praefectis synagogarum Iudaicarum s. ἀρχισυναγωγοῖς, qui in historicis N. T. libris toties redeunt. Primitivae autem ecclesiae christianae formam ad exemplum synagogae Iudaicae fuisse compositam (etsi non per omnia, in quo nimius est Vitringa de synagoga vetere), ex ipsis primis institutorum christianorum initiis intelligitur, cum prima illa ecclesia eiusque constitutio profecta sit a Iudaeis, cumque ad exemplum ecclesiae Hierosolymitanae, quae Christianis e Iudaeis, iisque ritibus synagogarum adsuetis, constaret, reliquae itidem ecclesiae fuerint conformatae. Quare etiam in omnibus locis iis, quae Episcoporum mentionem faciunt, curae inprimis et gubernationis ecclesiarum fit mentio; v. c. Actor. XX., 28.

προσέχειν τῷ ποιμνίῳ et ποιμαίνειν (regere, curare) τὴν ἐκκλησίαν. 1. Timoth. III., 5. ἐπιμελεῖν ἐκκλησίας Θεοῦ; atque Tit. I., 7. Episcopus adpellatur οἰκόνομος Θεοῦ. „Sed haec tam clara sunt omnia, ut ea mirari possis hoc loco a me repeti, nisi sint, qui curam et moderamen ecclesiarum Episcopis denegare cupiant, solumque iis, vel saltem potissimum, tribuant docendi munus. — Episcopos autem tempore Apostolorum cum supra docuerimus (§. II.) diversos haud fuisse ordine ac munere a Presbyteris, utrorumque potius nomina et munera in libris N. T. aeque late patere, ad Presbyteros etiam adparet pertinere, quaecunque hactenus de moderamine ecclesiarum per Episcopos diximus. — Idemque intelligitur, sive contendamus Presbyteros christianos cum Presbyteris Iudaeorum (זקנים), sive consulamus ea, quae de Presbyteris christianis diserte agunt, librorum N. T. testimonia. Synagogis enim Iudaeorum Presbyteros s. זקנים praefuisse constat, qui, quaecunque in iis ad cultum divinum pertinerent, recte componerent atque moderarentur. Horum quidem in variis synagogis (docente Vitringa de synagog. vet. l. II.) non eadem erat ratio; aliis synagogis ab universo senatu Presbyterorum rectis, aliis ἀρχισυναγωγῷ cuidam subiectis, cui adessent alii Presbyteri, (ממונים, פרנסים) ipsi ἀρχισυναγωγοὶ dicti; unde in N. T. non modo τῶν πρεσβυτέρων hoc ipso sensu mentio fit, v. c. Luc. VII., 3. verum etiam in aliis locis v. c. Marc. V., 22. Actor. XIII., 15. plurium ἀρχισυνηγωγῶν, quem ראש הכנסת adpellarunt, muneris gravitate et auctoritate distinctorum. Quicquid

vero horum sit, omnes tamen omnino Presbyteri Iudaeorum praefecti erant synagogis, aeque ac Presbyteti christiani singulis Christianorum coetibus, cum in locum τῶν ἀρχισυναγωγῶν et זקנים Iudaeorum in prima ecclesiae christianae institutione successissent. — Denique ex disertis quoque N. T. testimoniis idem adparet, Presbyteros christianos regendis ecclesiis fuisse destinatos. Qui enim Actor. XX., 17. πρεσβύτεροι vocantur, iidem c. 28. ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν et προσέχειν τῷ ποιμνίῳ iubentur, atque 1 Timoth. V., 11. προεστῶτες πρεσβύτεροι commemorantur. Pari ratione Petrus, Apostolus, Ep. I., cap. V., c. 1. 2. τοὺς πρεσβυτέρους vehementer adhortatur: „ποιμάνατε τὸ ἐν ὑμῖν ποιμνίον τοῦ θεοῦ, ἐπισκοποῦντες μὴ ἀναγκαστῶς, ἀλλ' ἑκουσίως“ Quamquam vero hic locus proprie de senibus, quibus νεώτεροι (v. 5.) opponuntur, intelligendus est, his tamen ipsis viris aetate provectis cura ecclesiae, aeque ac τοῖς זקנים apud Iudaeos cura synagogae, imo regimen rei publicae in synedrio, committebatur, unde et nominis ratio constat. —

Pergimus ad quaestionem difficiliorem, in qua potissimum cardo rei disceptatae vertitur: an ex disertis N. T. locis plane possit effici, Presbyteros etiam ad docendum institutos fuisse, atque ipsa muneris ratione ad id obstrictos? — Hoc certo adfirmare equidem haud dubito. Etenim clare elucet primum ex illo loco Pauli Ap. iam supra (§. II.) excitato Tit. I., 9., ubi ab eo, qui ad Episcopi munus admittatur, expressis verbis requiritur, ut sit δυνατὸς καὶ παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινού-

σῃ καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν; quocum convenit, quod idem Apostolus 1 Tim. III., 2. statuit, Episcopum esse debere διδακτικὸν, hoc vero est, ad instituendos alios idoneum. Episcopos autem in his locis eosdem esse cum Presbyteris, et supra iam demonstratum est, (§. II.) et ex arctissimo nexu loci Tit. I., 7. sqq. cum proxime praecedentibus commatibus 5. et 6. planum est, ubi de constituendis per singulas urbes Presbyteris, eorumque iusta ratione ac indole agitur. Quanquam enim facile largior, non omnes illius aevi Presbyteros ecclesiarum vere docuisse, ne idoneos quidem ad docendum omnes fuisse, nec adeo illo aevo esse potuisse, (etsi illo quidem tempore non tot tantaeque in doctoribus ecclesiae dotes animi ac virtutes requirerentur, quam hodie, praesertim inter nostrates): hoc tamen non impedit, quo minus ad Presbyteros, e consilio quidem Apostolorum, docendi provinciam pertinuisse statuamus. Nam eam ipsam ob caussam, quod Paulus Apostolus nonnullis animadvertisset munus Presbyteri fuisse commissum, qui ad docendum parum essent apti, hoc inprimis urgebat in epistolis ad Timotheum et Titum datis, ut ii modo eligerentur in ecclesiis Presbyteri, qui praeter alias virtutes ab ipso commemoratas haud carerent dono bene ac recte alios docendi et adversarios redarguendi. — Nec vero desunt alia N. T. loca, ex quibus hoc muneris datum fuisse Presbyteris itidem pateat. Nam 1 Cor. XII., 28. 29. recensentur munera ecclesiastica, in quibus omittuntur ἐπίσκοποι et πρεσβύτεροι, (qui tamen

omittendi non erant), sed eorum loco nominantur διδάσκαλοι. Erant igitur Episcopi seu Presbyteri primae ecclesiae doctores ordinarii ecclesiarum, sicuti Apostoli et Prophetae ante eos commemorati ad doctores extraordinarios pertinebant. — In eandem caussam addit Apostolus Ephes. IV., 11 in recensu ministrorum doctrinae et ecclesiae christianae Apostolis, Prophetis et Evangelistis ποιμένας καὶ διδασκάλους, qui in hoc quidem sententiarum nexu nonnisi Episcopi et Presbyteri esse possunt. Nam si intelligas h. l. per ποιμένας Episcopos, qui regerent ecclesias, διδάσκαλοι esse debent Presbyteri, tamquam doctores ordinarii ecclesiarum: sin autem rectius ποιμένας καὶ διδασκάλους ad eosdem, Episcopos scilicet, qui et ipsi essent Presbyteri, ab utroque munere et regendi et docendi ecclesiam sic dictos, referas, (id quod suadet etiam linguae graecae ratio, coll. §. II.) iterum intelliges, Presbyteros aeque fuisse doctores ecclesiae (διδασκάλους) ac rectores eiusdem (ποιμένας). — Nec minus idem Apostolus, cum ad Thessalonicenses (ep. I. cap. V., 12.) scribit: „Ἐρωτῶμεν „δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοὶ, εἰδέναι τοὺς κοπιῶντας ἐν ὑμῖν, καὶ „προϊσταμένους ὑμῶν ἐν κυρίῳ, καὶ νουθετοῦντας ὑμᾶς, „καὶ ἡγεῖσθαι αὐτοὺς ὑπερεκπερίσσου ἐν ἀγάπῃ, διὰ „τὸ ἔργον αὐτῶν," arcte connectit τοὺς προϊσταμένους (praefectos) et νουθετοῦντας (doctores) atque eosdem plane illos pronunciat. Οἱ προϊστάμενοι igitur Episcopi s. Presbyteri, et ipsi fuerunt doctores ecclesiae. Id quod et diserte testatur locus Hebr. XIII, 7. „Μνημονεύετε τῶν „ἡγουμένων ὑμῶν, οἵτινες ἐλάλησαν ὑμῖν τὸν λόγον τοῦ „Θεοῦ." Nam ἡγούμενοι haud dubie h. l. sunt

illi προϊστάμενοι (1 Thess. V, 12.) h. e. Episcopi s. Presbyteri, atque hi dicuntur doctrinam divinam s. christianam (λόγον τοῦ Θεοῦ) illis epistolae lectoribus tradidisse. Erant igitur hi Presbyteri re ipsa ac per muneris sui rationem doctores ecclesiae. — Haec equidem sufficere crediderim ad stabiliendam firmiter sententiam hanc: Fuisse Presbyteros ecclesiarum, Apostolorum quidem aetate, ad docendum populum, non minus quam ad bene moderandam ecclesiam, constitutos, atque ex instituto Apostolorum per ipsam muneris iisdem commissi rationem ad docendum obstrictos.

§. V.

Oppositae aliorum sententiae examinantur.

Quae cum ita sint, illico concidunt aliorum sententiae a nostra alienae, in primis ea, quam protulit Io. David Michaelis, vir celeberrimus, in animadversionibus παραφράσει suae epistolarum Pauli minorum (Paraphrase und Anmerkungen über die Briefe Pauli an die Gater, Ephes. cet.) annexis, ad 1 Timoth. III, 1. et V, 17. Existimavit nempe vir doctissimus, munus Episcoporum totum in moderamine cultus Christianorum sacri positum fuisse, quo curarent, omnia recte in ecclesia et communi usui convenienter fieri, secus sententies monerent atque corrigerent. Docuisse interdum Episcopos ille quidem concedit; pertinuisse modo negat hanc institutionem aliorum

ad ipsorum provinciam; nam Apostolorum aetate et Laicis licuisse ad coetum christianum verba facere aut palam populo precari. Si quis autem Episcopus cum gubernatione ecclesiae docendi quoque provinciam coniunxisset, eo maiori hunc stipendio dignum fuisse (1. Timoth. V, 17.). Quae si teneamus, discrimen omne, quod nonnulli statuant, inter docentes et regentes (laicos) Presbyteros, prorsus tolli. Ita fere Michaelis! — Sed non novam prorsus et inauditam opinionem haec adserens protulit vir celeberrimus, (quod quidem Danovio in diss. cit. p. 43. videbatur) nam idem iam statuit magnus ille ICtus, Iust. Henn. Boehmer tum in dissertatt. iur. eccl. antiqui, dissert. VII. (ed. 2. p. 389. sq. 395. sqq.) tum in Observationibus ad Petri de Marca dissertationes de concordia sacerdotii et imperii. (Observ. V. ad L. I. c. II. §. 5. ex ed. Bamberg. 1788. p. 128. sqq.). Proxime quidem ille agit l. c. de Presbyteris, hos vero eosdem cum Episcopis pronunciat (ed. Bamb. p. 137. sq.); quare in summa rei idem adfirmare censendus est, quod Io. Dav. Michaelis. Cel. Boehmerus autem cum hanc sententiam solis illis locis 1 Timoth. V, 17. et 1 Thessal. V, 12. suffulcire studeat, quae tamen alium eumque planiorem sensum admittunt, (quod quidem infra docebitur) plane non est, quod his immoremur. — Revertimur igitur ad ea, quae Cel. Michaelis in medium protulit, ad quae breviter haec notamus. — Largimur quidem, et Laicis illo tempore concessam fuisse docendi libertatem. Inde autem non sequitur, Presbyteros haud fuisse ordina-

rios ecclesiae doctores; neque firmavit b. Michaelis hanc opinionem idoneis argumentis. Sed nec opus est ulteriori viri refutatione, cum ipse in recentioribus animadversionibus ad versionem suam german. N. T. (Vol. IV.) ad loc. 1 Tim. V., 17. tacite dicta mutasset, atque in meliorem Grotii sententiam deflexisset.

Nec magis valet ad infringendam sententiam nostram, §o praecedente tot firmatam argumentis, discrimen inter Presbyteros regentes et docentes, quorum priores e plebe, posteriores e clero fuerint electi, seu quod idem est; inter Presbyteros laicos et clericos, quod quidem Reformati, qui Calvini maxime disciplinam sectarentur, seu Presbyteriani, constituerunt. Nulla enim sunt argumenta eorum, quae ex nonnullis S. S. locis, v. c. Rom. XII, 7, 8. praesertim 1 Timoth. V, 17. repetierunt, cum certum nullum Presbyterorum laicorum vestigium neque his N. T. locis insit, neque vero possit in scriptis doctorum christianorum proxime post aetatem Apostolorum, quae omnia ac singula Presbyteros tanquam sacerdotes, ideoque clericos, non laicos, exhibent, reperiri: id quod prolixe satis et docte exposuit Camp. Vitringa (etsi ipse Calvinianae formulae addictus hoc ecclesiae regimen haud improbasset) in libro notissimo de Synagoga vetere libr. II. c. 2 et 3. — Sed vel misso hoc a Presbyterianis defenso discrimine inter Presbyteros laicos et clericos, insistunt tamen illi discrimini inter Presbyteros docentes et regentes alii viri docti, tam antiquiores quam recentiores, (etsi solos Presbyteros clericos, non

laicos, admittunt), loco illo 1 Timoth. V, 17. potissimum ad hanc sententiam adducti; quod ibi Apostolus diserte distinguat τοὺς προεστῶτας πρεσβυτέρους et τοὺς κοπιῶντας ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ. Alios igitur Presbyteros, contendunt hi viri, secundum hunc locum pro muneris sui ratione vere instituisse populum, alios autem, quibus neque natura, neque ars hanc dedisset dicendi facultatem, alio modo ecclesiae prospexisse commodis *). — Abeunt tamen hi viri in duas et ipsi partes: alii enim ex ipso Apostolorum instituto hoc discrimen inter Presbyteros docentes et regentes obtinuisse existimant **); alii contra e tenui modo sorte et conditione primae ecclesiae christianae, praeter omne consilium aut culpam Apostolorum, hoc accidisse mali putant, quod non omnes, qui a singulis coetibus christianis electi essent, Presbyteri apti etiam fuerint ad docendum; id ipsum autem cavere pro futuro voluisse Apostolum hac lege: quemvis episcopum esse debere διδακτικὸν, (1 Timoth. III,

---

*) Vid. Mosheim's Erklärung der beiden Briefe Pauli an den Timotheum, p. 474. sqq.

**) Vid. ex antiquioribus quidem Theologis Henr. Dodwell dissert. Cyprianica VI. de Presbyteris doctoribus cet., e recentioribus autem Ven. Starkii Geschichte der christlichen Kirche des ersten Iahrhunderts Vol. III, p. 58. Ven. Ziegleri Versuch e. pragmat. Geschichte der kirchlichen Verfassungsformen p. 8. et Ven. Schmidtii (Giss. Theol.) Handbuch der christl. Kirchengeschichte. Vol. I. p. 310.

2.) quo provinciae satisfaciat sibi commissae *). Posteriorem hunc loci 1 Tim. V, 17. sensum et Moshemius admittit **), quanquam ipse aliam sequitur verborum interpretationem. Quod ad priorem sententiam attinet, ei neque ex illo loco 1 Tim. V, 17. neque aliunde (Ephes. IV, 11. Actor. XI, 30. XV, 22.) roboris aliquid accedere equidem censeo, cum per ea, quae §o praecedente ex aliis potissimum locis Paulinis 1 Tim. III, 2. et Tit. I, 9. demonstrata sunt, penitus illa iam sit destructa. Primum enim, si discrimen illud inter Presbyteros regentes et docentes clare exprimere 1 Timoth. V, 17. voluisset Apostolus, sane ille non scripsisset, uti nunc legimus: „Οἱ καλῶς προεστῶτες πρεσβύτεροι διπλῆς τιμῆς ἀξι„ούσθωσαν, μάλιστα οἱ κοπιῶντες ἐν λόγῳ καὶ διδασ„καλίᾳ; sed scribendum ei potius fuisset sic: „Οἱ πρεσβύτεροι, οἱ καλῶς προεστῶτες, διπλῆς τιμῆς „ἀξιούσθωσαν, μάλιστα δὲ οἱ κοπιῶντες λόγῳ καὶ δι„δασκαλίᾳ" — Deinde ex comm. 1., ubi πρεσβύτεροι opponuntur τοῖς νεωτέροις, perinde ac πρεσβύτεραι ταῖς νεωτέραις (v. 2.) planum est, nomen πρεσβυτέρου loco nostro, hoc quidem sententiarum nexu, non esse nomen dignitatis, sed tantum aetatis. Quapropter sensus verborum non esse potest, nisi hic: „Senio„res (oppositos eos iunioribus aetate), qui „provincia regendae civitatis christianae ipsis

---

*) vid. Vitringa de synagoga vetere, p. 493.

**) in commentariis de rebus Christianorum ante Constantinum M. p. 126.

„commissa bene fungantur, maiori stipen-
„dio *) esse ornandos.“ Itaque οἱ πρεσβύτεροι loco nostro nequaquam per se iam denotant Presbyteros, sed coniuncti demum cum addito: προεστῶτες; neque igitur distribuuntur h. l. Presbyteri (dignitate et munere tales) in regentes et docentes, sed πρεσβύτεροι προεστῶτες aequipollent demum illis Presbyteris ecclesiae **). Quare nec audiendus est Moshemius

---

*) Stipendium enim, non honorem solum, h. l. per τιμὴν intelligendum esse, recte observarunt boni interpretes, Grotius, Hammondus, Clericus, Moshemius, Michaelis, quibus accessere recentiores bene multi.

**) Vidit hoc et Danovius, (diss. de episcopis p. 48.) πρεσβυτέρους h. l. proxime non dici de de Presbyteris, sed de Senioribus; sed male τὸ προΐστασθαι per munus quodcunque explicandum putat, quantumuis alienum sit a iure alios gubernandi. Haec enim notio universa (generalis) verbo προΐστασθαι modo competit, si cum Genitivo rei construitur, v. c. Tit. III. 8. 14. προΐστασθαι καλῶν ἔργων (vid. Loesneri observationes ad N. T. e Philone Alexandrino p. 430.) minime vero, si, quod h. l. fit, singulatim ponitur; tum enim praefecturam tantum et gubernationem significat. Neque τῷ προΐστασθαι Rom. XII, 8., (quem quidem locum in rem suam trahere studet Danovius) alia subiecta est sententia. Οἱ καλῶς προεστῶτες πρεσβύτεροι igitur h. l. non sunt, (quod quidem vult Danovius) Senes quaecunque demandata sibi ecclesiastica ministeria diligenter exequentes, sed potius ex usu loquendi graeco communi: Seniores, qui bene tuentur et gubernant rem publicam sibi commissam. —

(de rebus Christianorum ante Constantin. M. p. 127.), qui coll. 1 Thess. V, 12. Presbyteros existimat ab Apostolo distribui in tres classes, in κοπιῶντας (laborantes in proferendis civitatis christianae finibus — de quo accuratius infra!) προϊσαμένους (praefectos ecclesiae) et νουθετοῦντας (docentes et exhortantes). Nam in illo loco 1 Thess. V, 12. τὸ προΐστασθαι et νουθετεῖν tantum ἐπεξήγησις est τοῦ κοπιᾶν: contendebant vires Presbyteri illi et in gubernando et in instituendo coetu christiano; id quod recte aestimare gratoque animo recolere debebant Christiani. Tantum igitur abest, ut variae h. l. Presbyterorum classes significentur, ut cura ecclesiae potius omnibus Presbyteris communis per singulas modo partes describatur, aeque ac altero loco 1 Tim. V, 17. — Neque reliqua denique loca N. T. allata Ephes. IV, 11. Actor. XI, 30. XV, 22. contrariam opinionem corroborare valent. Nam Ephes. IV, 11. non exstat τοὺς δὲ ποιμένας, τοὺς δὲ διδασκάλους, qua demum construendi haec verba ratione ποιμένες (πρεσβύτεροι, ἐπίσκοποι) alii censendi essent, quam διδάσκαλοι; sed manifeste coniunguntur ποιμένες et διδάσκαλοι verbis his: τοὺς δὲ ποιμένας καὶ διδασκάλους; qua ipsa construendi ratione, collata quidem cum praecedentibus τοὺς δὲ — τοὺς δὲ clarum fit, uti iam supra demonstravimus, pro iisdem plane h. l. declarari ποιμένας et διδασκάλους. Ex locis Act. XI, 30. XV. 22. discimus quidem, fuisse ipsis Hierosolymis Presbyteros, atque possemus hoc omnino colligere ex imitatione synagogarum Iudaicarum apud Christianos, praesertim e Iudaeis, etiamsi his locis non esset

traditum. Sed non poterat praesentia Apostolorum, quippe qui ecclesiae Hierosolymitanae non essent adstricti, impedire, quo minus Presbyteri Hierosolymitani, ordinarii illi moderatores ecclesiae, et ipsi docerent. Coetui enim Christianorum Hierosolymitano suffecisse haud videtur institutio Apostolorum, qui huc illuc commearent, essentque aliis permultis districti laboribus; quare haud superflua fuisse nobis videtur institutio a doctoribus ecclesiae ordinariis, hoc vero est a presbyteris, repetenda. Itaque Presbyteros Hierosolymitanos propter praesentiam ipsorum Apostolorum docendi munere exuere nefas est. Etenim aequo possemus iure contendere, destitutum prorsus fuisse presbyteris coetum Hierosolymitanum, quoniam praesentes Apostoli suffecissent illi recte moderando. Falsa autem foret haec conclusio per diserta testimonia illa Actor. XI., 30. et XV., 22.; ergo nec illud admittendum est argumentandi genus, quo ex praesentia Apostolorum colligitur, Presbyteros Hierosolymitanos plane non docuisse.

Restat denique quaestio, ne quid relinquamus intactum, quod ad rem praesentem pertineat, quomodo tandem vexatus ille locus Pauli 1 Timoth. V., 17. recte intelligendus sit, si quidem discrimen inter Presbyteros regentes et docentes eruere inde haud liceat? — Duplex modo, mea quidem sententia, post ea, quae hactenus iam excussa sunt, remanet iusta hunc locum interpretandi ratio, altera Camp. Vitrin-

gae *), Hug. Grotii altera **). Equidem Grotio accedere malim. — Camp. Vitringae sententia haec est: voluisse quidem Apostolum, ut omnes Presbyteri apti essent ad docendum, sed in tenuibus illis primorum coetuum initiis non peraeque omnes Presbyteros ad docendum fuisse idoneos; cooptandos enim haud raro fuisse, cum meliores aptioresque deessent, in Presbyterorum ordinem viros morum quidem severitate, experientia et pietate valde venerabiles, atque hactenus quam maxime idoneos, qui coetum christianum regerent, sed cum ad docendos alios sive natura sive arte admodum fuissent destituti, eos vel rarius docuisse, vel a docendo prorsus abstinuisse, atque aliis Presbyteris, se quidem in docendo et dicendo exercitatioribus, hanc populi christiani institutionem reliquisse, cum ipsi interea aliam muneris Presbyterorum partem diligentius curassent. Hos autem Presbyteros ad docendum aptos, cum accurata et diligenti institutione

---

*) De synagoga vetere, libr. II. cap. 3. p. 493.

**) In libello: de imperio summarum potestatum circa sacra p. 394. sq. ed. 1. Hag. Com. 1652. — sed ed. Amst. 1677. p. 240. sq. — Recte in hoc libello mittit Grotius eam horum verborum explanationem, quam antea in Annotationibus in N. T. ad h. l. dederat, ubi per κοπιῶντας ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ Principes Presbyterorum (Episcopos) intelligi voluit, quorum proprium fuisset munus docendi, adsumtis sibi tamen nonnunquam, ubi opus fuerit, aliis, de Presbyteris plerumque, raro de laicis. — Sed refutata haec sunt omnia §o praeced. —

coetus christiani potiorem explessent muneris sui partem, eo maiori honore (et stipendio) dignos fuisse censendos. — Haec Vitringa. Nec inficiandum est, hanc sententiarum ambiguarum explanationem et simplicitate et facilitate admodum se commendare; neque equidem negauerim, in his religionis et ecclesiae christianae iucunabulis rem ita se habuisse; ambigere modo licet, an Apostolus hanc ipsam rem loco quidem nostro exprimere voluerit, cum tales presbyteri, qui ad docendum tam parum apti fuerint, haud videantur laudem καλῶς προεςώτων πρεσβυτέρων mereri; nisi obiicias, hanc laudem modo pertinere ad eas muneris partes, quas bene egissent hi viri. Sed τὸ προίςασθαι pertinet ad omnes omnino partes Presbyteri, non modo ad singulas, easque a docendo diversas, ergo etiam ad τὸ διδακτικὸν εἶναι, quod cum primis a Presbyteris efflagitavit Apostolus, cap. III., v. 2. — Dubitationi igitur in hac interpretatione verborum semper aliquis saltem locus erit. Transeo igitur ad alteram hunc locum interpretandi rationem, eamque Grotianam. — Redit autem haec fere eo: summam rei, si recte velis locum interpretari, positam esse in emphasi quadam in verbo κοπιᾶν quaerenda. Quicunque munere Presbyteri bene fungatur, maius sane et lautius eidem deberi stipendium, praesertim autem, si non modo doceat omnino, (nam cuique Presbytero hoc datum esse muneris), sed si id agat summa cum animi viriumque intentione (κοπιᾶν ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ). Sed transcribamus potius ipsa verba Grotii, ut et ii lectores, quibus egregius iste libellus non sit ad manus,

plene ac perfecte sententiam viri magni perspicere possint. „Verborum Pauli multas in„terpretationes non incommodas alii attulerunt. „Simplicissima haec est: Omnibus quidem Pres„byteris stipendia deberi, ut qui praesint eccle„siae, hoc est, gregem Dominicum pascant; „sed illis praecipue, qui, omni cura rei fami„liaris neglecta, uni studio Evangelii propa„gandi incumbant, nullique labori parcant. „Non ergo duo ponuntur Presbyterorum gene„ra, sed monstratur, non parem esse omnium „laborem. Agnoscunt omnes, etiam Beza, ver„bo κοπιᾶν non quemvis laborem, sed eum, „qui cum insigni molestia coniunctus sit, de„signari. Itaque Paulus se ait Evangelio ope„ram dedisse, non vulgarem, sed ἐν κόποις; „quibus explicandis addit μοχθὸν, λιμὸν, δίψιν, „ἀγρυπνίας et omnia incommodorum genera. „Christus in epistola ad Ephesinum Episcopum „cum dixisset, novi opera tua, addidit ut ma„ius aliquid, et τὸν κόπον. Paulus etiam ver„bum κοπιάζειν saepe sibi tribuit, deinde etiam „sanctis quibusdam mulieribus, quae huc il„luc, relictis rebus suis, Evangelii caussa dis„cursabant. His ergo Presbyteris, qui nihil „aliud curant praeter Evangelium, eiusque rei „caussa omnibus incommodis se exponunt, plus „aliquanto quam caeteris deberi ratio dictat. „Sic et Paulus τὸ προΐστασθαι et τὸ κοπιᾶν de „iisdem extulit ad Thessalonicenses (V., 12). „Omnis ergo error novorum interpretum in „eo est, quod putent, illud ἐν λόγῳ καὶ διδασκα„λίᾳ pronunciandum ἐμφατικῶς, cum emphasis „sit in voce κοπιῶντας; illa autem ἐν λόγῳ καὶ „διδασκαλίᾳ addita duntaxat explicandae voci

„κοπιᾷν." — Haec verborum interpretatio tam facilis mihi videtur et commoda, ut accedere illi haud dubitem. — Eandem emphasin et Moshemius *) in verbo κοπιᾷν quaerit; sed in explicandis verbis ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ a vulgari ratione discedit, atque λόγον refert ad ἀπίστους, s. Iudaeos et Ethnicos, διδασκαλίαν vero ad πιστοὺς, Christianos ipsos, ut sensus verborum sit: Iis Presbyteris multo lautius deberi stipendium, qui de propaganda inter vicinos Christi ecclesia, proferendisque illius finibus solliciti essent, (En κοπιῶντας ἐν λόγῳ!) atque ipsos coetus curae suae commissos accurate ac summa animi contentione instituerent. (En κοπιῶντας ἐν διδασκαλίᾳ!). — Sed vehementer dubito, Apostolum haec tam sollicite et vero tam obscure his verbis distinxisse. Equidem in explicando hoc loco Paulino fervorem illum doctorum christianorum in proferenda religione christiana et in adducendis ad illam Iudaeis aeque ac Ethnicis excludere nolim; attamen eam praetulerim interpretandi rationem, tanquam faciliorem atque usui loquendi accommodatiorem, qua Apostolus his verbis institutionis christianae adsiduitatem in universum expressisse dicitur. Constat enim, λόγον significare in N. T. doctrinam christianam, et διδασκαλίαν institutionem; λόγος καὶ διδασκαλία vero est i. q. διδασκαλία τοῦ λόγου, institutio doctrinae christianae; itaque κοπιᾷν ἐν λόγῳ καὶ δι-

*) tum in commentario supra laudato ad h. l., tum in commentariis de rebus Christianorum ante Constantin. M. p. 126.

διδασκαλίᾳ hunc habet sensum: adsidue ac diligenter s. indefesso studio alios (sive sint Christiani, sive ad religionem christianam demum adducendi) doctrina christiana imbuere. — Sed satis de hoc loco, negligentius paullo ac fere perfunctorie a recentioribus nonnullis interpretibus, quantum equidem video, excusso. Quare novum hoc indagandi veri sensus periculum non plane supervacaneum fore existimavi. — Examinatis igitur accuratius et vere, nisi me omnia fallunt, refutatis variis opinionibus sententiae nostrae §. IV: propositae obiectis, eo firmius nunc stabit hoc: Presbyteros aetate Apostolorum ad docendum etiam populum, non modo ad eum regendum, fuisse constitutos; eoque facilius erit, praemissis iis, quae hactenus dicta sunt, iudicium de vera origine Episcoporum, et de nova aliqua, docta ea et subtili, super hac re opinione.

§. VI.

Nova et ingeniosa ὑπόθεσις de origine Episcoporum recensetur.

Proposita nuper est a Ven. Planckio, Theologo Goettingensi celeberrimo atque de historia religionis et ecclesiae christianae e paucis meritissimo, nova aliqua historia originis ac primitivae conditionis presbyterorum et episcoporum primae ecclesiae christianae *), quae,

*) In libro egregio: Geschichte der christlich-kirchlichen Gesellschaftsverfassung Vol. I. (1803.) p. 26. sqq.

etsi singulae illius partes tantum non omnes ab aliis viris doctis occupatae iam fuissent et illustratae, non modo ob universam singularum partium coniunctionem et aptam collocationem plane nova censenda est, verum etiam adeo probabilis videtur atque ad reliquam istius temporis historiam accommodata, ut accedere novae huic sententiae Viri summi tam egregie exornatae nullus sim dubitaturus, nisi me hactenus dicta, eaque satis, quod quidem mihi videtur, confirmata retrahant, aliudque suadeant. Remanent tamen haud pauca ex commoda hac nova huius historiae compage, quae in usus meos convertere sub finem huius libelli in exponenda mea ipsius qualicunque de origine Episcoporum sententia et ipsa rei recta ratio et pia Viri celeberrimi observantia iubet. — Primum igitur delineanda est breviter historia illa originis et presbyterorum et episcoporum ex sententia quidem Viri venerandi. — Erant autem ex nova hac opinione primi Presbyteri, aetate quidem Apostolorum, tum praesides tum syndici singulorum coetuum christianorum. Curabant sollicite, tamquam censores morum, ut in ecclesia cuncta fierent κατὰ τάξιν καὶ εὐσχημοσύνην, cavebantque, ne quid detrimenti caperet res publica christiana. Haec presbyterorum provincia enata erat ex imitatione Iudaeorum, quorum presbyteri seu זקנים eodem munere defungerentur. Inde autem intelligi putat Vir venerabilis, primos presbyteros christianos haud sustinuisse personas sacras, ad cultum divinum pertinentes; siquidem et Iudaici presbyteri haud pertinuissent ad sacram, sed ad municipalem constitutionem

gentis Iudaicae. Minime vero omnium Presbyteris munus docendi religionem christianam collatum fuisse, quum institutio populi cuivis tum temporis patuisset, quicunque idoneum se aut excitum ad docendum senserit. Nonnullos quidem existimat presbyteros itidem docuisse, sed nequaqnam muneris officio ad id adactos; alios enim eiusdem muneris viros a docendo se prorsus abstinuisse (1 Tim. V, 17.). Neque ad reliqua sacra, quae forte in coetibus christianorum peragerent, secundum hanc sententiam, primitus erant constituti. Cultus enim externus omnino non obtinuit in prima ecclesia christiana; atque congressus primorum Christianorum, communes preces, agapae, idque genus alia, religiosae quidem mentis, sed non sacri cultus rationem habuerunt. Haec quidem sacra praeiuere forte Presbyteri, cum omnino coetui praeessent, sed nequaquam ex muneris aliqua necessitate, quam dignitas Presbyteri ipsis imposuisset.

Diversa autem omnino erat ab hoc Presbyterorum munere ratio primorum Episcoporum, ab ipsis quidem Apostolis constitutorum, ad quos Timotheus etiam et Titus pertinuisse videntur. Ii enim non modo primi erant coetuum christianorum praesides, verum etiam custodes doctrinae, ac socii et adiutores Apostolorum in propaganda latius ecclesia christiana. Curae inprimis cordique ipsis erat, cuncta ut in ecclesia huic religioni convenienter fierent; qua quidem cura cum prima ecclesia carere haud potuisset, nova haec dignitas e

necessitate potius rei ipsius, quam ex imitatione aliqua Archisynagogorum Iudaicorum prosiliisse censenda est. Praefecti igitur quodam modo fuere hi Episcopi et ipsis Presbyteris non minus quam Diaconis, ideoque ab illis diversi, quamvis una cum Presbyteris ecclesiam rexissent, atque et alia negotia sibi fuissent cum iis communia. De maiori ordinis munerisque Episcoporum praestantia nondum decertabatur: Episcopi quidem aliud sibi graviusque munus commissum esse intellexere, quam Presbyteris, sed principatum nondum adfectarunt. Quo factum est, ut Episcopi et Presbyteri pari loco in primitiva ecclesia haberentur, non abiecto quidem omni utriusque muneris discrimine. Quare et Saec. IV. Aërius, presbyter, haud sine specie paritatem Episcoporum et Presbyterorum contendere poterat, unde acerrima illa lis exorta est, qua Aërio haeretici nota inureretur. Quid quod in ipsa synodo Carthaginiensi a. CCCIIC, decretus est canon (XXXV): „Episcopus in ecclesia et consessu Presbyterorum sublimior sedeat; intra domum vero collegam se Presbyterorum esse cognoscat.“ — Atque quam acriter Hieronymus hanc Episcoporum et Presbyterorum paritatem in commentario in ep. ad Titum adfirmaverit, notum est. — Hactenus Ven. Planckius!

§. VII.

Examinatur haec nova ὑπόθεσις.

Si episcopi ipsa muneris ratione distincti fuissent a Presbyteris, atque ipsi, non Pres-

byteri, ad docendum in prima ecclesia constituti, praeferenda sane foret haec nova de origine Episcoporum sententia reliquis omnibus, quae quidem huc usque tentatae fuerunt; optime enim admissa hac nova rem explicandi ratione cohaerent in historia primae ecclesiae omnia. Sin autem verum est illud, quod per quatuor priores §os disputavimus, Episcopos a Presbyteris haud diversos fuisse aetate Apostolorum (§. II. et III.), atque Presbyteros et ipsos ad docendum fuisse constitutos (§. IV. et V.), ultro corruit tota disputatio Viri Venerandi. Nam in his ipsis vertitur cardo rei; unde simul intelligent lectores, quare hoc quidem ordine dissertatio nostra processerit. Attamen et alia nonnulla in speciosa ista disputatione obvia accuratius nunc sub examen revocare, haud abs re erit. — Cavendum praesertim est, ne Presbyteros Christianorum ultra modum comparemus cum Presbyteris Iudaeorum. Imitabantur quidem Christiani aetate Apostolorum in constituendis sacris ritus ac disciplinam synagogae Iudaicae; sed efflagitavit tamen diversitas utriusque religionis diversitatem quoque institutorum. Nam in religione Iudaica omnia fere redierunt ad cultum Dei externum, in religione contra Christiana omnia spectant ad meliorem hominum institutionem, ad excitandum animum pium, alendamque morum probitatem ac honestatem. Attamen et ipsi זקנים Hebraeorum erant doctores, legum Mosaicarum periti, cum iis de iure respondendum esset; quare si qui constituerentur praefecti synagogae (פרנסים, ממונים), hoc re-

quirebatur potissimum, ut essent תלמידי חכמים; unde intelligitur, cur זקני העם, qui toties in V. T. redeunt, a paraphr. chald. redditi fuerint חכימיא דישראל. Id quod fuse docuerunt Vitringa (de synag. vet. L. III. P. I. c. 2. p. 638. sq. 646. sq.) et Seldenus (de synedriis vet. Hebr. L. I. c. 14.). — Praeterea primi Christiani sola synagogarum Iudaicarum instituta imitabantur, non itidem municipalem Iudaeorum conditionem modumque. Nam cum solius religionis caussa coiissent Christiani, abhorrebant plane prima eorum instituta ab omni rerum civilium ambitione. Quare in litibus civilibus arbitrii modo aequitati inter se locum fecerunt, non iudicii auctoritati. Quamcunque igitur personam in administranda re municipali sustinuerint Presbyteri Iudaeorum, ea certe haud pertinebat ad Christianorum Presbyteros; sed religiosa modo s. sacra eorum persona in moderandis iis rebus, quae ad leges synagogarum spectarent. Etenim cum universa Iudaicarum synagogarum ratio ad cultum Dei externum fuisset conformata, facile intelligimus, Presbyteros, qui has moderarentur synagogas, eatenus dici etiam posse munus aliquod sacrum sustinuisse, non tantum civile in municipiis quidem Iudaeorum. Quibus cum respondissent Presbyteri christiani, equidem non intelligo, cur non sacro iidem munere defuncti dici possint, etiamsi provincia eorum accurate exigatur, (quod quidem haud licet,) ad eam, quam Presbyteri Iudaeorum sustinuere, personam; inprimis cum haud alienae fuissent (quod quidem pars adversa concedit ipsa) ab eorum munere actiones sacrae, v. c. praelege-

re libros sacros, cantum moderari, preces praeire, idque genus alia. Quid sit autem, quod actiones sacrae primorum coetuum christianorum, quibus laudes Dei celebrarentur, v. c. preces solemnes, cantus, agapae, et s. p., ad religionem quidem pertinuerint, nequaquam vero ad cultum Dei externum, equidem si res e communi usu loquendi aestimanda sit, me plane non intelligere fateor, nisi cultum Dei externum velis ad sola sacrificia restringere.

Quod ad primos ecclesiae Episcopos attinet, eosque ex opinione adversae partis a Presbyteris distinctos, nova exoritur rei difficultas vix expedienda. Primum hoc offendit in hac opinione, eos, quibus doctrina christiana potissimum commissa fuerit et exponenda et conservanda, solos adpellatos fuisse episcopos, illis autem, quorum vel maxime esset, ecclesiam moderari, nempe Presbyteris, non proprie accessisse hunc muneris sui iustum titulum. Deinde urget et hoc, invigilasse hos Episcopos ipsis Presbyteris, non modo plebi christianae, et nihilo tamen secius eodem cum iis, nec superiori, loco fuisse habitos, neque adeo se ipsos habuisse dignitate et honore illis superiores. Sed nunquam non superioris honoris gradu collocati iudicabantur ii, qui aliis praeessent, res ab iis gerendas moderarentur, eosque monerent, si secus fecerint, ac deberent. Quidni et Episcopi, si a Presbyteris distincti, iisque adeo praefecti fuissent? In his quidem rebus aptius cum reliqua aevi apostolici historia nectendis melius profecto consuluisse sibi videntur et Pontificii et Ang-

li, Episcopales dicti, qui iure divino Episcopos primum gradum ac ordinem illo iam tempore occupasse contendunt. — Quae si singula pensites, vix adsentias illi quamvis ingeniose exornatae sententiae. Neque vero omnis abiicienda videtur, cum nonnulla in ea insint, quae insigni se veritatis specie commendent, atque haud spernendis antiquae ecclesiae monimentis graviter comprobentur. — Viam haec veri observatio sternit meae ipsius qualicunque sententiae accuratius nunc exponendae. —

§. VIII.

Auctoris sententia de vera episcoporum origine exponitur.

Episcopos quidem aetate Apostolorum haud diversos fuisse a Presbyteris earundem ecclesiarum, utrumque potius nomen saepius in N. T. libris permisceri, supra (§. II.) satis me demonstrasse arbitror. Nec intelligi plane videtur, quo tandem modo posteriores Episcopi successionem ipsorum Apostolorum adiectare potuissent, si peculiaris ordo Episcoporum, isque a Presbyteris longe diversus, primitus iam fuisset ab Apostolis constitutus. Sed si primi Episcopi eiusdem plane dignitatis et muneris fuere cum Presbyteris, nec superiori his loco constituti, facile perspicimus, quid sit, quod posterioris aetatis Episcopi, qui ampliorem ac superiorem Presbyteris locum sibi sumerent, pro successoribus ipsorum Apostolorum, qui tum singulis coetibus christianis, tum ipsis eorum Presbyteris praefuissent eos-

que rexissent, nec primorum tantum Episcoporum, (quippe qui iidem cum Presbyteris fuerant) haberi voluerint. Neque sine ulla idonea caussa Episcopi hoc egisse, quodam potius modo, etsi non universe, Apostolis vere successisse, mea quidem sententia, censendi sunt, quicquid et Theologi nostri hucusque fuerint oblocuti. Nam luculenta adeo prostant antiquae ecclesiae testimonia, supra sub finem §. III. in medium prolata, Iacobum fuisse Episcopum Hierosolymitanum, Timotheum Ephesinum, Titum Cretensem, Ignatium Antiochenum et Polycarpum Smyrnensem, ut, si his quidem testimoniis fidem omnem velis denegare, tibi sane quacunque de re ab antiquis illis scriptoribus christianis relata temere dubitandum sit. Fueruntne igitur vere hi viri Apostolici s. legati Apostolorum Episcopi, iique a Presbyteris diversi? At §. II. demonstratum est, Episcopos et Presbyteros in N. T. libris eodem fuisse loco habitos, nec hos distinguendos ab illis. Nonne autem haec manifeste secum invicem pugnant? Quo igitur modo possunt haec repugnantia inter se conciliari? Hoc quidem paucis nunc tentare, animus est. — In summa rei equidem cum Bensonio *) facio, qui rem acu tetigisse mihi

*) In commentat. de antiquissima civitatis christianae forma, paraphraseon et annatationum in nonnullos N. T. libros Tomo secundo annexa, ed. german. p 307. sqq. — Miror autem, Danovium (in diss. saepius allegata p. 42. sq.) de hac Bensonii sententia, quam ne

videtur; sed plura tamen alia ad hanc quaestionem recte expediendam pertinent, quae non itidem vidit, saltem non persecutus est vir doctissimus. Per ea igitur, quae ille recte quidem monuit, non supervacanea fore, spero, quae nunc in hanc rem dicenda mihi videntur.

Si Iacobus, frater Domini dictus, qui Episcopus Hierosolymitanus fuisse fertur, Iacobus ille minor, s. Alphaei filius, idemque Apostolus, fuit, (quae potior mihi esse videtur sententia) **) eo certe ille sensu, quo posterio-

---

recte quidem l. c. expressit, contemtim adeo loqui, tanquam de coniecturarum aliqua subtilitate in vanum profusa Nam si traditio antiqua christiana, eaque consona, tanti est momenti, ut viri harum rerum peritissimi, v. c. Ven. Planck, novam originis Episcoporum historiam eidem superstruant, operam sane equidem haud perditum iri crediderim, si accurate comparetur, et, si fieri possit, perfecte concilietur illa traditio primae ecclesiae cum iis locis N. T., quae saltem aliam sequuntur loquendi rationem. Nam veri Theologi est, non verba N. T premere, atque graecas modo dicendi formulas ac syllabas aucupari, sed in sensum S. S. altius inquirere, veram ac genuinam historiam primae ecclesiae sollicite rimari, adhibita ubique iusta ἐπικρίσει, obscuris lucem adfundere, et, quae repugnantia videantur, amice componere. —

*) Vid. diss. nostra inaugur. theolog. de Iacobo epistolae eidem adscriptae auctore, Altorf 1787. et Ven. Pottii prolegomena ad epist. Iacobi, ed. 2. Gott. 1799.

ri aetate dicebantur Episcopi, plane non esse poterat Episcopus. Episcopi enim certae sedi affixi erant ac praesidebant coetui Presbyterorum certae cuiusdam ecclesiae; sed Apostoli, qui universae ecclesiae curam gererent, atque huc illuc commearent, certo loco nequaquam esse poterant adstricti, ideoque nec Episcopi dici in sensu vulgari. — Eadem quoque ratio est Timothei et Titi. Timotheus moderabatur quidem ecclesiam Ephesinam, quam diu ibi commoraretur; sed, constituta illa ecclesia, Epheso iterum discessit, atque in alias terras abiit, aliasque curavit ecclesias, ad quas esset a Paulo amandatus. Presbyteri saltem munere haud defunctus est: quod quidem perperam videbatur Seldeno aliisque ex 1 Tim. IV., 14.; nam χειροτονία non erat tum temporis Presbyteris propria. — Idemque valet de Tito, qui in Creta insula idem munus obiit, quod Timotheus Ephesi. Diutius enim non haesit ille in hac insula, quam, quae ipsi demandata essent, perfecisset. — Nihilo tamen secius dicebantur hi una cum Polycarpo ac Ignatio ab antiquissimis ecclesiae doctoribus Episcopi, a quibus posteriores Episcopi suam duxissent originem. Sumere igitur licet, vocabulo ἐπίσκοπος variam subiectam fuisse sententiam. Hoc tamen difficultati rei penitus tollendae non sufficit; sed inquirendum potius est, qua demum ratione fieri potuerit, ut posteriores Episcopi pro successoribus Apostolorum eorumque sociorum haberentur. Cuius quidem rei eam puto rationem facillimam, ipsique rerum gestarum veritati quam maxime accommodatam, quam nunc breviter exponere iuvat.

Distinguere primum liceat ad expediendam rei difficultatem inter Episcopos superiores et inferiores. Quamdiu viverent Apostoli, summam ecclesiarum curam sustinebant ipsi, atque in his eas praecipue earumque presbyteros moderabantur, ubi ad tempus commorari solebant. Ad alias ecclesias amandabant Apostoli laborum socios, Timotheum, Titum, Epaphroditum, reliquos, qui illas melius constituerent, novos presbyteros eligerent, totumque coetum regerent (coll. 1 Tim. V., 1. 19.). Quamdiu igitur Apostoli eorumque legati in una ecclesia haerebant, ipsi eam moderabantur, atque eatenus erant illorum Episcopi, supremi inspectores et praesules ecclesiarum ipsorumque Presbyterorum; etsi hoc nomine in N. T. libris haud insignirentur *). Similes igitur omnino erant Episcopis posterioris aevi, hoc modo discrimine, ut hi Episcopi, qui proprie dicerentur, certae ecclesiae sedi adfixi essent, Apostoli contra, quod muneris ratio postularet, ab una ecclesia ad alteram pergerent, et doctrinae christianae fines per omnes, quas peragrarent, terras proferre studerent. Forsitan et ipso hoc aevo Apostolico ii Apostoli eorumque socii, qui diu in una vel altera ecclesia haesissent, atque tam universae illi ecclesiae, quam eiusdem praesertim presbyteris praefuissent, ἐπίσκοποι in sensu eminentiori ad-

*) Ἐπισκοπὴ enim Act. I., 20. non designat gubernationem, sed munus generatim, uti פקדה Ps. CIX., 8. qui et ipse locus spectatur Act. I., 20.

pellabantur; quamquam huius quidem nominis nulla fit in N. T. mentio. Hoc enim sumto eo facilius saltem explicare possemus, quo iure potuerint antiquissimi scriptores christiani (coll. §. III.) Apóstolos nonnullos, Petrum, Iacobum, Paulique socios Timotheum et Titum, primos quarundam ecclesiarum pronuntiare Episcopos. Re enim ipsa fuere Episcopi harum ecclesiarum, et superiori quidem gradu, quam Presbyteri, quibus ipsis praesiderent, collocati, sed modo extraordinarii, et duntaxat ad tempus illud, per quod in quacunque ecclesia mansissent, neque vero in eo sensu, quo postea Episcopi, iique perpetui, suisque adstricti ecclesiis, usu venerunt. Mansit igitur Presbyteris nomen ac dignitas Episcopi in singulis ecclesiis; regebant enim vere coetum christianum curae ipsorum commissum, etsi ipsis vicissim praeessent Apostoli aut eorum socii, quando hi quidem adfuerint. — Cum suprema illa ecclesiarum gubernatione coniuncta omnino erat institutio populi, ita tamen, ut doctores ordinarii, (διδάσκαλοι, Eph. IV., 11.) haud excluderentur. Hos vero doctores fuisse Presbyteros, in quibus constituendis facultas docendi potissimum esset spectata (1 Timoth. III., 2. Tit. I., 9.), supra (§. IV.) demonstravimus. — Itaque Presbyteri vere fuere, et quidem ordinarii, Episcopi ecclesiarum, quas gubernarent; sed Apostoli eorumque socii superioris erant dignitatis, cum illos ipsos Presbyteros constituerent in ecclesiis, essentque eorundem moderatores. Presbyteri autem, cum ecclesiis suis adfixi fuissent, atque in eodem loco permansissent, κατ᾽ ἐξοχὴν dicti fuerint Episcopi.

Unde patet usus huius nominis in N. T., et apud ipsos posteriores nonnullos doctores ecclesiae; id quod supra §. II. ex pluribus locis docuimus, quibus unicum modo Theodoreti ad Philipp. I., 1. addimus: „Ἐπισκόπους τοὺς πρεσβυτέρους καλεῖ· ἀμφότερα γὰρ εἶχον κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν τὰ ὀνόματα.“ —

Demortuis autem Apostolis eorumque sociis varia fuit ecclesiarum christianarum facies. Aliae contentae erant pristina sua constitutione, qua a presbyteris, h. e. collegio Presbyterorum pari potestate praeditorum ita regerentur, ut unus eorum, qui aetate reliquos superasset, seu Senior, primum locum occuparet, atque, (etsi primus modo inter pares sine ullo principatu) consessui Presbyterorum praesideret, eodem fere modo, ac postea, constitutis iam Episcopis, Archipresbytero haec concederetur προεδρία in Presbyterorum consessu. Sed nimium haud raro, uti fit, sibi arrogavit is, qui primam sedem tenebat; atque indulgebant caeteri eo facilius, quod unumquodque collegium non facile sine aliqua directione firmum esse posse probe intelligerent, viderentque, iudaicum quoque presbyterium suum habere praesidem (ראש הכנסת s. ἀρχισυναγωγόν). Itaque ex ipsa paritate primitiva Presbyterorum nonnullarum ecclesiarum prodiit sensim potior dignitas Episcopi, tamquam praesidis presbyteri. — Sed aliae ecclesiae primitus iam, et deliberato quidem animo, post mortem Apostolorum primas partes et gubernationem ipsius presbyterii uni, vel Seniori presbyterorum, vel etiam alii ex Presbyteris quidem electo, detu-

lisse videntur. Hae enim ecclesiae, peculiari gubernationi ac disciplinae Apostolorum vel aliorum ab iis legatorum adsuetae, non facile carere poterant hac supremae curae provincia. Elegerunt igitur ipsae virum gravem, qui regeret universum coetum ipsosque presbyteros, quam quidem curam antea sustinuisset Timotheus, Titus, alii. Sed peculiarem eumque superiorem ordinem ac principatum nondum obtinuit eiusmodi praesul, nam mansit presbyter; modo praefectus erat reliquis, quorum negotia auctoritate sua moderaretur. Sic tandem hi soli Praefecti Presbyterorum, qui in sustinendae ecclesiae cura summa similes essent Apostolis eorumque legatis, Episcopi κατ' ἐξοχὴν adpellabantur, quamvis ipso Apostolorum tempore soli Presbyteri a suscepto moderamine ecclesiae hoc Episcoporum nomine vulgo insigniti fuissent. Unde simul adparet, quo tandem modo Episcopi pro successoribus Apostolorum et habiti sint et vero haberi cupierint. Largiorem etiam lucem inde accipere poterit controversia de primatu Pontificum Romanorum, qua successorum Petri, qui princeps Apostolorum haberetur; modo his de rebus aequius et minus cupide, — sola historia ecclesiae christianae duce, — iudicare velimus. En igitur aliam originem Episcoporum, qui quasi in locum Apostolorum, certo quidem sensu, successissent. Hinc varia quoque vis et potestas voc. ἐπίσκοπος Saec. II. obtinuit, cum non eodem omnes modo vel potestate constituti essent Episcopi. Quare haud leviter errarunt ab utraque quidem parte, qui uni duntaxat originis Episcoporum illustrandae ra-

tioni obstinate insisterent. — Accessere vero et aliae caussae nascentis novae dignitatis horum praesulum ecclesiarum, eorumque discriminis a Presbyteris, qui antea et ipsi essent et adpellarentur Episcopi. Primo loco hic commemorandus est mos primitiuae ecclesiae synagogas Iudaicas imitandi, ad earumque formam christianam etiam disciplinam componendi. Primus enim Presbyterorum Iudaicorum, qui reliquis praesideret, adpellabatur, quod iam supra monuimus, κατ' ἐξοχὴν Ἀρχισυνάγωγος (ראש הכנסת), etsi hoc nomen reliquis itidem Assessoribus concederetur; sed unus erat ἐπίσκοπος προεστὼς *). Quare non alienum erat a nova civitatis christianae constitutione hunc imitari morem Iudaeorum, praesertim cum nullum fere collegium carere possit tali praesidio. — Commendabatur vero itidem mos ab aliis etiam rebus Christianorum sive secundis sive adversis. Auctis enim admodum coetibus Christianorum, in maioribus praesertim urbibus, augebantur etiam negotia Presbyterorum; quae ut recte distribuerentur inter singulos, ne quid temere

---

*) Male autem Dodwell aliique rem repetierunt ex sacerdotio Iudaeorum, atque compararunt Episcopos cum sacerdote summo Hebraeorum, Presbyteros cum reliquis sacerdotibus, atque Diaconos cum Levitis. Quam quidem opinionem Dodwelli bene iam refutavit Buddeus (in diss laudata). Christiani enim non imitabantur sacrorum Iudaicorum in templo peractorum formam, sed solam synagogarum Iudaicarum rationem, quantum quidem hanc transferre per ipsam religionis christianae indolem liceret.

fieret aut negligenter, opus erat iusto harum rerum moderatore, qui et ipsis Presbyteris praeesset eorumque negotia regeret. Dispertiebantur quoque maiores coetus, quibus nondum datum esset in templis convenire, in plures ecclesiolas, quas singuli moderabantur Presbyteri. Ne vero scissio ecclesiae inde fieret, curabat Episcopus, qui varias illas unius ecclesiae partes in unum cogeret. Mature etiam scissus fuit coetus christianus in varias partes et sectas, praesertim e Iudaeis et Ethnicis, quibus ne tota delaberetur ecclesia, arctiusque potius contineretur, auctoritate praesidis opus erat, qui sollicite caveret, ne schismata ecclesiae latius gliscerent, variasque contra partes ad unitatem ecclesiae revocaret. — Primam hanc presbyteri sedem initio tenebat, quod supra iam docuimus, in plerisque ecclesiis primus quisque Presbyter, s. Senior presbyterii, qui Archipresbyter posthac adpellabatur. Cuius autem vires animi corporisque cum auctis quidem laboribus haud respondissent muneri Episcopi accurate, strenue et alacriter obeundo, praeferebatur tandem electio Episcopi. Et hic primus erat fons illustrioris discriminis Episcoporum a reliquis Presbyteris, et constituendi peculiaris ac superioris quidem eorum ordinis *).

---

*) De variis his caussis nascentis ac subinde auctae dignitatis Praesulum civitatis christianae vide sis I. H. Boehmeri dissertatt. iur. ecclesiast. (diss. VIII ed 2. p. 430 sqq) I E. Chr. Schmidtii Handbuch d. christl. Kirchen-

Hac demum via sensim sensimque ex multis variisque, quae in diversis Christianorum coetibus existerent, caussis exortus est peculiaris ille Episcoporum ordo, isque diversus ab Ordine Presbyterorum eoque superior, donec tandem hierarchica ecclesiae constitutione, variis ea sacerdotum artibus conflata, essentiale adeo, quod vocant, discrimen utriusque ordinis Episcoporum et Presbyterorum, decerneretur. Sic ex mero iure προεδρίας prosiliit tandem singularis ordo et dignitas fere Apostolica, praesertim cum demortuis Apostolis eorumque legatis eminentior aliqua auctoritas, quae his quidem propria fuisset, in eos transiisset presbyteros, qui primum in eorum consessu locum tenerent. Primum enim, docente Hilario (commentar. in 1 Tim. III.) episcopi et presbyteri una ordinatio fuit. Uterque enim sacerdos est, pergit, sed episcopus primus est, ut omnis episcopus presbyter est, non omnis presbyter episcopus; hic enim episcopus est, qui inter presbyteros primus est (primus ergo

---

geschichte T. I. p 315. — 317. — et Ven. Ziegleri Versuch e. pragmat. Geschichte der kirchl. Verfassungsformen p. 10. sqq. — Huc praesertim pertinet illustris locus Hilarii in commentar. ad Ephes. IV. „Primum presbyteri „Episcopi adpellabantur, ut, uno recedente, se„quens ei succederet. Sed quia coeperunt se„quentes Presbyteri indigni inveniri ad prima„tus tenendos, immutata est ratio, prospiciente „concilio, ut non ordo, sed meritum crearet „Episcopum, multorum sacerdotum iudicio con„stitutum, ne indignos temere usurparet, et es„set multis scandalum." —

inter pares). — Sed altiorem hunc gradum super Presbyteros eminentem occupare haud potuissent Episcopi, nisi successionem Apostolorum adfectassent. Quod quo iure egerint, ex iis, quae hactenus dicta sunt, facile, et, uti mihi quidem videtur, aequius ac antea, diiudicari poterit. Hoc saltem certum est, haec omnia acta fuisse, non ex instituto quodam divino, sed mere humano. — Tantum. —

IX.

Programmata II., in quibus examinatur Forbigeri sententia de presbyteris aetate Apostolorum.

Ienae,
MDCCCXI et MDCCCXII.

I. Sectio prior.

Presbyteros primae ecclesiae christianae regendis potissimum coetibus christianis fuisse praefectos, in eo quidem consentiunt omnes; an vero iidem ad docendum etiam populum ab Apostolis constituti fuerint atque ipsa mu-

neris ratione obstricti, magna sane hucusque regnavit inter Theologos, tam antiquiores quam recentiores, dissensio, aliis quidem, iisque potissimum nostratibus, rem affirmantibus, quibus et nos adiungere haud dubitavimus *), aliis vero negantibus, etsi hi ipsi in varias iterum partes abeant. Alii enim, velut Caluinus, Salmasius **), presbyteros in duas digessere classes, regentes alios, hosque laicos, alios docentes, eosque clericos fuisse existimantes, at satis iam confutati a Camp. Vitringa, Grotio et Blondello ***); alii vero, etsi solos presbyteros clericos, non laicos, admittunt, insistunt tamen illi discrimini inter presbyteros docentes et regentes. Quod quidem discrimen

*) In diss. de episcopis primae ecclesiae christianae eorumque origine Ienae cIↃIↃCCCV. Opusc. N. VIII. p. 352 sqq.

**) v. Calvini institutio christ. relig. l. IV. c. 3. §. 8 et c. 4. § 1. Salmasii de foenore trapezit. p. 407. sqq. Hanc sententiam Drusium etiam fouisse in Praeteritis ad Act. XV, 4. contendit cl. Forbiger in libello mox laudando. Sed in universo libro quinto horum Praeteritorum I. Drusii, ex mea quidem illorum editione (Amst. 1632. 4.), qui Drusii annotationes ad Act. Apost continet, nihil huius argumenti legenti mihi occurrit.

***) v. Vitringa de synagoga vetere, libr. II c. 2. et 3 H. Grotius de imperio summarum potestatum circa sacra, c. XI. §. 14. et libell adiunctus Dav. Blondelli de iure plebis in regimine ecclesiastico p. m. 306. sqq. ed. Amst. 1677.

quamquam ita intelligi possit, ut alii presbyteri coetum christianum modo gubernasse, alii modo docuisse statuantur, plerique tamen viri docti, quibus hoc discrimen presbyterorum primae ecclesiae probatur, concedunt, omnes omnino presbyteros moderandae ecclesiae fuisse praefectos, sed nonnullos modo horum presbyterorum, (non omnes) eosque ad docendum idoneos, existimant primitus ad instituendum populum fuisse constitutos; neque igitur institutionem populi christiani pertinuisse ad ipsam muneris presbyterorum rationem et necessitatem. Quam quidem sententiam tuebantur Burmannus, Monachius, Vitringa, Dodwellus, Boehmerus, Michaelis, Starkius, Zieglerus, Forbigerus *), alii. — Atque his potissimum viris doctis, praeter Forbigerum, virum clarissimum, cuius libellus, etsi nobis haud ignotus, tum,

*) Fr. Burmannus in Exercitatt. academ. T. II. p. 63. 236. — Steph. Monachius (Le Moyne) in Notis et Observation in Varia Sacra, p. 35 sq. — Camp. Vitringa de synagoga vetere, l. II. c. 3. — Henr. Dodwell in dissertatt. Cyprian. dissert. IV. — I. H. Boehmer tum in Observatt. ad Petri de Marca dissertatt. de concordia sacerdotii et imperii (Observ. V. ad L. I. c. II. §. 5, tum in dissertatt. iuris eccles. antiqui ad Plin. et Tertull., diss. VII. ed. 2. (diss. VI. ed. 1.) — I. D. Michaelis in paraphr. et annotatt. in epistolas Paulli minores, ad 1 Tim. c. III., 1. et c. V, 17. — I. Aug. Stark in libr. Geschichte der christ. Kirche des ersten Jahrhunderts, Vol. III. p. 58. — W. C. L. Ziegler in libr. Versuch einer prag-

cum scriberemus, ad manus non esset *), opposita ea sunt, quae in dissertatione nostra de episcopis primae ecclesiae §. IV. et V. disseruimus. Facta autem nobis Forbigeriani libelli copia eoque attente perlecto, laetabamur quidem, magna licet vi argumentis Forbigerianis a viris doctis, huius rei iudicibus, statuta, nos non habere, quod a sententia nostra in dissertatione nostra exposita qua summam rei discedamus; occurrere tamen nobis in Forbigeri libello, copiosae et accuratae doctrinae, quae in Viro esset, teste locupletissimo, nonnulla a nobis praetermissa, nec tamen negligenda. Quare nunc animus est, in hacce prolusione academica singula sollicite pensitare, quibus vel plane consentiamus cum viro doctissimo, vel tamen propius, ac videri possit, eidem accedamus, vel denique longius ab eo nobis discedendum sit; quo certe fore speramus, ut sententia nostra de presbyteris, primae ecclesiae doctoribus et pastoribus, l. c. exposita sive firmius corroboretur, sive ac-

---

matischen Geschichte der kirchl. Verfassungsformen p 8. Th. Sam. Forbiger in dissert. I. de muneribus ecclesiasticis aetate Apostolorum, Lips. 1776. p. 14-28.

*) Quare nec excitavimus hunc libellum academ. in dissertat. nostra, pro more nostro, non facile excitandi librum, quem non manibus versemus, quamvis probe sciamus, librum, nec istum inutilem, adesse. Sed moniti a Censore dissertationis nostrae Lipsiensi copiam huius libelli Forbigeriani nobis fieri curavimus.

curatius definiatur. Quo quidem negotio hoc fere ordine defungi nos optime posse existimamus, ut primum, quid ex hoc libello Forbigeriano ad infringendam argumentorum nostrorum vim repeti possit, disquiramus nostramque argumentandi vim ac rationem defendamus; deinde ut, quibus argumentis opposita sententia in hoc libello firmetur, dispiciamus eorumque vim accurate examinemus; denique, quid ad obiectiones nostras contra istam sententiam ibi respondeatur, significemus, atque, quam parum valeant, quae contra dicantur, demonstremus. — Itaque auctarii loco fere habenda sunt, quae nunc ad libellum Forbigerianum collatum quidem cum dissertatione nostra observanda nobis videantur aut monenda. Brevitatem autem, cui in persequendo hoc argumento cummaxime studebimus, ne, quod copiose in dissertatione nostra iam exposuimus, copiosius hoc loco repetamus, nec Forbigeri singula verba huc transcribamus, ipsa huius scriptionis angustia et nobis suadet, et vero lectoribus nostris excusabit. —

Presbyteros etiam ad docendum ab Apostolis institutos fuisse, ideoque ipsa muneris ratione ad id obstrictos, evicimus potissimum *) e N. T. locis, 1 Tim. III, 2. et Tit. I, 9., quae clare demonstrant, Episcopos s. Presbyteros esse debuisse διδακτικοὺς et δυνατοὺς τοῦ παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τ. ὑγιαιν· καὶ τοὺς

*) cf. dissert. nostr. de episcopis primae ecclesiae, §. IV. p. 353.

ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν. Quibus alia etiam accedunt N. T. effata eandem rem confirmantia, v. c. 1 Cor. XII, 28. 29., ubi in recensitis muneribus ecclesiasticis omittuntur ἐπίσκοποι κ. πρεσβύτεροι (sane haud omittendi), at eorum loco nominantur διδάσκαλοι· Eph. IV, 11. recensentur ποιμένες κ. διδάσκαλοι, quo quidem nomine, si facilem sequi velis interpretandi rationem, significatur duplex muneris Presbyterorum ratio et regendi et docendi ecclesiam. Eadem vis esse videtur loci 1 Thess. V. 2., etsi aliam etiam interpretationem admittat; atque eundem in modum Hebr. XIII, 7. τοῖς ἡγουμένοις h. e. presbyteris tribuitur τὸ λαλεῖν τὸν λόγον τοῦ θεοῦ. —

Quibus quidem argumentis cl. Forbiger vim ac robur vario modo adimere conatur. Primum enim observat ad locum Tit. I, 9. **), „se non negare, Paullo necessarium visum es-„se, ut Cretensium Episcopi s. Presbyteri „docendi quoque facultatem haberent; sed ex „adiectis causis (v. 10 — 12.) adparere, hanc „necessitatem derivari ex proprio illarum ec-„clesiarum statu, quae quum abundassent ho-„minibus fraudulentis, impatientibus discipli-„nae ac vanarum opinionum auctoribus, non „potuissent facile in officio contineri, nisi „presbyteri, qui cum auctoritate caeteris prae-„essent, novarum rerum studiosis docendo et „castigando fortiter restitissent. Idemque vale-„re putat Vir doctissimus ad locum 1 Tim.

*) in dissert. laud p. 354.

„III, 2.; praevidisse enim Apostolum (Actor.
„XX, 29. 30.), grassaturos esse lupos rapaces
„in ecclesiam Ephesinam atque extituros, qui
„falsas ac perversas opiniones spargerent hisque
„commentis ecclesiam Ephesinam seducere cu-
„perent, itaque voluisse Paullum, ut, qui in
„posterum munus Presbyteri ambirent, docendi
„etiam facultate essent instructi (διδακτικοί), quo
„fortius his ecclesiae turbatoribus possent resi-
„stere. — At si Cretensibus et Ephesinis Chri-
„stianis opus erat Episcopis s. Presbyteris, qui
„eos docendo adversus Iudaeorum fraudes mu-
„nirent, num propterea caeteris omnibus? etiam
„pacatis coetibus et tranquillis? Etiamsi igi-
„tur plura addantur loca (v. c. 1 Tim. V, 17.
„Eph. IV, 11. Hebr. XIII, 7.), in quibus Pa-
„stores, qui et ipsi doctores fuerint, comme-
„morentur, inde tamen nequaquam effici, om-
„nes omnino Presbyteros ad docendum fuisse
„constitutos." — Concedit igitur Vir doctis-
simus, voluisse Paullum propter caussas Tit.
I, 10—12. et Actor. XX, 29. 30. allatas, ut,
quicunque in Creta ac Ephesi in posterum in
Presbyterium allegerentur, et ipsi ad docen-
dum apti essent. Quid autem, si eaedem cau-
sae in quavis fere ecclesia christiana tempore
Apostolorum obtinuerit? Nonne in omnibus
fere epistolis Paullinis, non modo ad Timo-
theum et Titum, vestigia Pseudapostolorum et
Iudaeorum larvatorum deprehendimus, cum-
maxime in epistolis ad Corinthios et Galatas?
Nonne hi homines fraudulenti diro odio do-
ctrinae christianae ac Apostolorum, Paulli in-
primis, accensi totum orbem Romanum perua-
gabantur, omnemque dabant operam, ut, Apo-

stolis in suspicionem adductis, Christianos, praesertim e Iudaeis, a religione christiana alienarent atque ad sacra Iudaeorum reducerent? Nonne igitur Paullus, Apostolus, quum eadem causa, qua adductus voluit, ut in Creta ac Ephesi omnes presbyteri essent διδακτικοὶ, in omnibus fere coetibus christianis valeret, in iisdem etiam idem decreuisse iure censendus est? Ab eadem enim causa ad eumdem effectum recte concludere licet. Saluum igitur manet, quod in libello nostro, locis illis a nobis adductis innixi, sumsimus: e consilio Paulli omnes presbyteros in singulis ecclesiis ad docendum etiam esse debuisse aptos, adeoque constitutos illos fuisse, non modo moderatores ecclesiarum, verum etiam doctores. — „At non omnes presbyteri vere erant doctores ecclesiae.“ — Nos quidem haud negamus, in istis rei christianae incunabulis non omnes, quos ecclesiae in presbyterium cooptassent, ad docendum et redarguendum fuisse idoneos; sed quum haec incuria ecclesiarum haud leve ipsis damnum adferre videretur, cavere in posterum voluit Apostolus, ne quis constitueretur presbyter, qui non esset ad docendum aptus. Nec infitiamur, posthaec quoque fuisse Presbyteros, qui, neglecta lege Paullina, non docerent, inprimis quum Episcopi e presbyteris electi institutionem populi sibi adsererent. Sed male hoc egerunt Presbyteri et praeter consilium Apostoli, ex quo omnes Presbyteri esse debebant διδακτικοὶ καὶ δυνατοὶ τοῦ παρακαλεῖν κ. ἐλέγχειν. — Porro obiicitur l. c., „peculiarem ordinem doctorum in ecclesia christiana tum nondum fuisse, omnibus enim li-

„cuisse docere, quicunque facultatem habe-
„rent vel studio comparatam vel divinitus con-
„cessam, sive Presbyteri fuerint, sive Diaco-
„ni, sive Laici. Eandem enim apud Iudaeos,
„quorum synagogas imitarentur Christiani, om-
„nibus fuisse docendi libertatem, demonstrante
„Vitringa *), qui facultatem dicendi haberent,
„eundemque morem obtinuisse apud primos
„Christianos, intelligi ex 1 Cor. c. XIV. inte-
„gro **), atque huius moris quasdam velut
„reliquias ex Tertulliano et Eusebio." — Haec
fere omnia concedi possunt, salua nostra sen-
tentia, modo ne aestimemus doctores christia-
nos aevi apostolici ad morem nostri aevi, ne-
que quaeramus in primitivo ecclesiae christia-
nae statu perfectam synagogae Iudaicae ima-
ginem, in quo saepius hallucinatus est cele-
berrimus Vitringa in libro laudato de synago-
ga vetere. Nam cardo rei christianae vertitur
in recta ac crebra institutione et admonitione
populi; cui quum non sufficerent doctores ex-
traordinarii, praesertim quum hi ipsi haud ra-
ro falsas opiniones spargerent atque doctrinam
apostolicam perverterent, decreuit Paullus, Apo-
stolus, ut, qui in posterum crearentur pres-
byteri s. episcopi, et ipsi essent ad docendum

*) de synagoga vetere L. III. P. I. c. 7. p. sqq.

**) Addit cl. Forbiger p. 26. not. 87. locum Iac. III, 1., ubi nihil huius rei occurrit; sed salva res est et omnibus nota; cf. Boehmeri dissertatt. iur. eccles. antiqu. diss. VII. (ex ed. 2.) p. 389. sqq.

apti et idonei, ne unquam in ecclesia christiana atque ipso ordine Presbyterorum deessent viri docti et pii, qui recte docerent atque graviter monerent populum christianum, acerrimeque resisterent istis novarum rerum auctoribus eorumque commenta redarguerent. Ita ex instituto Paulli, Apostoli, natus est e Presbyteris, qui ad regendam potissimum ecclesiam primitus ab ipsis coetibus christianis essent constituti, ordo doctorum christianorum, quorum etiam et cum maxime esset, docere, non solum regere ecclesiam. E sapienti igitur consilio Apostoli omnes presbyteri, ne quid detrimenti caperet res christiana, et ipsi esse debebant doctores ecclesiae ordinarii, qui non modo auctoritate et disciplina, verum etiam doctrina rem christianam strenue tuerentur. —

Praeterea lubenter concedimus, hoc presbyterorum munus docendi e vi formulae ποιμὴν et ποιμαίνειν τ. ἐκκλησίαν in N. T. de presbyteris obviae derivari plane non posse, (quod quidem alii voluere), quippe quae id modo significet, quod in aliis locis (1 Thess. V, 12. 1 Tim. V, 17.) προΐστασθαι dicitur. Quare in hac formula de Pastoribus aevi nostri plane non est cogitandum, sed de solis rectoribus ecclesiae. Quanquam autem sola notione ποιμένος haud comprehenditur notio doctoris, illi tamen ποιμένες primae ecclesiae, seu Presbyteri, e consilio Paulli et ipsi debebant esse doctores ecclesiae. — Denique videamus, quid reliquis argumentis ex locis 1 Cor. XII, 28. 29. Eph. IV, 12. 1 Thess. V, 12. et Ebr. XIII, 7. supra petitis obiiciatur. — „Non διδασκά-

„λους, statuit cl. Forbiger *) ad primum locum „1 Cor. XII, 28. 30., sed κυβερνήσεις paulo in„ferius ab Apostolo commemoratas significare „Presbyteros; διδασκάλους igitur esse alios do„ctores cum προφήταις coniunctos.“ — Non est quidem, quod de loco hoc obscuro, cuius verus sensus vix certo explorari possit, multis decertemus verbis, nec praefracte negare lubet, potuisse per διδασκάλους ab Apostolo innui sive προφήτας sive εὐαγγελίστας, sive aliòs doctores etiam extraordinarios, qui πνεύματι ἁγίῳ ad docendum se impulsos sensissent, quum de muneribus ac charismatibus h. l. agatur. Attamen, quum munus episcopi s. presbyteri ad potiora munera ecclesia pertineat, idque, si sola verba spectes, h. l. omissum videatur, aequo iure licet hos διδασκάλους, quum presbyteri et ipsi διδάσκαλοι esse deberent, statuere fuisse ipsos presbyteros, quorum auctoritas proximum post Apostolos et Prophetas mereatur locum. Atque hunc sensum praeferendum esse docet alter locus Eph. IV, 11., ubi ποιμένες καὶ διδάσκαλοι manifestè significant, consentiente ipso Forbigero, presbyteros, atque eodem nexu, ac h. l. cum ἀποστόλοις et προφήταις redeunt. Minime omnium autem iis accedere possumus, qui κυβερνήσεις loco multo inferiori commemoratas amplioris presbyterorum muneris dignitatem significare putant; inferiorem potius aliquam inspectionem ecclesiasticam, v. c. diaconorum et oeconomorum ecclesiae, hac formula dubia innui persuasum habemus, si modo κυβέρνησις

---

*) l. c. §. IV. p. 16.

significet h. l. gubernationem, nec aliud quidvis potius charisma cum intelligentia et prudentia coniunctum *). Quae si ad aequitatis legem singula probe pensitemus, ad summum possit hoc tandem statui: a neutra parte tenacius inhaerendum esse huic loco dubio, sed gravioribus modo argumentis eum quasi accessionis loco annecti posse. — Quod ad locum Eph. IV, 11. attinet, concedit quidem clar. Forbiger (p. 16.), quod et nos in dissertatione monuimus, quum neque pastores (i. e. rectores) neque doctores seorsim commemorentur (τοὺς δὲ ποιμένας, τοὺς δὲ διδασκάλους), sed utrumque nomen iungatur (τοὺς δὲ ποιμένας καὶ διδασκάλους), unum hominum genus (presbyteros) significari, quod et pastores et doctores complectatur; his autem addit: „Sed „idem etiam facit, ut existimemus, non tam „necessario haec coniuncta fuisse, ut audito „Pastoris nomine statim etiam Doctor cogita„retur.“ — Recte quidem; atque nos ipsi supra concessimus, in nomine ποιμένος, quo presbyteri insigniantur, haud inesse notionem doctoris; sed poterat tamen iis, qui ποιμὴν esset, simul esse διδάσκαλος, id quod h. l. innuitur coniuncto utroque nomine (τοὺς δὲ ποιμένας καὶ διδασκάλους); atque et debuisse presbyte-

*) Voc. κυβέρνησις enim saepius redit in Prouerbiis c. I, 5. XI, 14. XXIV, 6. ubi ebr. תחבלות respondet, atque in glossis explicatur per Φρόνησις, ἐπιστήμη. Vid. Biel nov. thesaur. philolog. in LXX. P. II. ad h. v. et Ernesti gloss. sacr. Hesychii ad h. v.

rum, ex Paulli quidem instituto, doctoris provincia fungi, supra docuimus. — Idemque valet de tertio addito loco 1 Thessal. V. 12., ubi προϊςαμένοι et νουθετοῦντες (praefecti et doctores) tam arcte sibi iunguntur, ut eosdem prorsus esse existimes; Moshemium enim, qui Presbyteros in tres classes distribuit (κοπιῶντας, προϊςαμένους et νουθετοῦντας), audiendum plane non esse, docuimus in dissertat. nostra. — Sed subtilius in contrariam partem disserit clar. Forbiger (l. c. p. 17): Paulum, si illud voluisset [quod nos quidem verbis istis exprimere eum voluisse putamus], scripturum potius fuisse τοὺς κοπιῶντας [ἐν ὑμῖν], τοὺς καὶ προϊςαμένους [ὑμῶν ἐν κυρίῳ], καὶ νουθετοῦντας ὑμᾶς, quum vero non repetito articulo [τοὺς] posuerit τοὺς κοπιῶντ. καὶ προϊςαμ. καὶ νουθετοῦντας, eodem haec valere, ac si distributione ista usus esset εἴτε προϊςαμ. εἴτε νουθετοῦντας. Quod si ita sit, habere nos perspicue duo genera eorum, qui ecclesiae opera sua prosint, rectorum s. presbyterorum alterum, alterum doctorum" — Primum autem ita obiiciendo premere nimis verba Apostoli nobis videtur Vir clarissimus, quippe qui ipse concedit (not. 46.), Apostoli orationem non esse ex diligentissimorum quorumque inter Graecos scriptorum consuetudine iudicandam. Deinde etiamsi concedas, verba Apostoli ita esse intelligenda, ac si ex mente Auctoris distributione usus scripsisset: εἴτε προϊςαμ. εἴτε νουθετοῦντας, nil tamen inde efficitur ex ingenio graecae linguae pro sententia contraria, institutionem populi non fuisse partem officii presbyterorum. Sumta quidem hac verborum structura recte colligitur hoc: τὸ νου-

θετεῖν non fuisse partem officii τῶν προϊσταμένων, qua talium, nam τὸ νουθετεῖν non est pars τοῦ προΐστασθαι; sed non sequitur, hoc νουθετεῖν non fuisse partem officii eorum, qui essent προϊστάμενοι, h. e. presbyterorum, in quibus utrumque, et νουθετεῖν et προΐστασθαι, coniunctum esse poterat. Nam ex idiomate graeco τὸ εἴτε — εἴτε duplicem quoque rationem aut provinciam eorundem hominum, nec necessario variam ac diversam plurium hominum functionem significat *), ut adeo sensus huius commatis hic sit: „Rogo autem vos, ut rationem habeatis „eorum, qui inter vos laborent, sive coetui ve„stro Domini auctoritate praesint, sive cohor„tando vos emendent, cet.“ — Duplex igitur presbyterorum provincia, et regere et docere, his verbis per μερισμὸν descripta esse videtur. — Etiamsi denique largiamur, tum quidem non omnes presbyteros, quoniam docendi facultate carerent, vere fuisse doctores ecclesiae, sed gubernasse modo ecclesiam: omnes tamen e consilio Paulli, qui posthaec eligerentur Presbyteri, ad docendum erant obstricti; atque hoc potissimum est, quod firmiter tenemus. Idemque observandum est de ultimo loco Hebr. XIII, 7. in rem nostram allato, ad quem monet Vir doctissimus (p. 25.), se non repugnare, commemorari in N. T. pastores, qui etiam doctores fuerint, modo omnes tales

---

*) vid. Vigerus de praecipuis graecae dictionis idiotismis, ed. Zeunii (1777.) p. 499. sq et H. Hoogeveen doctr. particular. graecar. ed. Schützii, p. 258 sqq.

fuisse, se negare. Nos contra non negamus, nonnullos tum presbyteros fuisse, qui non docerent, ac ne facultate quidem docendi praediti essent; sed improbavit haec Paullus, ac decrevit, ut in posterum omnes essent διδακτικοί. — Quae quum ita sint, salva manent argumenta a nobis in diss. nostra (§. IV.) prolata ad confirmandam sententiam: Presbyteros primae ecclesiae ex auctoritate apostolica ad docendum non minus quam ad regendam ecclesiam fuisse constitutos. —

Transeamus igitur ad examinanda ea argumenta, quibus cl. Forbiger sententiam nostrae oppositam firmare allaboravit. — Primum videamus de iis, quae a Viro doctissimo in rem suam ex ipsis N. T. libris petuntur **). Praemittitur ab eo ratio haec: „praeter tria „quatuorue loca, quibus vel Episcopi, qui do„cuerint, commemorantur, vel in iis, ut do„cere possint, requiri videatur, ex nullo N. „T. libro posse aliquam sententiam proferri, „qua disertis verbis hae partes Praepositis coe„tuum mandentur.“ — Sed quid opus est sexcentis locis? Nonne plura eaque diserta S. S. effata sufficiunt? Atqui Ebr. XIII, 7. commemorantur ἡγούμενοι, οἵτινες ἐλάλησαν τὸν λόγον τοῦ θεοῦ· ἡγούμενοι autem sunt sine dubio i. q. προϊστάμενοι, h. e. Episcopi s. Presbyteri (Presbyteros autem in N. T. haud differre ab

*) in dissertatio laud. §. VI. et VII. p. 14 — 19.

Episcopis, Vir clarissimus concedit ipse *). Habes igitur locum, quo Presbyteri disertis verbis dicuntur docuisse. Accedunt duo loca supra excitata, tum 1 Timoth. III, 2., ubi in Episcopo requiritur, ut sit διδακτικὸς, tum Tit. I, 9., ex quo Episcopus esse debet ἀντεχόμενος τοῦ κατὰ τὴν διδαχὴν πιστοῦ λόγου, ἵνα δυνατὸς ᾖ καὶ παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ, καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν. In quibus locis quum requiratur in presbyteris facultas docendi, per se patet, ex consilio Apostoli eos etiam debuisse docere. Quorsum enim facultas docendi ab iis requireretur, nisi voluisset Apostolus, ut vere docerent, monerent atque adversarios redarguerent? — Provocat porro Vir doctissimus ad Apocalypsin Ioannis, qua e septem ecclesiarum in Asia proconsulari Praefectis quatuor priores laudentur propter διακονίαν, ὑπομονὴν, κόπον, ἀγάπην, culpentur contra reliqui propter levitatem animi, inconstantiam, negligentiam, iubeanturque omnes providere, circumspicere, perseverare; quod ad doctores proprie pertineat, omnino nihil. — Nonne autem in iis Episcopis, qui laudantur, κόπος, inque iis, qui taxantur, negligentia atque incuria ad eos, qua doctores, aequo iure referri potest, ac ad reliquas provinciae eorum partes? — Aliud argumentum repetit Vir clarissimus a discrimine τῶν διδασκάλων et τῶν προϊσταμένων s. Presbyterorum in recensu charismatum, Rom. XII, 7. 8. — Sed primum dubitare licet, an προϊστάμενοι v. 8. commemorati vere sint

*) l. c. §. V. p. 10—13.

presbyteri s. episcopi, quum coniungantur cum diaconis vel etiam privatis, qui egenis stipem ferant eosque beneficiis exhilarent; quare alii h. l. non male de praefectis inferioris ordinis cogitant, qua de re supra iam monuimus. Ponamus autem, τὸν προϊστάμενον h. l. (v. 8.) vere significare Presbyterum, inde tamen plane non colligere licet, alium prorsus fuisse διδάσκοντα, alium προϊστάμενον. Varia quidem sunt charismata, quae h. l. recensentur, sed eius generis, ut eorum plura in eodem coniuncta esse potuerint; alioquin enim διδάσκοντες etiam et παρακαλοῦντες (v. 7. et 8.) prorsus invicem separandi essent, quod aliis N. T. locis plane repugnaret. Quanquam igitur τὸ διδάσκειν non contineatur in notione τοῦ προΐστασθαι, idem tamen esse poterat ὁ διδάσκων, qui ὁ προϊστάμενος. — Denique (§. VI.) pro sua sententia Vir doctissimus excitat loca 1 Cor. XII, 28. et Eph. IV, 11., quae quam parum hanc opinionem confirment, supra iam docuimus. — Sed cl. Forbiger ipse sensisse videtur, argutius haec quam verius dicta esse; quare ad graviora argumenta ac testimonia, quibus res penitus conficiatur, §. VII. pergit.

Locus princeps N. T., quo omnes hucusque patroni discriminis inter presbyteros docentes et regentes opinionem suam firmare studebant, est 1 Tim. V, 17., quem igitur et Vir doctissimus quam maxime urget. Si enim Paullus h. l. pronunciat, inquit, omnes presbyteros, qui praefectura sua bene fungantur, multo amplioribus donis adficiendos esse, μάλιστα

τοὺς κοπιῶντας ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ: quis non videat, non omnes Presbyteros coetus suos edocuisse religionem? Itaque si Paullus ipse nobis auctor sit, fuisse etiam Presbyteros, qui non docerent, quomodo tandem putemus, omnes Presbyteros fuisse ab Apostolis ad docendum constitutos? — Speciosissimum hoc sane esse argumentum pro contraria sententia, negari nequit; sed tam copiose ac diligenter hunc locum iam tractavimus in dissert. nostra (p. 26 — 32.), ut paucis rem nunc conficere liceat. Breviter igitur primum obseruamus hoc: clare si exprimere voluisset Apostolus discrimen illud inter Presbyteros regentes et docendes, scribendum ei potius fuisset: οἱ πρεσβύτεροι οἱ καλῶς προεστῶτες διπλῆς τιμῆς ἀξιούσθωσαν, μάλιστα δὲ οἱ κοπιῶντες ἐν λόγῳ κ. διδασκαλίᾳ. Deinde πρεσβύτερος h. l. non significare videtur nomen dignitatis, sed aetatis. Opponuntur enim v. 1. οἱ πρεσβύτεροι τοῖς νεωτέροις, perinde ac v. 2. αἱ πρεσβύτεραι ταῖς νεωτέραις. Quare οἱ πρεσβύτεροι h. l. non per se denotant Presbyteros, sed coniuncti demum cum addito προεστῶτες. Itaque exulat h. l. distributio presbyterorum in regentes et docentes; omnes enim Presbyteri (dignitate et munere tales) fuerunt regentes, s. rectores ecclesiarum. Denique κοπιᾷν ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ non modo generatim significat doctoris provincia fungi, sed, quod Grotius, quem sequimur, recte notavit *), ἐμφατικῶς dicitur de impenso labore ac studio doctrina christiana homines imbuendi. Hac enim vi

*) vid. dissertat. nostr. p. 31.

ampliore verbum κοπιᾷν non modo gaudet, si per se (absolute dicunt) spectatur, (quod quidem vult cl. Forbiger in diss. p. 28.), verum etiam si cum aliis iungitur *). Quae quum ita sint, speciosa illa obiectio omni vi ac robore destituitur; tum enim in priori membro commatis non agitur de presbyteris regentibus, sed de presbyteris omnino, qui bene provinciam administrant; atque in posteriori membro sermo non est de doctoribus christianis omnino, sed de iis, qui summa cum animi viriumque intentione et indefesso studio alios doctrina christiana imbuunt. — Sed si vel maxime cl. Forbigero sensum loci ab ipso traditum (in quo constituendo etiam cum Vitringa **) maxime conspirat) concedas, hoc modo inde fluit, fuisse tum temporis Presbyteros, qui facultate sive naturali sive studio comparata prorsus destituti non docerent. An vero hoc ex instituto Apostolorum factum sit, vel ut discrimen esset inter presbyteros regentes et docentes, vel ut saltem, etsi omnes Presbyteri fuissent regentes, non tamen omnes simul essent docentes, ex hoc certe loco colligi plane non potest. Rectius dicitur potius, hoc ipsum, quod non omnes Presbyteri docerent, improbasse Paullum, proptereaque sedulo cavisse, ne Presbyteri in posterum modo rege-

---

*) vid. Ven. Schleusneri Lexicon N. T. sub h. v.

**) vid. dissertat. nostr. p. 29 sq.

rent ecclesiam, verum etiam docerent. — Praeterea multa bene observavit Vir doctissimus (p. 27. 28.) contra Moshemium et Danovium, quae nec nos silentio praeterivimus in diss. nostra *). — Alter, qui a Viro clarissimo excitatur, locus est 1 Thess. V, 12., quo iubeantur Thessalonicenses diligenter colere et plurimi facere τοὺς κοπιῶντας ἐν αὐτοῖς, καὶ προϊσταμένους αὐτῶν ἐν κυρίῳ, καὶ νουθετοῦντας αὐτούς· Hunc locum, aiunt, clarissime docere, duplicem fuisse operam, quae coetui sacro praestari posset, aliam in regendo positam, aliam docendo. — Sed de hoc loco tam copiose a nobis supra dictum est, ut nihil sit, gravioris saltem momenti, quod h. l. addi possit. Ex iis autem, quae iam dicta sunt, satis adparet, hunc locum non minus ad nostras trahi posse partes, quam ad oppositas.

Denique hoc agit Vir clarissimus cum aliis, ut exempla adferat Presbyterorum, qui-

---

*) p. 27. not. 4. et p 31. sq. — Hac occasione velim, ut in diss. hac p. 30. prorsus deleantur, quae incuria fudit, verba haec (lin 24. sq., vel, si mavis, ab enunciato: „Ambigere modo licet“ sqq. inde, lin. 18): „Sed τὸ προΐστασθαι pertinet ad omnes omnino partes Presbyteri, non modo ad singulas, easque a docendo diversas, ergo etiam ad τὸ διδακτικὸν εἶναι, quod cum primis a Presbyteris efflagitavit Apostolus c. III, v. 2.“ — Nam προΐστασθαι singulatim positum praefecturam tantum significare nos monuimus ipsi contra Danovium p. 27. not. 4.) —

bus docendi partes haud impositae fuerint. Nempe ex Act. XV, 4. 6. adparet, Apostolos una cum Presbyteris simul fuisse Hierosolymis; atqui non opus fuisse putant aliis doctoribus, praesentibus ipsis Apostolis; unde sequi, Presbyteros ad regendas modo ecclesias fuisse constitutos. — At non semper aderant Apostoli; atque multi sane coetus erant, in quibus per longa temporis interualla neque Apostolus quisquam neque ullus eorum socius adesset. Quare omnino opus erat doctoribus ecclesiae ordinariis, quum extraordinarii, nimirum Apostoli eorumque socii, nunquam non hinc inde commearent essentque multis aliis districti laboribus; quod iam observatum a nobis est in dissertat. de episcopis (p. 29.) Atque si e praesentia Apostolorum concludere liceat, Hierosolymis aliis haud opus fuisse doctoribus, aequo iure contendere possemus, ecclesiam Hierosolymitanam destitutam omnino fuisse Presbyteris; praesentibus enim Apostolis plane non opus fuisse aliis ecclesiae rectoribus. Falsa autem foret haec conclusio per diserta testimonia illa Actor. XI, 30. et XV, 22.. Ergo nec illa valet conclusio. — Regerit quidem cl. Forbiger (dissert. p. 18.): „Vere eguisse „ecclesiam Hierosolymitanam aliis rectoribus; „nam Apostolos iam dudum negasse, se om„nibus omnino muneribus in ecclesia obeun„dis sufficere, sed ut vacare doctrinae atque „institutioni possent, socios sibi addendos es„se comitesque, qui externarum rerum curam „gererent. Act. VI, 2. 4.“ — Sed nequaquam valet haec responsio. In primis illis ecclesiae Hierosolymitanae initiis plures ibi prae-

sentes erant Apostoli, ut regere omnino possent istam ecclesiam. Deinde in illo loco Actor. VI, 2. 4. non agitur de regimine ecclesiae aliis conferendo, sed de instituendis diaconis ad obeunda minora atque inferiora negotia. Nihilo tamen secius Apostolis adiuncti erant Presbyteri, qui essent ordinarii ecclesiae gubernatores; quare et poterant ordinarii doctores ab Apostolis, se licet praesentibus, constitui. — Denique utitur Vir doctissimus exemplo ecclesiae Ephesinae, in qua Paullus tanta cum adsiduitate docendi officio functus sit (Actor XX, 20 sqq.), ut aliorum doctorum opera in illo coetu haud necessaria fuisse videatur, et tamen eum ecclesiae praeesse iussisse Presbyteros (Act. XX, 17. 28.); hos igitur rectores modo ecclesiae, non doctores fuisse. — Sed ita argumentando non reputasse videtur, Paullum non continuo per integrum triennium Ephesi haesisse, nec tamen interea carere potuisse ecclesiam Ephesinam doctoribus aut rectoribus. Posthaec autem, quum abiturus Apostolus Presbyteros iam constitutos convocasset, eos admonuit, ut quovis modo curam ecclesiae gererent et bene moderandae et vero recte instituendae. — Caeterum lubenter concedimus, quod iam supra monuimus, potiorem Presbyterorum primorum provinciam fuisse, regere ecclesiam, non docere, quum neque idonei haud pauci fuissent ad docendum, nec deessent alii, sive Apostoli eorumque socii, sive prophetae, aliique, qui docerent populum. Sed postea rationes ecclesiae poscere videbantur, ut ordinarii essent ecclesiarum doctores, iique ipsi Presbyteri,

quorum potissimum erat, bene moderari ecclesiam eiusque prospicere commodis. Quare nunc iussit Paullus Apostolus, eos modo in posterum eligi Episcopos s. Presbyteros, qui et ipsi essent ad docendum idonei, 1 Tim. III, 2. Tit. I, 9. — Tantum! — Alia argumenta, quae ad corroborandam opinionem suam diligenter conquisivit cl. Forbiger e Iudaeorum et Christianorum exemplis, aeque ac doctas illius responsiones ad aliorum obiectiones (§. VIII-X.) proxima occasione in posteriori quidem huius libelli sectione accuratius sumus examinaturi.

P. P. ipso die natalibus I. C. sacro MDCCCXI.

II. Sectio posterior.

Presbyteros primae ecclesiae christianae, e consilio quidem Apostolorum, ad docendum etiam populum, non modo regendum, fuisse constitutos in priori huius commentationis sectione idoneis iam argumentis satis evicisse nobis videmur. Sed quo promissis stemus, nec quicquam in libello Forbigeriano relinquamus intactum, quod specie saltem veritatis se commendat: transeamus nunc ad examinanda cl. Forbigeri argumenta ea, quae ad corroborandam sententiam suam nostrae quidem sententiae adversam tam ex Iudaeorum quam ex Christianorum consuetudine repetiit, refutandasque de-

nique responsiones illius ad aliorum obiectiones datas.

Quod ad consuetudinem Iudaeorum et Christianorum attinet, ita argumentatur Vir doctissimus *): „Quodsi inde a seculo quinto „ad secundum retro seculum vestigia exemplo„rum relegentes docendi partes a Presbytero„rum dignitate seiunctas deprehendimus, et „ante Apostolos eodem modo inter Iudaeos „rem se habuisse intelligimus, quidni et in „apostolica ecclesia ita institutum fuisse cre„damus, etiamsi certa rei documenta in libris „sacris non exstent?" Provocat igitur Vir doctissimus primum ad instituta Iudaeorum, inprimisque formam cultus divini in synagogis eorum, quam Christianos primitus imitatos fuisse constet, atque ad habitum τῶν πρεσβυτέρων et ἀρχισυναγωγῶν ebraeorum ad populum literis sacris imbuendum; iam vero ex ipsis N. T. commentariis intelligi, iudaicorum Presbyterorum haud perpetuam fuisse in docendo operam, docendi potius officium ab eorum munere disiunctum; offerri enim legenti frequentissima Christi ipsius et Apostolorum exempla, qui, quodcunque in oppidum venissent, in conventibus Iudaeorum sacris legerent et explicarent libros sacros et de religione verba facerent ad populum, praesentibus et audientibus atque adeo hortantibus synagogarum praefectis, quod profecto fieri potuisse vero non simile sit, si

*) in diss. de muneribus ecclesiasticis aetate Apostolorum p 22.

coetus quisque suis usus esset doctoribus certis statisque, aut si Archisynagogi ipsi hoc munere functi essent. Bene quoque, pergit Vir clarissimus, his convenire, quae de forma cultus in synagogis habiti Deo passim a Philone tradantur: hic enim etsi alicubi referat *), aliquem ex sacerdotibus, si qui forte adessent, aut ex Senioribus particulam sacri codicis praelectam explicasse, ex aliis tamen Philonis locis **) adparere, hoc ita liberum fuisse, ut

*) ap Euseb. Praepar. Evangel. L. VIII. c. 7. (ubi fragmentum Philonis extat de religiosa Mosaicae reipublicae forma). Locus sic habet de sabbato: Τῶν ἱερέων δέ τις ὁ παρὼν, ἢ τῶν γερόντων εἷς ἀναγινώσκει τοὺς ἱεροὺς νόμους αὐτοῖς, καὶ καθ' ἕκαστον ἐξηγεῖται μέχρι σχεδὸν δειλῆς ὀψίας.

**) de Septenario (opp. ed. Francof. p. 1178. ed. Mang. T. I. p. 282.): Ἀναπέπτασαι γοῦν ταῖς ἑβδόμαις μύρια κατὰ πᾶσαν πόλιν διδασκαλεῖα Φρονήσεως — — ἐν οἷς οἱ μὲν ἐν κόσμῳ καθέζονται — — ἀναστὰς δέ τις τῶν ἐμπειροτάτων ὑφηγεῖται τἄριστα καὶ συνοίσοντα — — Porro in libr. quod omnis probus liber sit (ed. Francof. p. 877. et ed. Mang. T. II. p. 458.) de Essaeis narrat (lubet autem hunc locum a cl. Forbigero (p. 20.) contractum huc transferre integrum, quo luculentius adpareat, male eum a Forbigero in rem suam fuisse excitatum): Ἱερὰ γὰρ ἡ ἑβδόμη νενόμισται, καθ' ἣν τῶν ἄλλων ἀπέχονται ἔργων· εἰς ἱεροὺς ἀφικνούμενοι τόπους, οἳ καλοῦνται συναγωγαί, καθ' ἡλικίας ἐν τάξεσιν ὑπὸ πρεσβυτέροις νέοι καθέζονται, μετὰ κόσμου τοῦ προσήκοντος ἔχοντες ἀκροατικῶς· εἶθ' ὁ μὲν τὰς βίβλους ἀναγινώσκει λαβὼν, ἕτερος δὲ τῶν ἐμπειροτάτων ὅσα μὴ γνώριμα παρελθὼν ἀναγι-

nec Seniores tenerentur hanc operam praestare, si noluissent, nec eam facile praestarent, si facultatem idoneam non haberent, nam ut quisque peritissimus fuerit interpretandi, ita maxime hoc in synagogis egisse; nihil autem Philonem narrare de hoc interpretandi officio Rectoribus seu Presbyteris proprio. —

At ita disserendo varia videtur cl. Forbiger inter se permiscuisse probe dignoscenda: — Primum enim probe cauendum est, quod iam in diss. de episcopis primae ecclesiae christianae (p. 36.) monuimus, ne Presbyteros Christianorum ultra modum comparemus cum Presbyteris Iudaeorum. Imitabantur quidem Christiani aetate Apostolorum in constituendis sacris ritus ac disciplinam synagogae Iudaicae; sed efflagitavit tamen diversitas utriusque religionis diversitatem quoque institutorum. Nam in religione Iudaica omnia fere redibant ad cultum Dei externum: in religione contra christiana omnia spectant ad meliorem hominum institutionem, ad excitandum animum pium, alendamque morum probitatem et honestatem. — Deinde probe distinguenda sunt, etsi

---

νώσκει· τὰ γὰρ πλεῖϛα διὰ συμβόλων ἀρχαιοτρόπῳ ζηλώσει παρ᾽ αὐτοῖς φιλοσοφεῖται. — Ultimus profertur locus e libro de vita contemplativa, ubi (ed. Francof. p. 894, et ed. Mang. T. II. p. 476.) de Therapeutis sabbatum feriantibus narratur: παρελθὼν δὲ ὁ πρεσβύτατος καὶ τῶν δογμάτων ἐμπειρότατος διαλέγεται, καθεστῶτι μὲν τῷ βλέμματι, καθεϛώσῃ δὲ τῇ φωνῇ μετὰ λογισμοῦ καὶ φρονήσεως κ. τ. λ. —

in iisdem forte aedibus erant institutae, scholae (בתי מדרש) et synagogae (בתי הכנסת); hae enim destinatae erant publicis usibus, illae doctis disputationibus de rebus sacris atque ad subtilitatem scholae pertinentibus: utrisque forte iidem praeerant presbyteri s. ἀρχισυναγωγοὶ, sed in scholis (בתי מדרש) disserebant ac disputabant doctores Iudaeorum (דרשנים, συζητηταὶ) etsi non Presbyteri; in synagogis autem Presbyteri moderabantur omnia, tam lectionem librorum sacrorum cum consueta παραφράσει, quam orationes sacras et admonitiones populi ab illa distinctas. Ad scholae rationem referenda videntur, quae narrat Philo in locis supra laudatis e libro de Septenario, et quod omnis probus liber sit, de Essaeis; ad synagogae autem consuetudinem pertinent, quae in Eusebii Praeparat. Evangel. e Philone narrantur. Perperam igitur, mea quidem sententia, ex illis Philonis locis illustrare studet cl. Forbiger synagogae Iudaicae rationem. — Denique discernendae sunt, recte monente Campeg. Vitringa *), interpretationes ac paraphrases usitatarum pericoparum (parascharum

---

*) in Archisynagogo (Franequ. 1685.) p. 248. — Atque hac de re omni conferatur inprimis Camp Vitringae liber de synagog. vet. L. III. P. I. c. V. p. 669 — 685. ad illustrandum verbum דרש et מדרש; et de duplici concionum genere in synagogis usitato vid. c. VI. p. 585 — 695; denique de potestate concionandi in synagogis c. VII. p. 696 sqq. — Add. Io. Gottl. Carpzovii adparat. antiquitat. sacr. cod. p. 315 sqq.

et haphtararum) apud Iudaeos (Actor. XIII, 15.), quarum cura mandata esset presbyteris (זקנים) s. ἀρχισυναγωγοῖς, ab illis orationibus ad populum (δημηγορίαις) post peractos ordinarios synagogae ritus habitis atque in eo a nostris concionibus diversis, quod nec semper illae factae fuerint singulis sabbatis, neque in iis potissima pars cultus sacri constiterit. Ad has igitur extraordinarias interpretationes S. S. atque conciones, non ad illas ordinarias pertinent sermones I. C. et Apostolorum in synagogis Iudaeorum habiti. Quare ex his exemplis colligere plane non licet, interpretationes S. S. cum iisque coniunctas admonitiones populi haud pertinuisse ad partes Presbyterorum Iudaicorum. Ipsi potius Iudaeorum זקנים erant doctores legumque Mosaicarum periti, praesertim quum iis de iure etiam respondendum esset. Quamobrem si qui constituerentur praefecti synagogae (פרנסים), hoc requirebatur potissimum, ut essent תלמידי חכמים; unde etiam intelligitur, cur זקני העם, qui toties in V. T. redeunt, a paraphr. chald. redditi fuerint חכימי דישראל. Id quod fuse docuerunt Vitringa et Seldenus *). Vere igitur docuerunt Presbyteri Iudaici in synagogis per singula sabbata; quod et ex allato loco Philonis apud Eusebium (praepar. evangel. VIII. 7.) abunde patet, nec per alia testimonia eiusdem scriptoris, modo recte intelligantur, tollitur,

*) Vitringa de synagog. vetere L. III. P. I. c. 2. p. 636 sq. 646 sq. et Seldenus de synedriis veter. Hebraeor. L. I c. 14.

etsi concedendum sit, presbyteros iudaicos neque semper neque totas pericopas praelegisse ipsos, neque interpretis (מתרגם, תורגמן) vices perpetuo sustinuisse, septem potius pro sanctitate numeri per vices sibi successisse lectores, varii quidem generis atque ordinis, quibus unus additus esset interpres *). Curam tamen gerere debebant Presbyteri quovis die sabbati huius praelectionis et interpretationis parascharum, aliarum vero orationum habendarum non item: lubenter tamen iis, qui ad dicendum surgerent, huius rei veniam dabant, imo eos, quos aptos ad dicendum cognovissent, excitabant, ut verba facerent. Quanquam autem ipsorum Presbyterorum Iudaicorum non erat, quoque die sabbati copiosius ad populum verba facere, tamen nec hoc plane omiserunt, licet non quovis die sabbati repeterent, quum copiosiores huius generis orationes et exhortationes neque ad muneris presbyterorum partes ordinarias pertinerent, neque ad usitatum in synagogis Dei cultum — Alia prorsus ratio erat sacrorum christianorum; Iesu Christi enim et Apostolorum potissimum intererat, ut homines melius instituerentur excitarenturque ad maiorem in dies vitae morumque probitatem, quae novi instituti sanctitate digna esset. Quare presbyterorum christianorum potissimum erat, accurate docere et grauiter monere populum. Quos autem quum animadvertisset Paullus, Apostolus, non peraeque omnes ad

*) vid. Io. Simonis Vorlesungen über die iüdischen Alterthümer (Hal. 1796.) p. 162.

docendum esse idoneos, nec satis prospicere ecclesiae commodis a recta populi institutione inprimis sperandis, grauiter iussit, eos modo in posterum eligi Presbyteros, qui et ipsi apti essent ad docendum, 1 Tim. III, 2. Tit. I, 9. — Itaque nihil efficitur argumentis ab indole Presbyterorum Iudaicorum petitis ad probandam hanc rem: Non omnes presbyteros christianos e consilio quidem Apostolorum ad docendum etiam fuisse constitutos.

Transeamus igitur ad argumentum ex ipsa antiquitate christiana a Forbigero, Viro clariss. *), petitum, unde constet, post Apostolorum tempora satis diu Presbyterorum vel Episcoporum, qui doctores non essent, exempla exstitisse. — Primum monetur, ab ipso quidem Petro, Apostolo, narrare Damasum, vel quisquis auctor sit libri pontificalis, Clementem Romanae ecclesiae Episcopum fuisse constitutum, ut praedicando verbo divino ipse vacaret, caeterarum vero rerum ecclesiasticarum alios dispensatores legeret, ipsumque etiam Apostolum duos alios presbyteros Linum et Cletum (imo Anencletum) ei socios adiunxisse: quae narratio etsi certis careat auctoribus, eam tamen vel propterea non esse plane contemnendam, quod luculenter quaedam et antiquitatis et veritatis signa impressa habere videatur (narrari enim tres uno eodemque tempore unius ecclesiae Episcopos fuisse, id quod abhorreat a recentiori consuetudine;

---

*) dissert. laud. §. VIII. p. 20 sq.

deinde docere nos fortasse posse hanc narrationem, quomodo dissensio veterum scriptorum de successione primorum in ecclesia Romana Episcoporum componi possit). — Deinde, pergit cl. Forbiger, Pastoris (qui Hermae vulgo tribuitur) auctorem, saeculi secundi fere medii scriptorem, disertis verbis doctores ab Episcopis et Diaconis alios commemorare *) (Episcopos autem eum intelligere ex apostolica institutione, qui a Presbyteris diversi non fuissent); et epistolae ad Philippenses scriptorem, qui sub Polycarpi nomine lateat, in longa recensione virtutum et bonorum, quae in Presbyteris desiderentur, omnium docendi vel facultatem vel officium plane omittere **), neque omnino per integram illam epistolam unquam attingere. — Seculo III. exstare perspicua Cypriani loca ***), quibus Presbyteri doctores commemorentur, fuisse igitur alios Pres-

---

*) vid. Hermae Pastor, Vis. III. §. 5. Tom I. ed. Patrum Apostolic. Coteler. p. 80. Verba haec sunt: Lapides quidem illi quadrati et albi — — ii sunt Apostoli et Episcopi et Doctores et Ministri, qui ingressi sunt in clementia Dei, rel.

**) vid. Polycarpi epist. §. 6. Tom. II. ed. Patr. Apost. Coteler. p. 186. et ed. Ittig. p. 378.

***) v. c. epist. XXIV. ubi Cyprianus inquit: „Aut quando cum presbyteris doctoribus lectores diligenter probaremus, optatum inter lectores doctorem audientium constituimus," coll. Dodwelli dissertatt. Cyprian. VI. (Oxon. 1684.) p. 107 sqq.

byteros, qui non docerent; narrasse etiam Dionysium Alexandrinum, se aliquando Presbyteros et doctores ecclesiarum in vicis et villis convocasse *); unde pateat, fuisse etiam in vicis Presbyteros, qui doctores non essent. — Addit cl. Forbiger ex Sec. IV. Chrysostomum, qui tenuioribus inter Presbyteros rerum sacrarum, in quibus manuum opera esset, administrationem relinqui, peritioribus docendi honorificentius servari officium docet **). Nec ad Presbyteros solos haec pertinere contendit Vir doctissimus, sed eandem Episcoporum fuisse rationem, ex quo caeteris Presbyteris praelati ius omne munusque populum docendi ipsi soli sibi vindicassent ***); nam tum quoque inter eos fuisse, qui non docendae sed gubernandae ecclesiae admotos se putarent; unde ortum fuisse videatur genus doctorum, qui Tractatores et διδάσκαλοι vocabantur, et praesente Episcopo, sed tacente, concionari solebant †). —

*) Apud Eusebium (Hist. Eccles. L. VII. c. 24. verba Dionysii Alex. haec sunt: συγκαλέσας τοὺς πρεσβυτέρους καὶ διδασκάλους τῶν ἐν ταῖς κώμαις ἀδελφῶν.

**) vid. Chrysostomus ad I Cor. I., cuius verba haec sunt: Καὶ νῦν τοῖς μὲν ἀφελεστέροις τῶν πρεσβυτέρων τοῦτο (τὸ βαπτίζειν) ἐγχειρίζομεν, τὸν δὲ διδασκαλικὸν λόγον τοῖς σοφωτέροις.

***) Ita Cyprianus (epp. 50. 56. 83.) Episcopis solis hoc tribuit, ut tractent in ecclesia.

†) vid. Claud. Salmasius de foenore trapezitico, p. 418.

Docte quidem ac subtiliter haec dicta sunt a clar. Forbigero; attamen haec omnia concedere facile nos possemus salva nostra sententia hac: Presbyteros ex consilio quidem Apostolorum ad docendum etiam primitus fuisse constitutos; nec quicquam sane efficeretur pro opinione contraria, etiamsi vera essent et indubitata, quaecunque hactenus ex antiquitate christiana depromta protulit Vir doctissimus. Multa enim bene ab Apostolis instituta successu temporis, mutatis quidem sive rebus sive personis, plane immutata fuisse in ecclesia christiana, quis est, qui nesciat? Enimvero quum speciosa admodum Viri doctissimi argumenta ex ipsius dissertatione supra recensita diligentius excutere haud abs re esse videatur, nec pauca gravioris etiam momenti possint contra moneri, accurate ea, etsi breviter, ad illustrandam quidem antiquitatem christianam persequi nunc lubet. — Quod ad narrationem libri pontificalis de Clemente Romano attinet, observandum est, falsum in eo esse auctorem huius libri, quod putet a Petro ipso Clementem Rom. ecclesiae Episcopum constitutum fuisse, ut praedicando verbo divino solus vacaret, duosque alios Presbyteros, ut caeterarum rerum sacrarum curam gererent, eidem adiunctos; falsum etiam esse, quod observat cl. Forbiger, antiquitatem prodere, quod tres uno eodemque tempore unius ecclesiae Episcopi narrentur, idque docere nos forte posse, quomodo dissensio veterum scriptorum de successione primorum in ecclesia Romana Episcoporum componi possit. Recte quidem monet

Vir doctissimus, hanc dissensionem non plane compositam esse a Pagio, Pearsonio et Dodwello; sed ignorasse videtur principem librum Baraterii *) hac de re scriptum, ex quo planum fit, non eodem tempore tres simul ecclesiae Romanae fuisse Episcopos, Clementem, Linum et Cletum; sed Linum fuisse sine dubio primum, atque Clementem successorem Cleti; videri autem Linum et Cletum simul sedisse episcopos, forte qua seniores Presbyteros, vel etiam qua episcopos rurales seu paganos (postea Chorepiscopos dictos). Quare nil inde effici potest neque pro discrimine Presbyterorum docentium et regentium, neque pro mitiori sententia, certe non omnes Presbyteros ad docendum fuisse constitutos, etsi omnes ad gubernandam ecclesiam. — Deinde in loco ex Hermae Pastore excitato per doctores intelligendi sunt, suadente quidem verborum contextu, presbyteri omnino, nec soli presbyteri docentes s. doctores, qui postea vocabantur, quum illo tempore Episcopi iam essent a presbyteris distincti. — Quod Polycarpus, vel is, qui hoc nomine latet, in describendis Presbyterorum virtutibus silentio premit docendi facultatem, huius quidem rei causam, si universam sententiarum seriem accuratius expendis, facile invenies hanc, quod de iis presbyterorum virtutibus christianis agatur, quae omnibus ad imitandum sint proponendae.

*) De successione antiquissima Episcoporum Romanorum inde a Petro usque ad Victorem. Ultraiect. 1740. 4. Cap. II–V.

Quod porro Cyprianus (ep. XXIV.) mentionem facit presbyterorum doctorum, hoc omnino referendum est ad discrimen presbyterorum docentium et non docentium; sed incidit haec epistola in id tempus, quo, inducta iam hierarchia ecclesiastica, episcopi a presbyteris distincti atque superiore loco constituti munus docendi sibi arrogassent, aliisque, sive presbyteris sive aliis, quibus vellent, facultatem ad populum verba faciendi sacrasque literas tractandi darent. Sed nolimus inde cum Dodwello (ad hunc Cypriani locum) exsculpere opinionem hanc, primitus, tempore quidem Apostolorum atque ex eorum consilio ac decreto, iam extitisse hoc discrimen inter Presbyteros docentes et regentes *). — Eodem modo intelligendus est Dionysii Alexandr. locus; nam si premere verba velis atque doctores penitus a Presbyteris secernere, efficeretur hoc, Presbyteros nullos fuisse doctores, quod plane falsum. — Itaque nec ab eo, qui saeculo IVto, docente Chrysostomo, obtinuit, more ecclesiae ad aetatem atque instituta Apostolorum valet conclusio. Novimus enim vel ipsos episcopos, etsi sibi munus docendi vindicassent, posteriori quidem aetate, sive inertes, sive rerum divinarum ignaros atque ab ar-

*) Recte vero monuit Dodwellus ad hunc Cypriani locum (dissert. VI. § VIII. sq. p. 114.), doctores audientium; quorum Cyprianus mentionem facit, fuisse doctores catechumenorum seu catechetas.

te dicendi plane alienos, docendi provinciam ad alios detulisse, qui doctores et a tractandis et explicandis sacris literis Tractatores vocarentur *). — Sed horum nihil pertinet ad aetatem Apostolorum; quare, quae docte exposuit cl. Forbiger de more ecclesiae posteriori, nostram sententiam plane non feriunt. Opponere potius possemus, si res quidem nostra nova indigeret auctoritate, e Sec. II. locum e Iustini M. apologia Ima §. 87. „Καὶ τῇ τοῦ ἡ-„λίου λεγομένῃ ἡμέρᾳ — — τὰ ἀπομνημονεύματα „τῶν Ἀποςόλων, ἢ τὰ συγγράμματα τῶν προφητῶν „ἀναγινώσκεται, μέχρις ἐγχωρεῖ. εἶτα παυσαμένου τοῦ „ἀναγίνωσκοντος, ὁ προεςὼς διὰ λόγου τὴν νου-„θεσίαν καὶ παράκλησιν **) τῆς τῶν καλῶν „τούτων μιμήσεως ποιεῖται." — Ex quo quidem loco clare adparet, ex lege primae ecclesiae post praelectam pericopam evangelicam vel propheticam, ipsum Presbyterum aut Episcopum ad populum verba fecisse atque ad virtutem vitaeque sanctitatem graviter admonuisse.

---

*) Conferatur inprimis de hoc Tractatorum nomine Bernardin. Ferrarius de ritu sacrarum ecclesiae veteris concionum, ed. Graevii (Ultrai. 1692.), p. 8. sqq. Unde simul intelligitur, collatis nimirum locis patrum a Ferrario allegatis, male Semlerum (in scholio ad Baumgartenii breviar. antiquit. christian. §. XXVIII.) Tractatores ad acroamaticos potius doctores referendos esse contra Baumgartenium statuisse. —

**) Ita Grabius pro lectione vulgata προκλῆσιν recte existimat legendum.

Neque valde iuvatur causa cl. Forbigeri, quod §. IX. (p. 23.) separatur a severiori sententia Calvini, Salmasii aliorumque, qui duas classes Presbyterorum a se invicem plane diversas statuunt, docentium alteram, alteram regentium, quod potius cum Burmanno, Monachio, Vitringa, Boehmero, aliis *), contendit, omnes quidem Presbyteros primitus gubernandae ecclesiae fuisse destinatos, non itidem ad docendum ab Apostolis constitutos. Ex ipso enim instituto et consilio Apostolorum omnes Presbyteros etiam docere debuisse, satis iam evicisse nobis videmur, nec ex solis rationibus dogmaticis, v. c. de ministerio verbi divini, ne forte nonnulli Presbyteri primae ecclesiae pastoris munere deturbati videantur, sed argumentis potius exegeticis et historicis in hanc sententiam perducti. Attamen haud diffitemur, non adeo magnum discrimen intercedere nostram inter ac cl. Forbigeri sententiam, quum et ipsi concedamus, plures fuisse aetate Apostolorum ac postea Presbyteros, qui non docerent. In eo modo controversiae cardo vertitur: utrum hoc ex instituto Apostolorum factum sit; an potius ex consilio ac decreto Apostolorum, praesertim Paulli omnes omnino Presbyteri necessitati docendi fuerint adstricti? Solum hoc posterius, multis quidem adducti argumentis supra expositis, contendimus, non autem omnes peraeque Presbyteros primae ecclesiae christianae vere docuisse.

---

*) vid. Sect. prior. huius libelli p. 3. et 4. in notis.

Quae si recte teneas, cum iisque conferas, quae in priori huius libelli sectione a nobis iam observata sunt, facile tibi profecto erit respondere ad argumenta illa, quibus cl. Forbiger sententiam suam contra obiectiones aliorum defendere studet (dissert. §. X. et XI.). — Quod enim Vir doctissimus monet (§. X.) contra nostram loca Paullina Tit. I, 9. et 1 Tim. III, 2. explicandi rationem aeque ac contra peculiarem doctorum ordinem in prima ecclesia christiana ad Iudaicae synagogae rationem conformata, nec non de vi verbi ποιμαίνειν de presbyteris adhibiti, hoc omne a nobis iam occupatum est sub initium sectionis prioris huius libelli. (p. 5—8.), nec est, quod haec a nobis iam dicta hoc quidem loco repetamus vel adeo amplificemus. Idemque valet de argumento §. XI. (p. 27. 28.), ubi cl. Forbiger eam loci in hac controversia facile principis, 1 Timoth. V, 17. explicandi rationem, qua Presbyteri ii, qui simul doceant, maiori stipendio ornandi dicantur, contra παρερμηνείας, quae ipsi quidem videntur, Grotii, Moshemii et Danovii, tueri studet. Sed tam copiose iam tractavimus hunc locum in dissertatione de episcopis primae ecclesiae (p. 26 — 32.), atque iteratis curis, habita quidem obiectionum cl. Forbigeri in hac §. XI. contentarum ratione, in sectione priori (p. 13 sq.) satis eundem excussisse existimamus, ut plura addere aut denuo hoc argumentum recoquere superfluum foret, praesertim quum ad causam nostram plane nihil referat, utram loci interpretationem, Grotii an Vitringae, praeferas. Fac enim, Grotianam h. l. interpretationem, quae τὸ κοπιᾷν ur-

get atque intentius studium intelligendum statuit, non esse veram; praefer cum cl. Forbigero alteram Vitringae, missa Grotiana, nec tamen quicquam adversus nostram de Presbyteris primae ecclesiae sententiam efficies. Concedimus enim, haud paucos fuisse aetate Apostolorum presbyteros, ab ipsis quidem ecclesiis constitutos, qui non docerent; sed hoc improbans Paullus, Apostolus, decrevit, ut in posterum omnes Presbyteri essent διδακτικοὶ propter ψευδαποστόλους et ψευδοδιδασκάλους, ne horum errores et impiae fraudes latius serperent. Quodsi igitur vel maxime largiamur, Paullum loco isto 1 Timoth. V, 17. disserere de Presbyteris, quales tum fuerint (non qua-les esse deberent), omnes quidem regentes, sed non omnes docentes, tamen ex alio loco huius ipsius epistolae, 1 Timoth. III, 2. intelligimus, voluisse ac statuisse Apostolum, ut omnes in posterum Presbyteri ad docendum essent idonei. — Hac igitur via, quae medium quasi tenet inter sententiam vulgarem, omnes Presbyteros vere fuisse doctores ecclesiae nec modo rectores, atque sententiam Vitringae et Forbigeri, utramque rem explicandi rationem probe conciliare possumus, nec obstant nobis, quae cl. Forbiger, docte quidem ac subtiliter, contra vulgarem opinionem, (quam vero in dissertatione nostra de episcopis primae ecclesiae haud recepimus) disputavit, etsi in eius sententiam, pro nostra quidem rem cogitandi ratione, non prorsus descendere nobis liceat.

P. P. ipso Paschatos die MDCCCXII.

X.

Programmata IV.

Novarum curarum in locum Paullinum, II Cor. V, 14—21.

Ienae,
MDCCCV — MDCCCVII.

Particula I.

Recolentibus nobis, Cives, per hos dies memoriam Iesu Christi, Servatoris Optimi, ad vivos reversi, hoc potissimum datum esse existimemus, ut recta quaque sentiendi ac vivendi ratione dignos nos reddamus percipiendis e morte ac resurrectione I. C. fructibus uberrimis. Quae dum nobiscum reputamus, facile nostram subit mentem sententia Paullina *): Christianos non sibimet ipsis vivere debere, sed Ei potius, qui pro iis mortuus sit ac resurrexerit. Ansam nobis praebet haec loci Paullini reminiscentia universi nexus sententiarum Apostoli, quae a commate decimo quarto capitis quinti posterioris epistolae ad Corinthios ad finem usque huius capitis pergunt, copiosius illustrandi, sensusque ipsius harum sententiarum accuratius indagandi atque con-

*) 2 Corinth. V, 15.

stituendi. Quamquam enim Noesseltus *), Vir venerabilis, hanc locum docte ac subtiliter, pro more suo, ita iam illustravit, ut ei in summa rei accedere nulli dubitemus: tanta Ille tamen brevitate in explicando hoc loco difficillimo usus est, missis plerumque aliorum interpretandi modis eorumque causis, ut novis, iisque uberioribus, curis omnino locum reliquisse videatur. Quem quidem laborem hoc fere modo subire animus est, ut nunc in primis gravissimi loci Paullini commatibus (XIV et XV.) subsistamus accuratius enodandis fusiusque illustrandis, reliquis commatibus ad finem usque capitis proximae occasioni servatis.

Paullus Apostolus in antecedentibus huius capitis Vti commatibus caussas aperuit, quae in instituenda vitae ratione ipsum impellerent; hoc enim, inquit, agere se potissimum, ut Deo probetur (v. 9.) atque coetui christiano et placeat et prosit (v. 11. 12.); quaecunque igitur agat, referre se ad honorem Dei atque ad usus ecclesiae christianae (v. 13.). Mirifice autem se confirmatum fatetur Apostolus in hac sentiendi agendique ratione praeclaro amoris Iesu Christi in homines, diram adeo mortem pro iis perpessi, exemplo **) (v. 14.). — Ver-

*) vid. Io. Aug. Noesselti opuscul. ad interpretationem sacrar. scripturarum fascicul. II. comment. VIII. p. 185 sqq.

**) Copiosius nexum sententiarum Paullinarum, longius quidem eundem repetitum, persequutus est S. V. Noesselt, l. c.

ba Apostoli haec sunt: Ἡ γὰρ ἀγάπη τοῦ Χριστοῦ συνέχει ὑμᾶς, κρίναντας τοῦτο, ὅτι εἰ *) εἷς ὑπὲρ πάντων ἀπέθανεν, ἄρα οἱ πάντες ἀπέθανον. Καὶ ὑπὲρ πάντων ἀπέθανεν, ἵνα οἱ ζῶντες μηκέτι ἑαυτοῖς ζῶσιν, ἀλλὰ τῷ ὑπὲρ αὐτῶν ἀποθανόντι καὶ ἐγερθέντι. — Apostolus quum ἀγάπην τοῦ Χριστοῦ laudat, quo se ad fervidum Dei hominumque studium vehementer excitatum sentiat, per eam nequaquam intelligit (quae minus recta fuit Grotii et Hammondi aliorumque opinio) suum ipsius in Christum amorem, sed Christi potius in homines amorem, quo ductus

---

*) Haec vocula εἰ deest in permultis magnae auctoritatis codd. B. C. (ex emend.) D. (a prim. man.) E. F. G. et in 14 aliis iunioribus ap. Wetsten., nec non in nonnullis codd. Mosqu. ap. Matthaei, aeque in pluribus Vaticanis ap. Birch; omittunt itidem nonnullae verss. antiqu. et Patrr. prob. Millio (proleg. p. 71. col. 1. ed. Kuester.) sed repugnante Whitbyo (in exam. var. lect. Io. Millii, ed. Havercamp. 1724. p. 261.) — Si copiam et gravitatem horum testium, è variis quidem familiis, spectes, eliminanda foret e textu haec vocula εἰ, inprimis quum ex hac omissione prodeat lectio quidem difficilior, sed sensu eadem haud destituta. Retinendam tamen eam suadent aliae rationes haud spernendae, tam externae ex testimonio aliorum codd. inprimis cod. Alex., verss. antiqu. et Patrum repetitae, quam internae potissimum. Haec enim particula EI ante EIς omitti facile errore oculorum poterat a librariis. Aptiorem denique orationi contextae esse hanc lectionem vulgarem, nemo non videt. Parum autem ad rem pertinent, quae Cel. Matthaei ad explicandam huius voculae omissionem affert.

pro iis omnibus mortuus sit; id quod proxima verba: εἰς ὑπὲρ πάντων ἀπέθανε, clare docent. — Hoc plane singulare Christi in homines studium, inquit Apostolus, tenet nos (me, Paullum) et urget *), nempe: ut simili Dei hominumque feramur amore) — κρίνοντας τοῦτο — Pro varia vocis τοῦτο connexione sive cum antecedentibus sive cum subsequentibus varium quoque τὸ κρίνειν hoc quidem loco admittit sensum. Sunt enim, qui (praeeunte Ven. Noesselto, l. c.) τοῦτο ad praecedentia referant, hoc quidem modo: „Namque „amor Christi urget nos ita statuentes, h. e. „ut hoc capiamus consilium, illud videlicet v. „9. expressum, recte agendo nos probandi „Domino.“ Iure quidem suo utuntur hi interpretes ita vertendo haec verba, eaque coniungendo cum antecedentibus, atque universam Apostoli sententiam his verbis claudendo. Nam κρίνειν non semper est iudicare; certe, si velis ita reddere, saepe est eo sensu, quo iudicare Latinis dicitur, ut censere, pro eo, quod quis decernit aut constituit, ut Actor. XXVII, 1. 1 Cor. II, 2. — Sed male rem suam agere videntur hi interpretes, cum verba κρίνοντας τοῦτο ad remotius illud comma novum referunt, melius forte sibi consulturi, si vel universe cum praecedentibus haec verba

---

*) Inter plures verbi συνέχειν significatus (quos videsis in Schleusneri Lexic. Nov. Test. sub. h. v.) solum hunc: Tenere, Urgere, Impellere, h. l. admittendum esse, universa orationis συνάφεια efflagitat.

coniungerent, vel cum proxime antecedente commate 13: Εἴτε γὰρ ἐξέστημεν, θεῷ· εἴτε σωφρονοῦμεν, ὑμῖν. — Verum enim vero quum Apostolus sub initium huius commatis insigni amoris Christi exemplo acriter se ad studium Dei hominumque incensum profiteatur, atque Iesum expressis verbis, iisque proxime sequentibus, doceat hunc amorem moriendo pro hominibus luculenter comprobasse: multo sane aptius atque ad universam sententiarum Paullinarum connexionem accommodatius pristino more haec verba κρίνοντας τοῦτο cum proxime subsequente sententia: ὅτι εἰ εἷς ὑπὲρ πάντων ἀπέθανε, sic coniunguntur, ut sensus eorum hic sit: „Singularis Christi amor in homines „nos impellit, ita censentes: si unus iste pro „omnibus mortuus est, rel.“ *). Ex priori, eaque recentiore, verborum constructione sequens ὅτι vertendum est Nam; e nostra vero, eaque vulgari, nexum sententiarum constituendi ratione hoc ὅτι reddendum est Quod. — Proxima sententia: εἰ εἷς ὑπὲρ πάντων ἀπέθανε, parum habet difficultatis. — Particulam εἰ, si, h. l. esse i. q. quum, quoniam, velut Matth. XXII. 45., dubio caret. Unus ille, Christus, h. l. pro omnibus sc. hominibus, qui v. 19.

*) Egregie sensum verborum ex hac sententiarum connexione Ven. Stolz in eleganti sua versione ita expressit: „Und dazu fühle ich mich durch die Liebe Christi gedrungen; denn ich denke so: Da Einer für alle gestorben ist, so sollen nun auch alle ihrer Selbstsucht entsterben.

τοῦ κόσμου nomine redeunt, mortuus esse dicitur, non quidem eo sensu, ut omnes omnino homines vere capiant fructus mortis Iesu salutaris, sed ut possint omnes, sine discrimine gentium, hos fructus percipere, si velint, dignosque se iis reddant recte agendo. — Nec denique licet, quod quidem antiquiores fecere interpretes tantum non omnes, ὑπὲρ πάντων reddere loco omnium, ut ipsa hac formula satisfactio Christi vicaria exprimatur. Nam ὑπὲρ, etsi nonnunquam sit i. q. ἀντὶ, per se tamen significare, hoc quidem sententiarum nexu, duntaxat in commodum alterius, inter omnes constat; atque ex ipsa rei descriptae natura atque indole demum intelligitur, quale commodum alterius hac loquendi formula involvatur.

Eo maiori autem difficultate premitur, vel potius vario demum interpretum ingenio implicatur sequens Apostoli sententia: ἄρα οἱ πάντες ἀπέθανον. Nam non tantum quaeritur, quid haec verba per se significent, verum etiam, idque potissimum, quo nexu haec cohaereant cum iis, quae proxime praecedunt: εἰ εἷς ὑπὲρ πάντων ἀπέθανε, quive sensus sententiae consequentis ex hoc ipso nexu cum antecedente resultet. — Facile quidem eruitur sententia aliqua universa hisce verbis subiecta, difficilius autem definitus sensus Apostoli, isque accurate circumscriptus. — Universa sententia sine dubio haec est: „Si unus ille pro „omnibus mortuus est, profecto hi omnes ip„si mortui esse censendi sunt.“ Verbum ἀπέθανον igitur logice h. l., ut saepius, intelligen-

dum esse, adparet. Grammatice, hoc quidem sententiarum nexu, verba aliter reddi non possunt. Sed de eo ipso maxime quaeritur ac disceptatur: Quonam sensu omnes propter mortem Christi mortui esse ipsi censendi sint, atque tales ab Apostolo enuntientur? Qua quidem quaestione solvenda tres potissimum vias plane diversas ingredi videmus interpretes: Nonnulli enim haec verba ita reddunt: „Si unus pro omnibus mortuus est, hi omnes „sane ipsi mortui, seu νεκροὶ h. e. morti (sive „naturali, sive morali) obnoxii esse declaran„tur.“ — Alii, iique plerique, interpretes hunc verbis sensum clare inesse existimant: „Si unus pro omnibus mortuus est, hoc pro„fecto perinde est, ac si omnes mortui es„sent, h. e. moriendo poenas peccatorum luis„sent.“ — Alii denique, pauci illi quidem, sed optimae notae interpretes hunc verbis sensum subiiciunt: „Si unus pro omnibus mor„tuus est, hi sane omnes mortui (sensu aliquo „morali) censendi sunt, h. e. mori debent si„bi ipsis sensuumque suorum desideriis.“ Triplicem hanc verba Apostoli interpretandi viam ab ipsa graecae linguae, novi praesertim foederis librorum, ratione et indole admitti, utique negari nequit *); sed hoc potissimum

*) Viderint igitur alii, quo iure Ven. Schulz. (Theol. Giss.) tam certo asseverare potuerit (in libro: Pauli zweiter Brief an die Korinther, herausg. u. erklärt — Hal. 1785. p. 62.): „Die dogmatische Vorstellung von dem Stell„vertretenden des Todes Iesu ist hier so deut-

quaeritur: quaenam trium harum sententias Paullinas explicandi viarum reliquis sit praeferenda, tamquam aptior, usui loquendi Apostoli atque ipsi orationis nexui atque consequentiae accommodatior? Accuratius igitur iam disquiramus singulas.

Prima interpretandi via antiquioribus interpretibus est propria, qui vero et ipsi in diversas partes abeunt. Nonnulli, veluti Erasmus (in paraphras. N. T. ad h. l.) Vatablus, Beza, ita vertunt: Si Christus pro omnibus mortuus est, inde adparet, s. hoc est indicio, omnes esse morti obnoxios, seu morte dignos, (Alias enim Christo non opus fuisset morte pro iis subeunda.) — Alii, v. c. Hammond, (Paraphr. N. T. ed. Clerici, ad h. l.), intelligi volunt mortem moralem, sententiam Apostoli hunc in modum circumscribentes: „Inde colligimus, omnes homines esse peccatores (moraliter ἀποθανόντας s. νεκρούς) et prolapsos in „exitialem conditionem, nisi quid fiat, quo ex „illa liberentur.“ — Alii denique, v. c. Menochius, per θάνατον h. l. poenas intelligunt, sententiamque Apostoli hanc esse existimant: Ex morte I. C. intelligi, omnes homines poenas meruisse. — Horum interpretandi modorum primus sane est facillimus, si verba per se spectes; sic enim referretur mors naturalis

„lich und stark gesagt, dafs sich durchaus keine andere Vorstellungsart an diese Stelle „pafst, wofern man nicht den Schriftsteller „Nonsens sagen lassen will.“

Iesu Christi ad mortem, cui omnes homines, pro quibus Christus esset mortuus, obnoxii fuissent. Minus autem commendatur haec interpretandi ratio, (si diversa quidem cogitetur ab illa, quam altera, eaque vulgaris, interpretum classis praecipit) ab ipsa rei veritate, quum morte I. C. nequaquam sublata esset mors naturalis reliquorum hominum, quos peraeque omnes tristis eadem moriendi sors manet; neque efficitur quidquam in contrariam partem artificiis veterum Theologorum sive exegeticis sive dogmaticis. Neque favet huic interpretandi rationi arcta connexio huius commatis 14. cum proxime sequente v. 15., qui longe aliud mortis genus Christianis subeundum innuit, quam mortem naturalem. — Reliqua vero duo interpretandi genera supra enumerata nimis sunt quaesita, quam quae possint nobis probari, si in interpretando id potissimum sectemur, quod simplex sit et apertum, nec contortum vel ab arte petitum.

Transeamus igitur ad alteram classem interpretum, qui, veluti inter ipsos recentiores Theologos Moshemius, Baumgartenius, Moldenhaverus, Zachariae, Schulzius, reliqui, ipse denique Semlerus et Doederlinus, hanc volunt verbis subiectam esse sententiam: „Si Christus pro omnibus mortuus est, hoc profecto „perinde est, ac si hi omnes mortui essent, „luissentque moriendo peccatorum suorum poenas.“ Itaque hi interpretes sententiam Apostoli inprimisque verbum ἀπέθανον non modo logice accipiunt: „omnes homines mortem subiisse censendos esse,“ verum etiam mor-

tem cogitant tamquam poenam peccatorum, quam luere homines ipsi debuissent, quam vero Christus, pro iis eorumque loco, crucis supplicio adfectus, esset perpessus. Quem sensum quum hi interpretes his Apostoli verbis statuunt, profecto haud intelligunt mortem naturalem, sed supplicium, quod quum Christus pro hominibus, eorumque loco in se suscepisset, hoc sane perinde esse, ac si ipsi homines omnes hocce supplicio fuissent adfecti, eoque promeritas peccatorum suorum poenas luissent. Hoc igitur sententiarum nexu voc. ὑπὲρ manifesto idem valere existimant hi Theologi ac ἀντὶ, atque clare inesse in hoc loco Paullino doctrinam de satisfactione I. C. vicaria, Deo morte sua violenta loco generis humani praestita, tanquam luculentissimo summi Iesu Christi in homines amoris argumento. — Provocant ad confirmandum hunc verborum sensum tum ad loca parallela, praesertim Rom. V, 6. sqq. tum ad ultima huius ipsius capitis commata 18-21., e quibus locis non tantum potestas voc. ὑπὲρ loco ἀντὶ, verum etiam ipsa doctrina de satisfactione I. C. vicaria clare adpareat; quibus quum locus noster accurate respondeat, idem etiam argumentum in eodem contineri; inde denique v. 15. colligi porisma aliquod, quo doctrina de vi mortis I. C. salutari ad emendandam vitam fingendosque melius mores christianos conferatur. — Sed nec in illo loco Rom. V, 6. sqq. dogma vulgare de satisfactione I. C. vicaria contineri persuasum habemus; id quod alio tempore uberius sumus exposituri. Idemque de argumento ul-

timae capitis nostri sectionis v. 18 - 21. nobis videmur lectoribus nostris in continuando hocce libello academico persuasuri. Neque in utroque loco praepositioni ὑπὲρ notio τοῦ ἀντὶ subesse videtur praeter v. 20. huius ipsius capitis, at in alia longe sententiarum vi ac connexione. Nec denique in segmento proxime sequente 15., nostro quidem sensu, continetur merum porisma aliquod ex comm. 14. collectum, sed uberior ipsius argumenti huius commatis explicatio. Atque voc. τοῦτο, quum formula κρίνοντας τοῦτο per ea, quae supra a nobis sunt exposita, non ad antecedentem, sed consequentem orationem Paullinam sit referenda, ad ea potius, quae ex praeclaro amoris Christi exemplo ad confirmandum Apostolum in persequendo consilio se totum Deo hominibusque dicandi, consequantur, spectare videtur, quam ad describendum amorem Christi ipsum.

Quae quum pensitemus singula, non possumus non tertiae interpretum classi nos adiungere, quorum sententia una cum eiusdem rationibus et caussis uberius nunc est exponenda. — Sensum autem verborum hi interpretes, ad quos praeter antiquiores Calvinum, Grotium, Conr. Vorstium, e recentioribus Ven. Noesseltus potissimum et, qui ei accessit, Ven. Rosenmüllerus, Ven. Loefflerus, Ven. Stolzius, aliique pertinent, constituunt hunc: „Quum „unus ille — Christus — pro omnibus mor„tuus sit, hi et ipsi omnes mori debent, nem„pe sibi sensuumque suorum desideriis (τῇ σαρκὶ).“ Itaque his verbis: ἄρα οἱ πάντες ἀπέ-

θανον, non significat Apostolus, quid per mortem I. C. sint vel facti fuerint hi omnes, sed quid propter mortem I. C. esse debeant. Quum Christus in commodum eorum mortuus sit, mori et ipsi debent sibi suoque arbitrio, atque valedicere commodis suis aut libidinibus. Actum igitur h. l. dicitur, ut saepius, pro officio, aut eo, quod debetur. (Cf. Glassii Philol. sacr. ed. Dath. Tom. I. p. 199.). Debent omnes mori peccato, eique mortuos se censere. In eundem plane sensum praecipit Apostolus Rom. VI, 11. Οὕτω καὶ ὑμεῖς λογίζεσθε ἑαυτοὺς νεκροὺς μὲν τῇ ἁμαρτίᾳ, ζῶντας δὲ τῷ Θεῷ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Egregie enim segmentum universum Rom. VI, 1 - 11. locum nostrum illustrat. Pari ratione Petrus ep. I. v. 1. lectores suos adhortatur: Χριστοῦ οὖν παθόντος ὑπὲρ ἡμῶν σαρκὶ, καὶ ὑμεῖς τὴν αὐτὴν ἔννοιαν ὁπλίσασθε. Itaque Christi adseclis non licet sibi ipsis vivere nec sensuum regi imperio, sed decet eos gloriae Dei et Christi vivere, eorumque inservire commodis, pro quibus I. C. mortuus est. — Sequitur igitur Apostolus hoc enuntiato amphiboliam aliquam saepius in N. T. libris obviam: quemadmodum Christus (sensu quidem proprio et physico) mortuus est pro aliis; ita et nos mori debemus (sensu improprio et morali) pro aliis, atque emortuos quasi (νεκροὺς) nobis ipsis nos reputare, ut aliorum maxime studiis pro viribus inserviamus. — Commendatur potissimum haec loci nostri interpretatio arctissima illius connexione cum proximo sequente versu, quippe qui uberiorem horum verborum: ἄρα οἱ πάντες ἀπέθανον, expli-

cationem continet, eundemque eorum sensum moralem clare demonstrat. — Ita enim Paullus pergit: Καὶ ὑπὲρ πάντων ἀπέθανεν, ἵνα οἱ ζῶντες μηκέτι ἑαυτοῖς ζῶσιν, ἀλλὰ τῷ ὑπὲρ αὐτῶν ἀποθανόντι καὶ ἐγερθέντι. Quibus verbis quum Apostolus diserte doceat, eo consilio Christum pro omnibus mortuum esse, ut ii non sibi ipsis vivant suoque ingenio indulgeant, sed ei potius vivant, totosque se addicant, imo devoveant, qui pro eis mortuus sit ac resurrexerit, explicat ipse, quo sensu velit accipi verba praeced. comm. ἄρα οἱ πάντες ἀπέθανον. Particula enim καὶ, quam recte Grotius h. l. Latinorum Nam respondere statuit, arcte nectit hoc comma 15. cum proxime antecedente segmento. Itaque ἀποθνήσκειν v. 14. idem est, quod v. 15. μηκέτι ἑαυτοῖς ζῆν, sibi quasi emori aliisque vivere, non suum sequi arbitrium, sed Christi, non ad suam ipsius voluntatem, sed ad consilium Christi eiusque honorem referre omnia *). — Neque praetereundum est acumen in oppositis ζῆν et ἀποθανεῖν: etsi vivant (ζῶντες) **) hi adseclae Christi, tamen

*) „Notanda est expositio, inquit Calvinus ad h. „l., Mori nobis, esse Christo vivere; aut si „velis plenius, Renuntiare nobis, ut Christo „vivamus. Nam ideo nos redemit Christus, ut „nos in potestate sua haberet, tanquam pro„prium peculium. Unde sequitur, nos amplius „non esse nostri iuris." —

**) Quare non opus est, cum nonnullis S. S. interpretibus, iis quidem clarissimis, Erasmo, Beza, Lockio, Moshemio, Zachariae, aliisque

mortui sunt (ἀπέθανον) — sibi ipsis, dum vivant, emortui. Clarius quidem elucesceret, haud diffitemur, haec disiunctio, atque apertior foret verus sententiae illius: ἄρα οἱ πάντες ἀπέθανον, sensus, adiunctum si haberet verbum ἀπέθανον Dativum ἑαυτοῖς; sed careret tum sententia grato illo acumine, atque suppleri facile potest omissum illud ἑαυτοῖς verbo ἀπέθανον adiungendum ex proxime sequente commate, antecedenti arctissime iuncto. Sciens igitur prudensque Apostolus sententiam obscurius paullo expressisse videtur, ut grata aliqua negligentia maius orationi accederet decus, emergeretque quasi ex obscuritate sententiae novum orationis lumen. Quibus observatis munita satis ab omni quidem parte nobis videtur ea, quam supra commendavimus, obscurioris loci interpretatio.

Ne tamen quicquam praetermittere videamur, quod aliqua veri specie huic interpretandi rationi possit obverti, eam haud negamus, nisi recte capiatur, magna sermonis difficultate laborare atque primis iustae interpretationis regulis manifeste repugnare videri. Eidem enim verbi ἀποθνήσκειν formae (in aor. 2.) in duobus enuntiatis, quae proxime sese excipiunt, (εἰ εἷς ὑπὲρ πάντων ἀπέθανεν, ἄρα οἱ πάντες ἀπέθανον·)

---

in hoc verbo ζῆν, hoc quidem loco, spiritualem aliquam vitam Iesu Christi beneficio hominibus concessam quaerere, vel cum Ven. Schulzio ex hebraico sermone repetitam felicitatis notionem huic verbo ζῆν h. l. tribuere.

ex hac sententias istas Paullinas interpretandi ratione diversa plane notio tribui videtur. Etenim prius ἀπέθανε recte quidem intelligitur proprie de facto aliquo, nempe supplicio Christi; posterius autem ἀπέθανον explicatur de officio, quod ab iis, pro quibus Christus mortem subierit, praestandum sit, ut et ipsi mori debeant, improprie quidem, nempe sibi ipsis suisque commodis et libidinibus. Quantum notionum eidem verbi eiusdem formae annexarum in arctissima sententiarum connexione discrimen! Quo tandem pacto tam arbitraria interpretandi ratio possit excusari, aut cum regulis hermeneuticis conciliari? — Sed salua res est. Nam et ex prima et altera harum sententiarum interpretatione non eadem retinetur in utroque enuntiato eiusdem verbi eiusdemque adeo illius formae notio: prius enim ἀπέθανε recte quidem intelligitur, aeque ac in nostra sensus notatione, de facto aliquo, morte Iesu Christi; sed posterius ἀπέθανον in altero enuntiato logice sumitur, ideoque nequaquam de eo, quod vere factum sit, sed de eo duntaxat, quod factum esse cogitandum et censendum sit. Neque nos aliter sententiam Apostoli, si eam quidem universe spectes, informamus; nam et ipsi verba Apostoli ita red dimus: „Si unus ille, Christus, pro omnibus mortuus est, omnes hi et ipsi mortui censendi sunt *). Discrimen tantum in eo est: quo

*) Recte igitur Ven. C. Chr. Flatt (in libro: Philosophisch-exegetische Untersuchungen über die Lehre von der Versöhnung Gottes mit den

modo, quaque de caussa propter mortem Christi omnes eius adseclae mortui esse censendi sint. In definiendo hoc modo abeunt demum interpretes in varias partes. Plerique reliqui primae vel secundae classis interpretes intelligunt mortem naturalem seu proprie talem, quam meruisse vel subiisse omnes homines censendi sint; nos autem intelligimus mortem improprie talem, sensu quidem morali, quo quisque propter mortem Christi sibi quasi emori debeat, solique Christo vivere, qui pro eo mortuus sit. Atque ita interpretantes iure sane utimur nostro, nec quicquam committimus, quod alienum sit ab usu sacrarum literarum, vel a legibus interpretandi. Nam saepius committi in epistolis Paullinis, in ea-

---

Menschen, P. II. p. 184.) verba ita reddit: „Wenn einer statt aller gestorben ist, so sind „sie alle als gestorben anzusehen — und der „wahre Christ ist wirklich in so fern todt, in „so fern er als solcher allen Rücksichten auf „das Aeussere entsagt hat." — Atque in nota subiecta uberius haec atque accuratius in hunc modum illustrat: „Der Sinn ist also dieser: Es ist ja eine einleuchtende Wahrheit: Wenn Einer für alle stirbt, so sind alle als gestorben anzusehen. Eben so verhält es sich in Hinsicht auf Christum. Alle Christen sind als gestorben mit Christo zu betrachten — in welchem Sinn? Diefs bestimmt das vorhergehende und nachfolgende — in so fern nemlich der Tod Christi ein Bestimmungsgrund für sie ist, τῇ σαρκὶ, d. h. allem, was sich nicht auf christliche Vollkommenheit bezieht, zu entsagen. —

dem quidem orationis serie, mortem Christi propriam cum impropria, quae nobis ipsis, ut Christum referamus, subeunda sit, v. c. Rom. VI, 3 sqq., inter omnes constat. — Sed aliud praeterea moveri posset dubium hoc: Οἱ πάντες, pro quibus Christus mortuus est, sine dubio sunt omnes homines, qui κόσμου nomine comprehenduntur v. 19.; ad eosdem igitur homines omnino omnes spectat illa sententia: ἄρα οἱ πάντες ἀπέθανον. Sed οἱ ζῶντες, v. 15., qui non sibi, sed Christo vivere debent, sunt ipsi adseclae Christi, nequaquam vero homines omnes. Unde sequi videtur, quum de aliis prorsus hominibus v. 15. agatur quam v. 14., nec illustrari posse comma 14.-ex proxime sequente segmento, sed v. 14. referendum potius esse ad omnes homines, quos ex vulgari quidem huius commatis interpretatione, Christus cruenta morte a poenis peccatorum ita redemisset, ut illi in iudicio divino hoc ipsum supplicium pro redimendis peccatis subiisse censerentur. — Verum enimvero οἱ ζῶντες v. 15. non minus indefinite dicuntur, ac illi πάντες v. 14., ut aeque late patere videatur eorum notio, in arctissima praesertim sententiarum in utroque commate connexione, etsi ex ipsa rei descriptae natura intelligatur, non agi h. l. de omnibus omnino hominibus, sed de iis modo, qui doctrinam christianam amplexi sint. Facile autem te expedies hac sententiarum difficultate, modo reputes, Apostolum, hoc quidem loco non minus ac in aliis multis, firmiter persuasum ponere hoc, omnes homines h. e. Ethnicos pariter ac Iudaeos, admissuros esse sensim doctrinam christianam, omnes igitur

hos homines Apostolum firma hac spe ductum ita cogitare atque describere, ac si iam essent sectatores Christi. Quam Apostoli persuasionem si ad hunc ipsum locum transferas, bene in utroque commate cohaerere singula atque inter se conspirare, ex nostra etiam interpretandi ratione, facile intelliges. Denique nec hac in caussa praetermittendum est illud, ex ipsa vulgari opinione et loci nostri interpretatione meritum Christi morte cruenta partum non salutare esse, nisi iis, qui fide illud amplectantur. Quare difficultas illa nostrae loci interpretationi ex notione τῶν πάντων supra obiecta vel vulgarem illum verborum sensum aeque premere censenda est, nisi iis, quae supra de more loquendi Paullino obseruavimus, tollatur. Nihil igitur obstat, quo minus eam sensum loci nostri constituendi rationem, quam tertia interpretum classis sequitur, quamque universa sententiarum Paullinarum connexio tantopere commendat, firmiter teneamus. —

Incidit tandem quaestio, breviter nunc a nobis diiudicanda: utrum formula ὑπὲρ αὐτῶν in ultima sententia v. 15. (ἀλλὰ τῷ ὑπὲρ αὐτῶν ἀποθανόντι καὶ ἐγερθέντι) solum ad ἀποθανόντι referenda sit, an simul ad ἐγερθέντι? — Qui formulam ὑπὲρ πάντων ἀποθανεῖν ad satisfactionem Christi vicariam conferre solent, non possunt non τό: ὑπὲρ πάντων, ad solum ἀποθανεῖν adstringere, quum Christus dici plane non possit loco nostro resurrexisse. Atque licet omnino per linguae rationem formulam ὑπὲρ αὐτῶν sic ab illo ἐγερθέντι cohibere. Nec est, quod Sociniani ex arcta connexione verborum

ἀποθανόντι καὶ ἐγερθέντι formulam ὑπὲρ πάντων significare loco nostro plane non posse, tamquam certum exploratumque colligant. — Sed rectius omnino agimus atque universam haec verba construendi rationem multo reddimus faciliorem, si formulam ὑπὲρ πάντων ad utrumque, ἀποθανόντι et ἐγερθέντι, referimus. Id quod ex nostra locum interpretandi ratione fieri potest facillime; Christus enim in commodum ac salutem hominum non modo mortuus est, verum et resurrexit. Imo hoc requirit, ait Conr. Vorstius ad h. l., ratio hypozeugmatis; nam, quicquid Christus nostra caussa fecit, id pro nobis fecisse recte dicitur. — Male autem rem agere videntur, qui, velut b. Zachariae *), etsi τὸ ὑπὲρ πάντων ad utrumque, ἀποθανόντι et ἐγερθέντι, referant, eidem tamen voc. ὑπὲρ diversam plane in utraque formula sententiam subiiciunt, sensu verborum constituto hoc: qui loco nostro mortuus est et in commodum nostrum resurrexit. In eadem enim verborum constructione eadem etiam retinenda est formulae notio, ubi de interpretatione verborum agitur; etsi lubenter concedamus, in explicandis rebus ipsis eandem formulam pro varia rerum ipsarum natura ac indole vario posse modo accuratius definiri ac circumscribi.

Hactenus disputatis quem evicerimus ver-

*) Is enim sententiam Paullinam in παραφράσει epp. ad Corinthios sic circumscripsit: „der an „ihrer Statt gestorben, und ihnen zum Besten „vom Tode wieder auferwecket ist." —

borum Apostoli in utroque commate XIV et XV. sensum, breviter nunc complecti lubet liberiori hac eiusdem declaratione: Christi enim in homines amor urget nos atque impellit ita argumentantes: si unus in salutem omnium mortuus sit, hos sane omnes mortuos sibi suoque arbitrio censendos esse. Est enim Ille pro omnibus eo consilio mortuus, ut quisque dum vivit, non sibi vivat, sed Ei, qui pro ipsorum salute mortuus est rediitque in vitam *). — Sedulo haec et Vos, perpendite, Cives, atque ita vitae rationes componite, ut non Vobis vivatis Vestroque arbitrio, sed addicatis Vos potius totos Servatori Optimo, qui ad usus humanos mortem subiit violentam et vero resurrexit. Sic recte agendo moresque vestros ad leges doctrinae christianae componendo Vos ipsi Deo hominibusque probabitis. Amplam huius rei opportunitatem suppeditabit pia Iesu Christi redivivi memoria per hos dies festos nobis sancte recolenda. Quod si feceritis, nec

---

*) Addimus egregiam Ven. Stolzii huius segmenti versionem vernaculam (ed. VI. 1804.), quae nostrae latinae accurate respondet. „Dazu fühle ich mich durch die Liebe Christi gedrungen, denn ich denke so: Da einer für alle gestorben ist, so sollen nun auch alle ihrer Selbstsucht entsterben; eben darum ist Er ja für alle gestorben, damit während seines ganzen Lebens keiner hinfort sich selbst lebe, sondern dem, der für alle starb und in das Leben zurückkehrte."

deerunt Vobis vitae ad sanctitatis legem compositae fructus uberrimi.

P. P. ipso Paschatos die. A. R. S. cIↄIↄcccv.

P a r t i c u l a I I.

In programmate Paschali huius anni verborum Apostoli in posterioris ep. ad Corinthios cap. V. commatibus XIV et XV sensum evicisse nobis videmur hunc: „Christi enim in „homines amor urget nos atque impellit ita „argumentantes: si unus in salutem omnium „mortuus sit, hos sane omnes mortuos sibi „suoque arbitrio censendos esse. Est enim Ille pro omnibus eo consilio mortuus, ut quis„que dum vivit, non sibi vivat, sed Ei, qui „pro ipsorum salute mortuus est rediitque in „vitam.“ — Pergit nunc Apostolus (v. XVI. et XVII.) e textu vulgari: Ὥςε ἡμεῖς ἀπὸ τοῦ νῦν οὐδένα οἴδαμεν κατὰ σάρκα· εἰ δὲ καὶ ἐγνώκαμεν κατὰ σάρκα Χριςὸν, ἀλλὰ νῦν οὐκ ἔτι γινώσκομεν. Ὥςε εἴ τις ἐν Χριςῷ, καινὴ κτίσις· τὰ ἀρχαῖα παρῆλθεν, ἰδοὺ, γέγονε καινὰ τὰ πάντα. —

In quo quidem verborum textu omnes antiquiores testes, si quas varietatis minutias exceperis, uno fere ore consentiunt, praeterquam quod gravissimi sane testes ultima verba ΤΑ ΠΑΝΤΑ plane omittunt, aliis, sed levioris

auctoritatis, haec verba ante καινὰ ponentibus. Alii contra, latini potissimum et graeco-latini, ultimis v. 16. verbis: οὐκ ἔτι γινώσκομεν addunt κατὰ σάρκα. — Quae posterior quidem lectionis varietas nullius plane momenti esse videtur, quum facile adpareat, unde haec accessio ortum duxerit. Recensionem enim occidentalem, ad quam omnes isti codices D. a pr. man. E. F. G., qui κατὰ σάρκα v. 16., annectunt, scatere additamentis varii generis constat. Manasse autem videtur haec glossa primitus, ni fallimur, ad marginem allita ex verbis proxime antecedentibus: εἰ δὲ καὶ ἐγνώκαμεν κατὰ σάρκα Χριστὸν, atque sub finem commatis repetita fuisse, ubi hac quidem repetitione sane non opus erat exprimenda, quae ex ipsa orationis serie iam satis intelligeretur. — Sed altioris indaginis est prior lectionis varietas, qua ultima verba v. 17. τὰ πάντα post γέγονε καινὰ e textu eliminantur. Omittunt enim haec verba optimi quique et praestantissimi codd. utriusque recensionis, tam Alexandrinae, B. *) C, quam occidentalis, D. a prim. man. F. G. **) Cod. Alex. autem h. l. hiat (desunt enim tria folia post voc. γεγραμμένον c. IV, 18 — XII, 7. init.). In cod. Vindob. (Lambec.) 34. (ap. Griesb. 67.) teste Birchio punctis haec verba notantur. — Accedit auctoritas antiquissimarum versionum, Copticae, Aethiopicae, Italae, nec non Patrum graeco-

---

*) Vid. Birch var. lect. ad h. l.

**) Vid. Wetsten. et Griesb. ad h. l.

rum latinorumque, Clem. Alex. Cyrilli, Greg. Nyss. Tertulliani et Augustini (ap. Wetsten. ad h. l.) — Consentiunt igitur gravissimi et antiquissimi testes critici in omittendis his verbis. „Atque abiicienda plane nobis foret universa doctrina de variis N. T. recensionibus a Griesbachio, Viro Venerabili, subtilissime efformata atque multiplici observatione critica firmissime munita, nisi tanti consensus utriusque recensionis antiquissimae auctoritatem hoc in loco sequi vellemus. — Accedit alia observatio critica, quae et ipsa haec verba damnat. Transposita nimirum videmus haec verba τὰ πάντα ante καινὰ in codd. 2. 4. 17. 26. 46. (ap. Wetst. et Griesb., nec non in codd. Mosqu. c. f. d. k. m. 9. (ap. Matthaei), atque in ed. Syr. Vulg. Athan. Cyr. Theodoret. Hesych. in caten. Theophylact., unde haec lectio transiit in ed. Complut. Plantin. et Genev. test. Wetstenio ad h. l. Quae verborum traiectio tantum abest, ut iis fidem faciat, ut ea potius valde reddat suspecta. Observatio enim critica abunde docet, eas lectiones, quae in nonnullis codd. locum mutant, in aliis autem, iisque antiquis, plane desunt, esse spurias. Nam rationem glossematis tum prae se fert talis lectio, quae primitus margini adscripta deinde in ipsum textum irrepsit, vario quidem loco, pro arbitrio librariorum. In aliis quidem locis, ubi in uno modo cod. vel altero verba transponuntur, nec in aliis praestantioribus libris prorsus desunt, talis verborum traiectio, probe scimus, nil nisi incuriam librariorum demonstrat; sed in hoc loco, ut in aliis similibus, per ea, quae supra docuimus,

alia sunt omnia. — Pertinere igitur videntur haec verba τὰ πάντα ad iuniorem recensionem Constantinopolitanam; id quod e consensu codd. Mosqu. adparet. In hac demum recensione haec verba antea forsitan ad marginem huius vel illius libri allita in textum fuere recepta, sed vario loco, in aliis quidem apographis ante καινὰ, in aliis vero post καινὰ: ad illam familiam pertinent codd. Mosqu., ad hanc ii codd., quibus textus receptus originem debet. — Itaque evicta nobis videtur per has rationes externas, quas vocant, horum verborum νοθεία, nec tanti aestimare possumus rationes internas, quae ad vindicanda textui graeco verba ista excogitari forte queant. Nunquam enim rationes quaecunque internae, quae duntaxat, quomodo aliquid fieri potuerit, probabili ratione docent, auctoritate superare possunt rationes externas, quae, quid vere sit vel factum fuerit, idoneis testimoniis efficiunt.

Nec desunt aliae rationes internae pro exterminandis his verbis et plures et graviores iis, quae pro retinendis iisdem adduci queant. Nam si sumas, transmissa fuisse a librariis haec ultima verba v. 17. τὰ πάντα propter proxime sequentia verba v. 18. τὰ δὲ πάντα: hoc quidem fieri potuisse concedimus in uno vel altero codice; idem autem vere accidisse in omnibus, qui ad nos venere, codd. utriusque quidem recensionis et praestantissimis et antiquissimis, qui in aliis locis in alias haud raro partes abeant, nec ad eandem familiam pertineant, etsi nonnulli eodem recensionis vinculo inter se coniuncti sint; idem por-

ro accidisse in omnibus iis codd., ex quibus antiquissimae versiones confectae fuerant, vel antiquissimi doctores ecclesiae per varia quidem saecula hunc locum excitaverant, hoc sane nobis persuadere plané non possumus. — Contra vero quum lectoribus nonnullis post γέγονε καινὰ deesse aliquid videretur, facile hoc ii supplere poterant ex proxime sequentibus verbis v. 18. (τὰ δὲ πάντα κ. τ. λ) unde resultaret lectio nostra recepta. Sed hanc ipsam ob causam omissio illa verborum τὰ πάντα tanquam lectio brevior, obscurior et difficilior praeferendà est lectioni verbosiori, planiori et faciliori, inprimis quum antiquissimorum testium consensu confirmetur. — Quae quum ita sint, non possumus non omissionem verborum τὰ πάντα a Criticis tantum non omnibus hucusque contemtam lectioni receptae longe praeferre, atque Millio adstipulari, qui in Prolegg. ad ed. critic. N. T. p. 1290. recte ad h. l. monuit: τὰ πάντα vix puto esse ipsius Apostoli. Quis ista praetermiserit?" Male igitur Dan. Whitby in Examine Var. Lect. Io. Millii hunc carpsit, pessime autem vindicare lectionem istam studuit auctoritate Cod. Alex., qui tamen h. l. hiat, et versionum omnium, quarum antiquissimae tamen et praestantissimae Coptica, Aethiopica, Itala haec verba omittunt. — Tantum de recte constituendo textu verborum Apostoli (v. XVI. et XVII.). Nunc ad eruendum verum et nexum et sensum harum sententiarum Paullinarum, quas supra excitavimus, nos accingamus.

In quo enodando loci difficillimi sensu

quum vel acutissimi quique et doctissimi interpretes aut ipsi haereant, aut in diversas plane partes ita discedant, ut vix te his interpretum tricis expedias habeasque, quod firmiter teneas, satius profecto erit, liberum servare iudicium, omnia ex solo usu loquendi et aperto sententiarum Paullinarum nexu aestimare, idque tandem unice sequi, quod singulis rerum verborumque momentis rite perpensis veri sit simillimum. Tum demum poteris et alias hunc locum impeditum explanandi vias rectius iudicare. Vocula ὥστε docet, hunc versum XVI. arcte cohaerere cum proxime praecedente, atque aliam nunc sententiam colligi ex illa: quum Christus pro omnibus mortuus sit, nos ipsos debere non nobis vivere nostroque arbitrio, sed Ei, qui pro nobis mortuus sit ac resurrexerit." — Quare, pergit Apostolus v. XVI., ab hoc inde tempore neminem aestimamus e tenuibus opinionibus Iudaeorum, atque, etiamsi olim de Messia ex opinionibus Iudaicis iudicassem, nunc tamen de eo non amplius tenuiter adeo statuo. — Hunc quidem sensum verbis Apostoli (Ὥστε ἡμεῖς ἀπὸ τοῦ νῦν οὐδένα οἴδαμεν κατὰ σάρκα· εἰ δὲ καὶ ἐγνώκαμεν κατὰ σάρκα Χριστὸν, ἀλλὰ νῦν οὐκ ἔτι γινώσκομεν.) subesse censemus; quem qua ratione quove iure ex his verbis cogamus, nobis nunc exponendum est. Redit autem res omnis ad quatuor momenta haec: primum, quid significet hoc loco εἰδέναι et γινώσκειν, deinde, quae vis insit formulae loquendi κατὰ σάρκα; porro quomodo intelligendus sit χριστὸς; denique, utrum κατὰ σάρκα iungendum sit cum

vocc. οὐδένα et χριϛὸν, an cum οἴδαμεν et ἐγνώκαμεν.

Quod ad primum attinet, ex nexu sententiarum facile adparet, verba εἰδεῖν et γινώσκειν συνωνύμως ab Apostolo h. l. adhiberi. Ea igitur vis atque potestas eligenda est, quae et utrique verbo communis sit et ad orationem ipsam apta. Prima autem utriusque verbi potestas Videre, Cognoscere, Nosse, Intelligere quum huc plane non pertineat, aliam quaeramus necesse est, eamque derivatam, quae aptior sit atque utrique communis. Duplicem vero aliam vim, eamque ad sensum loci accommodatiorem in medium proferunt interpretes, alteram, Amare, Revereri, alteram, Considerare, Aestimare. Priorem inprimis commendavit b. Doederlinus *), qui cum loco nostro tum formulam ἐν χριϛῷ εἶναι v. 17. tum loca Philipp. III, 10. et 1 Ioh. II, 4. comparari iubet, ubi γινώσκειν, εἰδέναι χριϛὸν idem esse putat, ac ἀγαπᾷν τὸν Χριϛὸν, εἶναι ἐν Χριϛῷ, μένειν ἐν αὐτῷ, unde colligit, propius nosse et amare Christum idem esse, ac adiungi disciplinae Christi. — Sed primum valde dubitamus, an in ullo S. S. loco γινώσκειν aeque ac hebr. ידע Amare aliquem et Revereri significet. In nonnullis quidem locis, non negamus, potest quidem huic verbo subiici notio amoris, nec sensus eorum sumta hac ratione turbatur, sed si rem accuratius expenderimus, facile intelligemus, bonum istum sensum tantummodo

*) Opusc. theol. p. 19.

ex cognata alia quadam notione resultare, quae proprie verbo γινώσκειν et ידע competit. Sed hoc loco quaeritur, an haec verba per se spectata amorem et reverentiam exprimant, et quomodo haec vis formulae possit ex nota illius potestate primitiva deduci. In omnibus autem istis S. S. locis, quae in hunc sensum excitantur, Exod. XXXIII, 12. Ps. I, 6. IX, 11. XXXI, 8. XXXVI, 11. XXXVII, 18. Amos III, 2. Matth. VII, 13. Ioh. VIII, 55. X, 14, XVII, 3. 1 Cor. VIII, 3. 2 Tim. II, 19. rel. ידע et γινώσκειν modo significat Agnoscere, modo Propius nosse, modo Curare et rationem alicuius habere, nam qui curat aliquem, res illius propius nosse studet. Sed hae notiones omnes cum prima verbi potestate, Cognoscere, Intelligere, arcte cohaerent, non itidem notio reverentiae et amoris, quae demum ex significatione Curae derivatur, atque in nonnullis locis parum accurate propriae vi vocabuli substituitur. — Eadem ratio est verbi εἴδειν, εἰδέναι, cui et ipsi Ven. Schleusnerus *) aliique hanc vim reverentiae et amoris tribuunt 1 Cor. XVI, 15. 1 Thess. IV, 5. V, 12. 2 Thess. I, 8. Tit. I, 16. rel., quamquam in his locis omnibus ac singulis εἰδέναι, aeque ac γινώσκειν, modo significat, Propius aliquem nosse, aut curam illius gerere, aut rationem alicuius habere. Ubi igitur haec coniuncta sunt cum amore et reverentia, non quidem falsum sensum fundet interpretatio, si notio-

*) In Nov. Lexic. in Nov. Test. Vol. I.

nem amoris et reverentiae subieceris, sed propriam vim verbi ita interpretando haud expressisti *). — Denique alia plane non potest sententia subiecta esse verbo γινώσκειν in posteriori huius commatis membro, quam quae et in verbo εἰδέναι inest in priori membro. Sed illi non inesse (in verhis: οὐδένα οἴδαμεν κατὰ σάρκα) vim amoris, nobis vel non monentibus, facile est ad intelligendum. — Abiecta igitur hac temere illata verbi γινώσκειν et εἰδέναι potestate; sola altera est retinenda, qua Considerare, vel Aestimare significat. Notio aestimationis quidem, si proprietatem verbi spectes, dubia est, etsi inesse videatur in Considerando; sed hanc ipsam considerandi vim verbis γινώσκειν et εἰδέναι inesse aeque ac hebr. ידע dubio caret, modo conferas de hoc Ps. XXXIX, 5. Hos. II, 10. et de illis, tam γινώσκειν, Matth. VI, 7. Luc. XIX, 42. Ioh. XV, 18. 2 Cor. VIII, 9. Hebr. III, 10., quam εἰδέναι, Eph. VI, 8. Col. III, 24. 1 Petr.

---

*) Attendant quaeso interpretes hanc observationem hermeneuticam, quam male neglectam saepius animadvertimus in commentariis et libellis exegeticis, qui in his rebus haud raro parum accuratam sermonis hebraici et graeci cognitionem produnt. Ante omnia enim attendenda est in interpretando proprietas verborum, ne vel sola ἔτυμα insectando, quod hodie saepe fit, lusus ingenii nostri pro usu sermonis hebraici aut graeci venditemus vel notiones subtiles e scholis recentiorum philosophorum petitas sacris obtrudamus scriptoribus, qui nihil sane horum φιλοσοφημένων cogitassent.

I, 18. 1 Ioh. III, 1. — Latinis nosse idem significare constat. — Quam notionem quum utraque huius commatis sententia, et prior (ἀπὸ τοῦ νῦν οὐδένα οἴδαμεν κ. σ.) et posterior (εἰ δὲ καὶ ἐγνώκαμεν κ. σ. Χρ.) commode admittat, haec sola in hoc commate retinenda est. Quamobrem repudianda est Grotii interpretatio huius commatis, etsi a pluribus recentioris aetatis interpretibus saepius esset repetita. Is enim sensum verborum hunc statuit: „Non „aestimamus quemquam e divitiis aut eruditio„ne, quae sunt res carnales. Etiamsi enim „Christum in carne, i. e. quum vitam adhuc „mortalem ageret, familiariter cognitum habuis„semus, nunc tamen Eum non ut talem consi„deramus et colimus.“ — Ita enim vertendo triplicem tribuit Grotius verbis εἰδέναι et γινώσκειν potestatem in eodem orationis contextu, primum Aestimare, deinde Familiariter cognitum habere, denique Considerare et colere. Id quod interpreti nequaquam licet. —

Difficilior incidit quaestio, quaenam formulae loquendi κατὰ σάρκα toties in N. T. libris redeunti hoc quidem loco atque orationis contextu subiecta sit sententia? — Abeunt autem interpretes in explicanda hac formula in magna sane sententiarum divortia. Alii enim, veluti inter Patres Chrysostomus, Theodoretus, Augustinus (quorum loca collegit b. Doederlinus l. c.), atque e recentioribus Glassius aliique, qui eum sequuntur, hac formula humanam I. C. naturam infirmitatibus obnoxiam spectari existimant; alii σάρκα ad vitam I. C. humilem referunt, v. c. b. Zachariae;

alii familiarem usum et cognationem hoc voc. innui putant, v. c. Moldenhawer, Dav. Michaelis; alii, iique plures, hanc formulam denotare h. l. statuunt speciem externam, resque omnino externas, veluti Calvinus, Balduinus, Grotius, Hammondus rel. inprimis Ven. Noesseltus et, qui eum sequuntur, Ven. Rosenmüllerus, Stolzius rel.; alii denique, v. c. Olearius, Wolfius, Semlerus, quibus me ipse adiungere haud dubito, per σαρκα Iudaismum tenuesque omnino Iudaeorum opiniones intelligi volunt *). — Cadunt autem tres priores h. l. explicandi rationes hac sola observatione, quod κατὰ σαρκα in posteriori membro coniungunt cum voc. Χριςὸν nec cum verb. ἐγνώκαμεν; id quod priori membro, quo κατὰ σάρκα non cum οὐδένα sed cum οἴδαμεν construendum est, manifeste repugnat. Facile sic expeditur simul illa quaestio supra proposita: Utrum formula κατὰ σάρκα coniungenda sit cum Χριςὸν, an cum verbo ἐγνώκαμεν? Nam in priori membro commatis: ὥςε ἡμεῖς ἀπὸ τοῦ νῦν οὐδένα οἴδαμεν κατὰ σάρκα, in aprico est, sive verborum situm spectes, sive de commodo eorum sensu quaeras, formulam κατὰ σάρκα non coniungendam esse cum οὐδένα, sed cum οἴδαμεν. Iam vero par ra-

---

*) Mira alia et universi loci, et huius praesertim formulae interpretamenta v. c. Bezae, Vatabli, Flacij, Estii, Witsii, Clerici rel. transeo. Qui et haec nosse cupit, adeat Criticos sacros, Calovii biblia illustrata et Heumanni Erklärung des N. T. T. XI. ubi haec inveniet diligenter collecta.

tio statuenda est utrique membro; debet igitur et in posteriori membro haec ipsa formula κατὰ σάρκα non sequenti voc. Χριςὸν, sed proxime praecedenti verbo ἐγνώκαμεν iungi, id quod et naturalis verborum situs postulat! *) —

Remanent igitur soli duo posteriores hanc formulam explicandi modi, quorum quidem priorem docte ac subtiliter illustravit Noesseltus **), Vir venerabilis, qui τὴν σάρκα esse Externa statuit, quae iactare Iudaei solebant. Ferre quidem usum loquendi, qui in libris N. T. regnat, hunc sensum, dubio caret; nec parum sententia Viri confirmatur locis parallelis Gal. VI, 13-15. 2. Cor. XI, 18. Philip. III, 3 sqq. Denique in summa rei a Viro Venerabili exposita (p. 198 sqq.) haud dissentimus, accedimus potius maximam partem sensui verborum (p. 199. et 204.) ab Illo bene sic expresso: „Non eum nunc Christianum agnoscimus, qui externis rebus, in quibus Iudaei „maximam laudem putant esse, conspicuus est,

---

*) Cadit igitur hac observatione versio h. l. Stolziana, qua κατὰ σάρκα in priori membro recte cum verbo οἴδαμεν coniungitur, minus recte autem in posteriori cum Χριςὸν: „Von nun „an schätze ich also niemanden mehr nach äus„sern Vorzügen, und hätte ich auch Christum „seiner äuſsern Person nach genau gekannt, so „würde ich doch nun keinen Werth mehr hie„rauf legen.“

**) In Opusc. ad interpretationem S. S. Fasc. II. p. 197 sqq.

„sed qui animi Christo addicti praestantia ex-
„cellit. Etiamsi alias fuerimus Christiani [?]
„sectantes Iudaica: nunc tamen non porro ta-
„les oportet esse.“ — Discedendum autem nobis est tum in constituenda h. l. prima ac propria significatione τῆς σαρκὸς, tum in nexu sententiarum, utrum remotius a v. 12., an proxime a v. 15. repetendo, tum denique in definienda notione τοῦ Χριστοῦ, utrum cognomine Iesu Servatoris, an Messiae omnino. — Voc. Σάρξ autem vere denotare Iudaismum, tam religionem ipsam Mosaicam, quippe imperfectiorem et tenuiorem, si cum doctrina Christiana comparetur (hanc vocem enim, aeque ac hebr. בשר, imbecillitatem et tenuitatem significare inter omnes constat), severiusque illius, inprimis legum ceremonialium studium, quam statum et conditionem lege Mosaica obstrictorum, dudum monuere viri docti *) ex pluribus N. T. locis, v. c. Gal. III, 3 sq. Rom. IV, 1. Gal. VI, 12, 13. Rom. VII, 5. 2 Cor. XI, 18. Philipp. III, 3 sq. — Itaque εἰδέναι τινὰ κατὰ σάρκα est considerare aliquem ex Iudaismo, tenuibusque illius opinionibus. Quare γινώσκειν κατὰ σάρκα Χριστὸν hoc quidem sententiarum nexu nil aliud significare potest, nisi hoc: Messiam aestimare ex mente Iudaeorum, h. e. talem sibi informare Messiae notionem, quae sit tenuibus Iudaeorum

*) Cf. W. A. Telleri Wörterbuch des N. T. ad voc. Fleisch., Koppe Excurs. IX. ad Epist. ad Gal. Schleusner in Lex. in Nov. Test. Vol. II. voc σάρξ.

opinionibus ac vanae eorum exspectationi accommodata. Id quod recte viderunt Semlerus et Tellerus *). Atque ipse Noesseltus, Vir Venerabilis, eas intelligit res externas, in quibus Iudaei maximam laudem esse putent. Quare et omnia ista loca, quae ab hoc Theologo in suam sententiam pertracta supra allegavimus, v. c. 2 Cor. XI, 8. Gal. VI, 13—15. Philipp. III, 3 sq., in nostros quoque usus convertere possumus. Nam eodem redit summa rei, etiamsi in singulis existant sententiarum divortia. — Ex ista autem sensus notatione simul colligimus, voc. Χριϛὸν non referri posse ad Iesum, Servatorem, sed

*) Semlerus enim (in Paraphr. II. ep. ad Corinth.) locum hunc ita παραφράζει: „Itaque non infitiamur, sed prae nobis ferimus, inde ab hoc „tempore nos nullo modo Iudaeorum istas humiles et Deo indignas opiniones et caerimonias nos porro ferre aut commendare, quibus „audent aliis gentibus se praeferre et Messiae „provinciam plane pervertere. Quodsi etiam „antea ipse talem Messiam informare mihi visus sum, qui sit Iudaeorum tantum fautor, „nunc tamen talem Messiam persuadere minime possumus; id potius iam damus operam, „ut gentium illud discrimen, quod Iudaei tam „pertinaciter defendunt, omnino tollamus.“ — Tellerus (Wörterb. d. N. T. ed. 4. p. 211.) simili modo vertit: „Von nun an schätzen „wir niemand mehr, als einen Iuden, und ob „wir gleich wissen, daſs Iesus selbst aus dem „Iudenthume abstammet, (Male hic iungitur „κατὰ σάρκα cum Χριϛὸν, de quo vid. supra.) „so ist er uns doch ietzt nicht deswegen, sondern aus ganz andern Ursachen werth.“ —

intelligendum esse de Messia omnino. Nam quum τὸ ἡμεῖς non referri possit ad omnes Christianos, sed efflagitante universo nexu sententiarum coll., v. 11-14. ad ipsum Apostolum, ad eum plane non quadraret illud ἐγνώκαμεν κατὰ σάρκα Χριστὸν, si hoc ad Iesu Christi personam referretur. Apostolum enim post conversionem suam ad sacra Christianorum atque sub initium muneris sui apostolici adeo ἰουδαικῶς de consilio Iesu eiusque dignitate sensisse probari nequit. Ante conversionem autem ipsum Iudaeum de munere et consilio Messiae, quem Iudaei exspectarent, Iudaicas opiniones sectatum fuisse, quis neget aut miretur? — Quae quum ita sint, γνῶσις τοῦ Χριστοῦ h. l. commemorata neque de Christi propria cognitione intelligi debet, neque cum Ven. Noesselto (l. c. p. 203.) de iudicio super veritate Christianorum recte dirigendo, licet usus N. T. ex locis ibi allatis, 2 Cor. IV. 4-6. Eph. I, 17. Philipp. III, 8. satis conspicuus hoc omnino ferat, sed de iusta potius aestimatione Messiae omnino non Iudaica, sed vere Christiana. Agitur quidem, quod libentissime largimur, de iis, qui Iudaicam vanitatem (σάρκα) magnifacerent, h. e. de Christianis Ἰουδαΐζουσι *); sed haec om-

---

*) Pari ratione b. Mosche, (Bibelfreund T. III. p. 70.) quamquam et ipse σάρκα denotare existimat res externas, inprimis speciem externam, verba tamen Apostoli ita interpretatur, ut ipsam nostram sententiam plane exprimat. Haec verba enim ita παραφράζει: „Ich weiſs es wohl, „daſs ich ehedessen anders gedacht, und die „jüdischen Vorurtheile und vorgefaſsten Mei-

nia satis arguere videntur, σάρκα non debere h. l. intelligi de rebus externis generatim, sed speciatim de Iudaismo eiusque tenuibus ac vanis opinionibus. In quo me confirmant verba Apostoli in commate proxime sequente: τὰ ἀρχαῖα παρῆλθε. — Pertinet quidem ad illam σαρκὸς notionem, quam Apostolus teneret, inanis etiam Iudaeorum gloriatio, quam Apostolus v. 12. καυχᾶσθαι ἐν προσώπῳ, καὶ οὐ καρδίᾳ adpellasset; sed nolimus τὴν σάρκα v. 16. restringi modo ad illud καυχᾶσθαι ἐν προσώπῳ v. 12., quum v. 16. non arcte, quod quidem nonnulli volunt, cum commate illo 12. cohaereat, sed cum proxime praecedente v. 15. Hoc enim clare docet vocula ὥστε v. 16., quae demonstrat, colligi nunc nonnulla ex iis, quae proximo hoc v. 15. de adseclis Christi dicta fuerint. — Quae quum ita sint, sensus nexusque orationis Paullinae v. 16. in hunc modum constituendus esse videtur: Quum alias prorsus, si Christi adseclae veri quidem nominis esse

---

„nungen für richtige Grundsätze gehalten ha-„be, und mir daher auch Christus, oder der „Messias, nur vornehmlich wegen derjenigen „Vorzüge, die ihm die Iuden beylegen, ehr-„würdig gewesen sey.“ In eandem sententiam I. G. Fr. Leun, novissimus ille ep. II. ad Corinth. interpres, etsi τὴν σάρκα de rebus externis velit intelligi, Iudaicas tamen opiniones de Messia his verbis describi existimat. Nam et ipse Χριστὸν non intelligit de Iesu Messia, sed de Messia, quem Paulus, antequam Iesus innotesceret, cum Iudaeis caeteris exspectaret, imperio quod in terris teneret, insignem.

velimus, informatas menti notiones habeamus, tum de Iesu Christo ipso, qui pro salute hominum universa mortuus sit, tum de eiusdem sectatoribus eorumque ratione ad Iesum Servatorem, quippe qui non sibi suoque arbitrio indulgere, sed soli Iesu Christo vivere, atque, exuta quasi omni vetere sentiendi agendique ratione novam plane mentem animumque induere debeant (v. 15.): equidem ab hoc inde novae oeconomiae tempore neminem e Iudaicis de Messia eiusque regno terrestri, ac de meliori Iudaeorum a natalibus suis conditione vanis opinionibus considero aestimoque. Quanquam enim et ipse olim, quum sacris Iudaeorum adhuc essem addictus, tam vanas de Messia exspectando eiusque regno opiniones more Iudaeorum conceperam, et ipse Iudaeus Iudaice de Messia eiusque consilio senseram, nunc tamen, de consilio Messiae melius edoctus, de eo non amplius ita statuo, nec de Christo eiusque regno vel de dignitatis adseclarum illius ratione tam tenues ac vanas opiniones cum Iudaeis tenere amplius mihi licet. Nam ad alias prorsus rationes tam consilium Messiae ipsius, quam dignitatem sectatorum illius nunc dimetiri decet. —

Pergit igitur Apostolus, novas has oeconomiae Christianae rationes expositurus, v. 17. „Ὥςε εἴ τις ἐν Χριςῷ, καινὴ κτίσις· τὰ ἀρχαῖα παρ-„ῆλθεν, ἰδοῦ, γέγονε καινὰ· [τὰ πάντα·]" Quae sententiae Paullinae cum praecedentibus (v. 16.) arctissississime cohaerentes breviter nobis nunc sunt exponendae, quae vis iis insit atque potestas, quaeve ad universam argumen-

tationem Paullinam ratio. — Primum se nobis offert duplex interpunctio. Ex altera comma post Χριστοῦ deletur, atque integra enunciatio ὥστε — κτίσις habetur pro protasi, cuius apodosis inchoet cum τὰ ἀρχαῖα et pergat ad τὰ πάντα. Ex altera autem protasis iam finitur voc. Χριστῷ, atque καινὴ κτίσις format apodosin, omisso ἐστὶ vel ἔστω. Priorem interpunctionem sequitur versio Vulgata, quae ita habet: „Si qua ergo in Christo nova creatura, vetera transierunt." Quae, quidem verba construendi ratio quum durior videatur et artificiosior, recte a plerisque interpretibus praefertur posterior: ὥστε εἴ τις ἐν Χριστῷ (sc. ἐστι), καινὴ κτίσις (sc. ἐστι vel ἔστω). Talis enim ellipsis ex hebraici praesertim sermonis consuetudine admodum frequentatur in N. T. libris. Rectius autem in utroque membro, et protasi et apodosi, idem verbum eiusdem formae, nempe ἐστὶ suppletur, etsi ἔστω in apodosi bonum omnino sensum fundat, qui vero et ipse ex voc. ἐστὶ erui potest; εἶναι enim non modo de eo dicitur, quod est, sed etiam de eo, quod esse debet, in primis si hoc in ipsa rei, de qua agitur, natura continetur. —

Transeamus igitur ad declarandum accuratius nexum sensumque et verborum et integrarum sententiarum Apostoli hoc quidem loco expressarum. Scilicet integrum segmentum duplici modo spectari potest, vel tanquam conclusio universi argumenti hactenus ab Apostoli tractati, vel arcte coniunctum cum versu proxime antecedente. Atque si modo posset vis ac potestas voculae ὥστε h. l. a Ven.

Schleusnero aliisque subiecta, qua αἰτιολογικῶς haec sumenda et per Nam, etenim, efferenda esset, usu sermonis graeci confirmari, praeferenda sane esset haec posterior nexus declaratio ceu facilior et naturali orationis συναφείᾳ accommodatior. Ratio tum redderetur ab Apostolo, quare Messiam non amplius ex Iudaicis ipse opinionibus aestimare posset: „nam verum quemque sectatorem Iesu novum „quasi hominem factum fuisse, nova intelli„gendi iudicandique de his rebus facultate „praeditum, qui omnia aliter, ac antea, cen„sere et aestimare soleat.“ Egregia sane textus cohaerentia ex nostra praesertim comm. XVI. interpretandi ratione! — Sed usu graeco plane destituta est haec potestas voc. ὥςε concessa; modo conferamus Hoogeveenum de particulis gr. linguae. — Retinenda igitur est vulgaris voc. ὥςε potestas, qua illationem et conclusionem significat. Quare alii h. l. alteram consequentiam ex v. 15. quaerunt; (primam enim v. 16. eodem voc. ὥςε iam fuisse expressam) alii contra h. l. conclusionem totius argumenti inesse putant, etsi proxime coniuncta sit cum commate praecedente. Cui quidem sententiae, tamquam probabiliori, nos adiungere haud dubitamus. Quocunque vero nexu colloces hoc segmentum, v. 17., ὥςε reddendum est: Itaque, Igitur, Quare et s. p. — Colligit igitur Apostolus: εἴ τις ἐν Χριςῷ (ἐςὶ), καινὴ κτίσις (ἐςὶ). Ἐν Χριςῷ εἶναι, quod toties in N. T. libris, Paullinis praesertim epistolis, redit, significare inter omnes constat Christianum esse, qui Christum doctorem ac dominum profitetur, inprimis eum, qui exem-

plo Iesu Christi imitando ac vita exprimendo verum agit Christianum, cui τὸ ἐνδύειν τὸν Χριστὸν respondet Gal. III, 16 — 29. Talis veri nominis Christianus ab Apostolo adpellatur καινὴ κτίσις h. e. νεός ἄνθρωπος; nam κτίσιν non modo creationem, verum etiam rem ipsam creatam s. κτίσμα atque homines praesertim significare, coll. Marc. XVI, 15., nemo nescit. Novus homo autem ex usu S. S. est homo novae indolis, atque respondet hebr. בריה חדשה, quo nomine salutarunt Iudaei proselytos, qui ab idololatria ad sacra Hebraeorum transierunt *). Itaque καινὴ κτίσις in N. T. est homo, qui transeundo ad sacra Christianorum novam mentem induit. Nova haec mens autem tam se exserit rectiori de rebus ad religionem pertinentibus iudicio, quam acriori et perfectiori virtutis studio (coll. Gal. II, 19. 20. VI, 14. 15.). Carebant enim Iudaei et clara illa melioris institutionis luce, quae demum generi humano per doctrinam Iesu affulsit, et acrioribus illis stimulis, qui tantam in Christianis ad virtutem vim habuerunt. Quicunque igitur doctrinam christianam fuere amplexi, novi facti sunt homines, h. e. nova eaque meliori mentis animique indole praediti. Errare igitur videntur, qui h. l. solam animi emendationem per καινὴν κτίσιν significari putant, qua homines a rebus externis ad solum cultum Dei ex-

---

*) Cf. loca Thalmud. et Rabbin. apud Schoettgenium (Hor. hebr. et thalmud. T. I ad h. l.) et Wetstenium, quae hunc usum loquendi Hebraeorum illustrant.

ternum pertinentibus atque a sensuum illecebris auocentur et ad meliorem vitae rationem adducantur. Quanquam enim in pluribus N. T. locis hic καινοῦ ἀνθρώπου significatus potissimum obtineat (v. c. Eph. IV, 24.): hoc tamen loco excludi nequaquam debet rectior de religione et de provincia Messiae cogitandi ratio, tum propter εἰδέναι et γινώσκειν κατὰ σάρκα, v. 16. per ea, quae de vero harum formularum sensu supra monuimus, tum propter sequentia: τὰ ἀρχαῖα παρῆλθε. Nam haec ἀρχαῖα, quae nunc transiisse, h. e. vim ac pretium, quod olim iis statueretur, amisisse dicuntur, neque quaerenda sunt in pristina, eaque prava vivendi consuetudine, et vitiis, quibus ante indulsissent, quam ad societatem Christi accessissent, (quae quidem plurimorum fuit interpretum sententia) nec in sola vetere eaque perversa Iudaeorum consuetudine sectandi externa et magnifaciendi vanitatem Iudaicam (e Ven. Noesselti sententia), sed potius in universa oeconomia religionis Mosaicae, παλαιᾷ διαθήκῃ, ipsoque igitur Iudaismo, ad quem omnino et illud studium consectandi externa pertinebat. Universam enim hanc oeconomiam Mosaicam nunc esse antiquatam suoque destitutam pretio, saepius clare docuit Apostolus (cf. 2 Cor. III. Gal. IV. V. Col. II. Ebr. XII. rel.). Atque h. l. pergit Paullus: ἰδοὺ γέγονε καινά. — En extitere nova; seu, quod melius videtur: antiqua illa (τὰ ἀρχαῖα) nova facta sunt, h. e. novam plane induere speciem (Delenda enim esse ultima commatis verba τὰ πάντα, idoneis argumentis criticis supra effecisse persuasi sumus.) — Sensus igitur ver-

borum hic est: „Abrogata nunc antiqua illa „oeconomia ac sublata omni Iudaismi auctori„tate — nova nunc existit eaque melior διαθή„κη. Nova enim existit meliorque per doctri„nam christianam de rebus ad religionem per„tinentibus sentiendi iudicandique ratio, ut „non amplius opus sit, ex opinionibus Iudai„cis sive dignitatem Messiae aestimare, sive „eiusdem cultoribus pretium statuere. Nobis „Christianis alius obtigit Messias, quam quem „Iudaei exspectassent, nempe Iesus Christus, „qui pro salute humana mortem subiit atro„cissimam, cui et nos ipsi vivere debemus, „non nostris indulgere vitiis aut libidinibus, si „huic Messiae nostro Deoque ipsi placere ve„limus. — Tantum igitur praestat modus „res ad religionem pertinentes aestimandi „christianus tenui illi Iudaico, quantum a „se invicem differunt πνεῦμα et σάρξ (Gal. III, „3.)!" —

P. P. ipso die natalibus I. C. sacro MDCCCV.

Particula III.

Paullus, Apostolus, postquam comm. XVII. cap. Vti, abrogatam iam esse antiquam illam Mosaicae religionis οἰκονομίαν, atque, instituta

per Iesum Christum meliore ac perfectiore διαθήκῃ, novam nunc existere eamque rectiorem de rebus ad religionem pertinentibus sentiendi iudicandique rationem, adfirmasset, comm. XVIII. pergit his verbis: Τὰ δὲ πάντα ἐκ τοῦ Θεοῦ, τοῦ καταλλάξαντος ἡμᾶς ἑαυτῷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ δόντος ἡμῖν τὴν διακονίαν τῆς καταλλαγῆς. — Τὰ πάντα h. l. δεικτικῶς, ut saepius, dici pro ταῦτα δὲ πάντα atque per partic. δὲ arcte iuncta sententiae proxime praecedenti referenda esse ad nova religionis Christianae instituta, quibus novam omnia induerint speciem, dubio caret. In quo omnes etiam interpretes hucusque consenserunt, ut mirari subeat, novissimum huius epistolae Paullinae commentatorem, Ven. Leunium, τὰ πάντα ad solum Paullum, eiusque mutatam de Messia cogitandi rationem velle referri. Comma enim XVII. quum universe sit expressum, τὰ πάντα in hac sententiarum connexione plane non licet ad solum Apostolum eiusque in cogitando immutationem restringere. — Paullus autem quum adserit: τὰ (ταῦτα) δὲ πάντα ἐκ (i. q. ἀπὸ) τοῦ Θεοῦ sc. ἐστὶ, his verbis clare innuit, nova haec religionis christianae instituta ipsi Deo deberi, nec pertinere ad inuenta humana. Deum enim ipsum reconciliasse sibi mundum, h. e. genus humanam, per Iesum Christum.

Incidimus hic in quaestionem paullo difficiliorem, quid sit καταλλάσσειν et καταλλαγὴ, quibusque debeant haec verba finibus describi, ne commisceantur, quod quidem a plerisque Theologis factum esse scimus, cum simi-

libus ἱλάσκεσθαι et ἱλασμός? — Καταλλάσσειν autem proprie est, quod alii dudum monuere viri docti, Commutare, deinde, a mutatis animis, Reconciliare partes dissidentes, ut post longas inimicitias in concordiam redeant. Unde καταλλάσσεσθαι significat: in gratiam redire cum aliquo (1 Cor. VII, 11.), posita quippe inimicitia vetere, atque restituere amicitiam. Quare Phauorinus habet: καταλλάττειν καὶ διαλλάττειν τὸ εἰς φιλίαν συνάγειν τινάς. — Itaque καταλλαγὴ (proprie permutatio) μεταφορικῶς est Reconciliatio, Pacificatio. Quare Hesychius haec inter se iungit: καταλλαγὴ, εἰρήνη, φιλία. Καταλλαγὴ igitur quum ad mutuam Dei hominumque rationem refertur atque per Iesum Christum procurata dicitur, hoc certe innui videtur: sublatam esse per Christum inimicitiam inter Deum hominesque, fauorem contra divinum restitutum. Quare Deus ἀποκαταλλάξας idem etiam dicitur Col. I, 20. εἰρηνοποιήσας. Plenam autem illam ac perfectam καταλλαγὴν non modo a Deo, verum etiam ab hominibus ipsis pendere, satis docet illa acclamatio Apostoli v. 20. καταλλάγητε τῷ Θεῷ. — Multum igitur differt καταλλάσσειν ab ἱλάσκεσθαι: illud est Reconciliare (Nostrum: Aussoehnen, Freundschaft und gutes Vernehmen wieder herstellen); hoc Expiare (Nostrum: Versoehnen): id quod recte monuit b. Morus *). Nam ἱλάσκεσθαι proprie est Propitium aliquem reddere;

*) Epitom. theol. christ. p. 152. (ed. I.) Commentar. in epitom. ed. Hempel. T. II. p. 121.

deinde Expiare, remissionem peccatorum conciliare, atque respondet hebr. כפר Unde ἱλασμὸς primum significat expiationem, deinde, per metonym. abstr. pro concr., id, quod vim expiandi habet, (ἱλαστήριον), inprimis eum, qui expiat alterum (i. q. ἱλαστὴς). Ita Iesus Christus ἱλασμὸς adpellatur 1 Ioh. II, 2. IV, 10. Sed neque Deus, neque peccata dicuntur in N. T. καταλλάσσεσθαι vel καταλλαγῆναι, quod vero sumi deberet, si καταλλάσσεσθαι eandem vim haberet cum ἱλάσκεσθαι. At homines dicuntur ab Apostolo καταλλαγῆναι τῷ Θεῷ. Nec unquam adpellatur Deus in N. T. libris ἱλαστὴς s. ἱλασμὸς, qualis Christus dicitur, sed duntaxat ὁ καταλλάσσων. — Male igitur permutant plerique, recentiores adeo *), interpretes καταλλαγὴν et ἱλασμὸν, qui sibi persuadent, καταλλαγὴν dici immunitatem a peccatis et poenis peccatorum, atque διακονίαν τῆς καταλλαγῆς comm. XVIII. laudatam esse munus tradendi doctrinam de remissione peccatorum per Christum parta; quum καταλλαγὴ illa potius sit ipsa gratia et amicitia Dei hominibus per Christum oblata, atque διακονία τῆς καταλλαγῆς munus tradendi doctrinam de modo ac ratione, qua homines fauorem Dei consequi possint. Alterum enim, ipsa peccatorum remissio, in qua potissimum quaerunt illam καταλλαγὴν, hanc

---

sqq. Eiusd. dissertatt. theol. et philol. Vol. II. p. 97 sqq.

*) Vid. Schleusneri Lexic. in Nov. Test. sub voc. καταλλαγή.

potius consequitur; simulatque enim homines in gratiam cum Deo redierint, immunes illi sunt a poenis peccatorum antea commissorum; quare non imputari iis dicuntur post factam καταλλαγὴν peccata ante commissa *). — Provocant autem hi interpretes ad duo potissimum loca Apostoli, quibus firmari putant eam, quam ipsi quidem velint constitui, καταλλαγῆς notionem. Primum enim in hoc ipso loco nostro (comm. XIX.) contendunt Deum ἐν Χριστῷ κόσμον καταλλάσσοντα ab Apostolo ἐπεξηγητικῶς et ipsum dici μὴ λογιζόμενον τὰ παραπτώματα; unde adpareat, ex ipsa Apostoli sententia in notione καταλλαγῆς inesse immunitatem a poenis peccatorum; nam non imputare peccata idem esse ac peccata remittere, coll. Ps. XXXII, 1, 2. — At temere sumitur sic argumentando, τὸ μὴ λογίζεσθαι τὰ παραπτώματα h. l. meram esse ἐξεργασίαν praecedentis καταλλάσσειν. Participii enim forma (λογιζόμενος) hoc non necessario infert; nam hoc resolui potest, et vero etiam debet propter arctissimam illius connexionem cum proxime sequente sententia: καὶ θέμενος ἐν ἡμῖν κ. τ. λ., in tempus finitum: καὶ μὴ ἐλογίζετο αὐτοῖς τὰ παραπτ. αὐτ. καὶ ἔθετο ἐν ἡμῖν κ. τ. λ. Innuitur igitur his verbis illud potius, quod καταλλαγὴν consequatur, quam

*) Nec licet posteriorem huc referre consuetudinem ecclesiae graecae, qua καταλλαγὴ fit i. q. λύσις τῶν ἐπιτιμιῶν, h. e. absolutio a poenis sc. ecclesiasticis, ipsaque admissio ad eucharistiam. Cf. Suiceri thesaur. ecclesiast. sub voc. καταλλαγή.

quod ipsam καταλλαγῆς notionem constituat; nam et illud ipsum Apostolis demandatum munus gratiam divinam per Christum hominibus oblatam iisdem annuntiandi et exponendi nequaquam pertinebat ad ipsam καταλλαγὴν, sed erat potius consectarium illius, ad universam οἰκονομίαν τῆς καταλλαγῆς referendum. Ex ista enim reconciliatione hominum cum Deo restitutaque cum illo amicitia sponte fluxit remissio peccatorum, quum recuperato fauore divino poenis non amplius locus esset apud eos, qui in gratiam cum Deo redierint. — Alter locus est, quem testem adferunt, Rom. V, 10., quo Apostolus verbis: κατηλλάγημεν τῷ Θεῷ διὰ τοῦ θανάτου τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, effectam καταλλαγὴν adscribat morti I. C. cruentae; cui quum debeatur ex sententia Apostoli v. 8. 9. immunitas a poenis peccatorum, hanc ipsam clare significari putant per istam καταλλαγὴν. — Atenim vero haec dicuntur ex vulgari Theologorum de consilio mortis I. C. opinione. Ipsa potius καταλλαγὴ s. reconciliatio hominum cum Deo proprie effecta est per novum illud foedus, morte I. C. cruenta, ex sentiendi loquendique more istorum temporum, sancitum. Morti igitur I. C. adscribebatur ab Apostolo, quod proprium esset novi foederis, s. novae oeconomiae, supplicio Servatoris confirmatae, ex ipso I. C. effato, qui Matth. XXVI, 28. mortem suam cruentam αἷμα τῆς καινῆς διαθήκης adpellasset. Itaque mors I. C. ex sententia Apostoli fuit ad modum et rationem sacrificiorum Vet. Test. symbolum restitutae gratiae divinae, quare et τὸ εἰρηνοποιεῖν Col. I, 20. ad mortem I. C. refertur; sanguis enim Servatoris foederi

sanciendo fusus erat. Unde facile adparet, quo iure ac quo sensu potuerit Apostolus τὴν καταλλαγὴν, h. e. reconciliationem hominum cum Deo, morti I. C. tribuere. Sensus igitur illius loci Rom. V, 10. ita constituendus nobis esse videtur: „Si, quum Deo adversaremur (ἐχ„θροὶ ὄντες — vitae rationem ineuntes sanctis„simae voluntati divinae adversam), eidem per „novum foedus morte filii sui dilectissimi san„citum sumus reconciliati; multo nunc certius, „postquam in coetum Christianum essemus re„cepti, vere reconciliati Deo, vivo Iesu a poe„nis erimus immunes." — Itaque immunitas a poenis peccatorum consequitur potius ex mente Apostoli illam καταλλαγὴν, quam eam constituit. Ipsa enim καταλλαγή tribuitur morti I. C. seu potius novo foederi, morte I. C. sancito, quo factum sit, ut, qui hostes Dei ante fuissent, accepta novi huius foederis lege ac conditione, h. e. admissa nova doctrinae christianae formula, Deo nunc probarentur (δικαιωθέντες ἐν τῷ αἵματι I. X.); sed immunitas a poenis (σώζεσθαι ἀπὸ τῆς ὀργῆς) tribuitur vitae Iesu aeternum duraturae; nam ille est παράκλητος ἡμῶν πρὸς τ. πατέρα, 1 Ioh. II, 1. et ἐντυγχάνων ὑπὲρ ὑμῶν, Rom. VIII, 34. Perpetuum igitur gratiae divinae et salutis nostrae usum ex mente Apostoli debemus vitae I. C. perenni, quippe qui salutem nostram curare nunquam desinat.

Duplex autem cogitari potest καταλλαγὴν ab ἱλασμῷ discernendi modus; alter, quem b. Morus (in epitome th. chr. l. c.) praeiuit, isque ad receptam doctrinae ecclesiasticae for-

mulam accommodatior; alter paullo liberior, atque a vulgari de consilio mortis I. C. opinione alienior. Ex priori quidem sententia καταλλαγὴ facta censenda est per ἱλασμὸν, qui sit certus modus efficiendi illam καταλλαγὴν; per hanc enim expiationem peccatorum (ἱλασμὸν) morte I. C. factam oblatam fuisse hominibus gratiam divinam atque reconciliationem cum Deo (καταλλαγὴν), ut desinerent tandem homines Deo esse infensi (ἐχθροὶ τοῦ Θεοῦ), atque, admissa doctrina Christiana initaque nova meliorique vitae ratione, in gratiam cum Deo redirent. — Ex posteriori autem sententia res omnis redit a Iudaeorum de modo reconciliandi homines cum Deo et de vi sacrificiorum ad tranquillitatem animorum opiniones earumque ad christianae religionis formulam accommodationem. Iis modo licuit ex opinione Iudaeorum peculiari gratia divina frui, qui foedere Deo iuncti essent; reliqui enim erant ἁμαρτωλοὶ et ἐχθροὶ τοῦ Θεοῦ. Antiquato autem a Christo foedere Mosaico novoque ab ipso morte cruenta sancito solos eos existimavit Apostolus frui posse gratia divina, qui novum illud foedus ingrediantur, quum alius nullus detur Deo se probandi modus (δικαίωσις); Deum igitur ipsum obtulisse per Iesum Christum gratiam suam hominibus (en καταλλαγὴν!) proposito iis novo foedere sanguine I. C. sancito, quo novus ipsis pararetur ad se aditus (en ἱλασμὸν!); admissa enim hac novae religionis a Christo institutae lege desinere eos esse hostes Dei, redituros eos potius in gratiam divinam certamque spem ex restituto illo fauore divino concepturos, fore, ut peccata pristina

condonentur, atque salutem aeternam ipsi consequantur, praesertim quum Iesus Christus, perenni gloria coelesti fruens, nunquam sit desiturus veram ipsorum et aeternam salutem et adiuvare et augere, coll. Rom. VIII, 34. 1 Ioh. II, 1. 2. — Sed satis de his, quae alio tempore et loco, volente Deo, fusius sumus expositurі.

Pergimus nunc ad reliqua. Apostolus quum Deum adfirmat nos (ἡμᾶς) sibi reconciliasse per Iesum Christum, hoc gratiae divinae donum vix est quod moneamus neque ad solum Paullum, neque ad Apostolos omnino, quos quidem saepius hoc vocabulo ἡμεῖς complecti solet, referendam esse, sed ad universum genus humanum, cui haec gratia divina per Iesum Christum eiusque legatos esset oblata; nam Deus ὁ καταλλάξας ἡμᾶς v. XVIII. idem dicitur ab Apostolo v. XIX. κόσμον καταλλάσσων *). — At Deus non modo καταλλάξας ἡμᾶς ἑαυτῷ διὰ I. X., verum etiam δοὺς ἡμῖν τὴν διακονίαν τῆς καταλλαγῆς in eodem commate eademque orationis serie exhibetur. Cui quidem sententiae alia in proxime sequente commate

*) Violentius, nec tamen aptius ad rem, mutari volunt Dav. Michaelis (in versione N. T. ad h. l.) et Volborth (ad Zachariae paraphr. epp. ad Corinth. a se editam) lectionem ἡμᾶς, in qua testes consentiunt omnes, in ὑμᾶς. Ita dissecatur nodus, non solvitur. Quidni eandem mutationem tentant hi viri comm. XXI. in eodem sententiarum nexu, ubi idem ἡμεῖς bis redit?

obvia: καὶ θέμενος ἐν ἡμῖν τὸν λόγον τῆς καταλλαγῆς, quum plane sit simillima, quae tamen ad solos Apostolos, non ad omnes omnino homines, videatur esse ex mente Paulli referenda; nova inde exoritur interpretandi difficultas, cui solvendae triplex inservit verba construendi ratio. — Prima, eaque vulgaris, ratio haec est: utramque sententiam, et illam: δόντος ἡμῖν τ. διακονίαν τ. καταλλ., et hanc: θέμενος ἐν ἡμῖν τ. λόγον τ. καταλλ. pertinere quidem ad Apostolos solos, nec ad alios homines; idem enim ἡμεῖς v. XX. in verbis: θεοῦ παρακαλοῦντος δι' ἡμῶν, manifeste enuntiari de solis Apostolis. — At redit comm. seq. XXI. τὸ ἡμεῖς, bis quidem, atque aperte ad omnes homines spectat; deinda manet difficultas comm. XVIII, eidem verbo in duabus sententiis, quae proxime sose excipiant, variam ab Apostolo subiectam fuisse vim ac rationem, in altera quidem omnium hominum, in altera autem Apostolorum tantum, vel adeo Paulli solius. (Sunt enim, qui Paullum se solum spectare putent, v. c. Schulz, Stolz. Leun, alii.) Quantae negligentiae in nectendis sententiis tum accusandus esset Apostolus, ita si omnia miscuisset, suisque se ipse verbis implicuisset! — Itaque mittenda mihi videtur vulgaris illa rem explicandi ratio. — Quare aliam alii viam ingrediuntur, qui utramque sententiam comm. XVIII. et XIX. sibi adeo consonam, tam illam, δόντος ἡμῖν τ. διακ. τ. καταλλ., quam hanc, θέμενος ἐν ἡμῖν τ. λόγ. τ. καταλλ. non ad Apostolos, sed ad homines omnino referunt, ut eadem ubique τοῦ ἡμεῖς ratio ab Apostolo habeatur. Comm. XX. quidem δι' ἡμῶν ad Apostolos per-

tinere putant, sed totum hoc comma ceu consectarium praeviarum posse considerari; et comm. XXI. redire iterum priorem τοῦ ἡμεῖς rationem, quae ad homines omnino spectet. — Tum vero διδόναι τὴν διακονίαν τῆς καταλλαγῆς non esset, quod plerumque sumitur, demandare munus tradendi reconciliationem per I. C. factam, sed donare, largiri hominibus hoc munus, h. e. efficere in commodum hominum, ut late spargatur doctrina de reconciliatione hominum cum Deo per I. C. facta. Atque eadem ratione θέμενος ἐν ἡμῖν τὸν λόγον τῆς καταλλαγῆς tum reddendum esset: Constituit inter nos (non autem, ut vulgo solet, imposuit nobis) vel doctrinam, vel institutionem τῆς καταλλαγῆς. Utrumque enim, et constituere, et imponere significare potest verbum τιθέναι, si cum hebr. שׂוּם conferatur. Possit etiam ἔθετο esse i. q. προέθετο (Rom. III, 25.): publice proposuit Deus inter nos doctrinam de reconciliandis secum hominibus (λόγος καταλλαγῆς pro: λόγος s. διδαχὴ περὶ τῆς καταλλαγῆς). — Quicquid vero horum sit, obstat tamen huic verborum sensui quam maxime illud: τὸ ἐν ἡμῖν comm. XIX. oppositum videri αὐτοῖς, quod ad homines omnino spectat; quare non et ipsum, quod alteri opponitur, idem significare censendum est. Hoc enim si exprimere voluisset Apostolus, profecto non scripsisset: ἐν ἡμῖν, sed per orationem contextam ἐν αὐτοῖς. Quamobrem nec altera haec via placet. — Pergimus igitur ad tertiam sensus verborum constituendi rationem, et ipsam quidem paululum impeditam, reliquis tamen faciliorem. — In duobus illis orationis Paullinae membris.

quod. Haec enim vis horum verborum usu satis firmatur *). Prius si sumas, (ut alterutrum verbum ad sensum redundet), referendum est comma XIX. ad totum comma XVIII., tamquam uberior huius commatis expositio. Posterius si sumas ac verbo ὡς ὅτι nempe quod reddas, (id quod praeferendum nobis videtur), comma XIX. accuratiorem declarationem, non universi quidem commatis XVIII., sed argumenti annunciationis restitutae gratiae divinae (διακονίας τῆς καταλλαγῆς) continere censendum est. Τὸ Ὅτι enim saepius post verba dicendi ponitur, ut argumentum orationis significet. Quicquid vero horum sit, certo dici potest comm. XIX. continere rationem et uberiorem expositionem commatis XVIII. — Quare recte iam observavit Ioach. Camerarius (in notatione figurarum orationis ad h. l.): „Τὸ „ὡς, διασαφητικὸν, ἀντὶ τοῦ οἷον. declarat enim, „quae sit illa καταλλαγὴ, de qua loquitur, ni„mirum Deum fuisse in Christo reconciliantem „sibi mundum." — Atque Grotius ad h. l. ait: „Hic ὡς est ἐξηγητικὸν: hoc est, quod „Dei nomine annuntiamus." —

---

*) Vid. Raphelium l. c. In aliis quidem N. T. locis, v. c. 2 Cor. XI, 21. 1 Thess. II, 2. ὡς ὅτι rectius redditur: tanquam, quasi. Varia igitur his particulis vis subest; et in posteriori loco 1 Thess. II, 2. ὡς ὅτι ab aliis redditur: quod, ita ut alterutrum, sive ὡς sive ὅτι redundet. Sed nostro quidem loco maxime accommmodata est altera horum verborum potestas supra significata; nempe, vel nempe quod.

Pergit Apostolus comm. XIX.: Ὡς ὅτι Θεὸς ἦν ἐν Χριςῷ κόσμον καταλλάσσων ἑαυτῷ, μὴ λογιζόμενος αὐτοῖς τὰ παραπτώματα αὐτῶν, καὶ θέμενος ἐν ἡμῖν τὸν λόγον τῆς καταλλαγῆς. — Offendit hic primum coniunctio particularum ὡς ὅτι, quarum alterutra, quum idem fere significent, nonuullis ad sensum abundare videtur. Perperam autem delet Beza, nulla quidem testium auctoritate munitus, τὸ Ὅτι, tanquam glossema aliquod, quod postea ex albo in contextum irrepserit. — Saepius ocurrunt haec duo verba ὡς ὅτι apud Xenophontem, vel proxime coniuncta, vel ita, ut alia quaedam verba sint interiecta, notante Raphelio (in Annotatt. in N. T. ex Xenophonte ad h. l.) et Moro (in Ind. graecit. ad Xenoph. hist. graec.). Abesse autem posse in hac coniunctione voc. ὡς, salvo sensu, (etsi neutrum in textu delendum sit) contenderunt viri doctissimi, Henr. Stephanus, Wetstenius, Heumannus, Morus aliique. Contrariam autem sententiam, non proprie redundare alterutrum, etsi vertendo negligi possit, defenderunt, praeter antiquiores Erasmum, Bezam, Camerarium, Grotium rel., Hoogeveen et Zeune, viri graecissimi. Sed in constituenda vi ac potestate verbi ὡς differunt. Erasmus putat, ὡς esse αἰτιολογικὸν, pro ἐπεὶ, quandoquidem. Alii vertunt ὡς, sicut, metathesin admittentes pro ὅτι ὡς: „sicut Deus per „Christum reconciliavit sibi mundum, ita no„bis iniunxit provinciam rel.“ Quaerunt igitur hi interpretes in sententia: καὶ θέμενος ἐν ἡμῖν κ. τ. λ. apodosin. Durissime. — Praeferenda nobis videtur ratio eorum, qui ὡς ὅτι reddunt vel nempe, simpliciter, vel nempe

ctos referri hoc vocabulum voluerunt. Sine dubio κόσμος h. l. denotat universum genus humanum, sine discrimine gentium, sive sint Iudaei, sive Ethnici; respondet enim hic κόσμος τοῖς πᾶσι, comm. XIV. et XV. Κόσμον autem Apostolus dixit καθ' ὑπαλλαγὴν pro: τοὺς ἐν τῷ κόσμῳ, intellige eos, qui gratiam Dei per Christum oblatam, suscepta fide in Christum, vere admittunt. Quanquam enim Deus omnibus omnino hominibus, cuiuscunque sint generis aut nationis, favorem suum offerri, eosque grauiter admoneri iussit, ut, suscepta fide christiana, secum in gratiam redirent; solos tamen eos Deus ex sententia Apostoli existimandus est vere sibi reconciliasse, quorum animus doctrinae christianae pateret. Obtulit enim Deus per Christum fauorem suum hominibus sola sub hac lege et conditione, ut doctrinae christianae se addicerent. — Tum demum Deus est, uti Apostolus pergit, μὴ λογιζόμενος αὐτοῖς τὰ παραπτώματα αὐτῶν. — Αὐτοῖς h. l. dici ad sensum, quum antea κόσμον dixerit Apostolus, dubio caret; nam κόσμος dicitur pro ἀνθρώποις, seu τοῖς ἐν τῷ κόσμῳ. His igitur Deum, contendit Apostolus, haud imputaturum peccata ante commissa, quam fidem christianam susciperent; ea potius illis condonaturum, qui nunc per Christum secum essent reconciliati. —

Claudunt denique hoc comma XIX. verba: καὶ θέμενος ἐν ἡμῖν τὸν λόγον τῆς καταλλαγῆς. — Utut illam sententiam comm. XVIII. huic simillimam: δοὺς ἡμῖν τὴν διακονίαν τῆς καταλλαγῆς, intelligas, sive eam referas ad omnes homines,

sive ad solos Apostolos (qua de re vide, quae supra monuimus): hoc tamen certum est, quum ἡμῖν et αὐτοῖς in hocce commate sibi invicem opponantur, haec verba: καὶ θέμενος ἐν ἡμῖν τ. λόγ. τ. καταλλ. ad solos pertinere Apostolos, quibus Deus provinciam annuntiandae reconciliationis per Christum procuratae demandauerit. Deus ipse, Apostolus inquit, imposuit (τιθέναι hebr. שום) h. e. demandauit nobis (Apostolis vel Paullo ipsi) λόγον τῆς καταλλαγῆς. Hanc enim interpretationem verborum alii praeferendam existimamus, ex qua permulti post Grotium interpretes, voculae ἐν (ἐν ἡμῖν) inhaerentes, haec verba coll. Exod. IV, 15. sic reddunt: „in ore nostro posuit „λόγον καταλλαγῆς." — Grotius enim ad locum nostrum haec observat: „Ponere verba „in aliquo, aut in ore alicuius est mandata „alicui dare, Exod. IV, 15. Sic Deus Apo„stolis mandata dederat, humanum genus ad „suam amicitiam revocandi." — Res quidem eodem redit; atque recte se haberent omnia a Grotio hic observata, modo in loco nostro pro ἐν ἡμῖν esset: ἐν στόματι ἡμῶν; tum demum responderet sententia Apostoli verbis illis Exod. IV, 15. ושמת את — הדברים בפיו. — Sed non opus est his artificiis ad eruendum verum verborum sensum, modo teneamus, tum Graecos ipsos haud raro τὸ ἐν et εἰς commiscere *), ut ἔθετο ἐν ἡμῖν sit i. q. ἔθετο εἰς ἡμᾶς, uti

*) Sic Suidas habet sub voc. ἐν ᾅδου: Οἱ Ἀττικοὶ χρῶνται τῇ Ἐν ἀντὶ τοῦ Εἰς.

ctos referri hoc vocabulum voluerunt. Sine dubio κόσμος h. l. denotat universum genus humanum, sine discrimine gentium, sive sint Iudaei, sive Ethnici; respondet enim hic κόσμος τοῖς πᾶσι, comm. XIV. et XV. Κόσμον autem Apostolus dixit καθ' ὑπαλλαγὴν pro: τοὺς ἐν τῷ κόσμῳ, intellige eos, qui gratiam Dei per Christum oblatam, suscepta fide in Christum, vere admittunt. Quanquam enim Deus omnibus omnino hominibus, cuiuscunque sint generis aut nationis, favorem suum offerri, eosque grauiter admoneri iussit, ut, suscepta fide christiana, secum in gratiam redirent; solos tamen eos Deus ex sententia Apostoli existimandus est vere sibi reconciliasse, quorum animus doctrinae christianae pateret. Obtulit enim Deus per Christum fauorem suum hominibus sola sub hac lege et conditione, ut doctrinae christianae se addicerent. — Tum demum Deus est, uti Apostolus pergit, μὴ λογιζόμενος αὐτοῖς τὰ παραπτώματα αὐτῶν. — Αὐτοῖς h. l. dici ad sensum, quum antea κόσμον dixerit Apostolus, dubio caret; nam κόσμος dicitur pro ἀνθρώποις, seu τοῖς ἐν τῷ κόσμῳ. His igitur Deum, contendit Apostolus, haud imputaturum peccata ante commissa, quam fidem christianam susciperent; ea potius illis condonaturum, qui nunc per Christum secum essent reconciliati. —

Claudunt denique hoc comma XIX. verba: καὶ θέμενος ἐν ἡμῖν τὸν λόγον τῆς καταλλαγῆς. — Utut illam sententiam comm. XVIII. huic simillimam: δοὺς ἡμῖν τὴν διακονίαν τῆς καταλλαγῆς, intelligas, sive eam referas ad omnes homines,

sive ad solos Apostolos (qua de re vide, quae supra monuimus): hoc tamen certum est, quum ἡμῖν et αὐτοῖς in hocce commate sibi invicem opponantur, haec verba: καὶ θέμενος ἐν ἡμῖν τ. λόγ. τ. καταλλ. ad solos pertinere Apostolos, quibus Deus provinciam annuntiandae reconciliationis per Christum procuratae demandauerit. Deus ipse, Apostolus inquit, imposuit (τιθέναι hebr. שום) h. e. demandauit nobis (Apostolis vel Paullo ipsi) λόγον τῆς καταλλαγῆς. Hanc enim interpretationem verborum alii praeferendam existimamus, ex qua permulti post Grotium interpretes, voculae ἐν (ἐν ἡμῖν) inhaerentes, haec verba coll. Exod. IV, 15. sic reddunt: „in ore nostro posuit „λόγον καταλλαγῆς." — Grotius enim ad locum nostrum haec observat: „Ponere verba „in aliquo, aut in ore alicuius est mandata „alicui dare, Exod. IV, 15. Sic Deus Apo„stolis mandata dederat, humanum genus ad „suam amicitiam revocandi." — Res quidem eodem redit; atque recte se haberent omnia a Grotio hic observata, modo in loco nostro pro ἐν ἡμῖν esset: ἐν στόματι ἡμῶν; tum demum responderet sententia Apostoli verbis illis Exod. IV, 15. ושמת את הדברים בפיו. — Sed non opus est his artificiis ad eruendum verum verborum sensum, modo teneamus, tum Graecos ipsos haud raro τὸ ἐν et εἰς commiscere *), ut ἔθετο ἐν ἡμῖν sit i. q. ἔθετο εἰς ἡμᾶς, uti

*) Sic Suidas habet sub voc. ἐν ᾅδου: Οἱ Ἀττικοὶ χρῶνται τῇ Ἐν ἀντὶ τοῦ Εἰς.

Matth. XIV, 3. ἔθετο ἐν φυλακῇ legitur pro: ἔθετο εἰς φυλακὴν, tum partic. ἐν respondere hebr. ב et ל, ἐν ἡμῖν igitur esse pro hebr. בָּנוּ vel לָנוּ.

Itaque certus manet sensus hic: Deus imposuit h. e. demandavit, nobis τὸν λόγον τῆς καταλλαγῆς. — Plerumque λόγος redditur doctrina; λόγος τῆς καταλλαγῆς igitur esset i. q. λόγος περὶ τῆς καταλλαγῆς, doctrina de reconciliatione tradenda. Sed λόγον etiam denotare orationem, narrationem, institutionem, modum et rationem docendi, inter omnes constat. Atque hanc verbi vim ac potestatem hoc quidem loco tamquam aptiorem equidem praetulerim, ut sensus totius sententiae hic sit: „Deus „demandauit nobis provinciam annuncian„dae reconciliationis per Iesum Christum factae *)." —

Declarato nunc vero, qui nobis videtur, utriusque commatis XVIII. et XIX. sensu, pau-

*) Ingeniose satis, etsi minus vere, illustrare studuit Guilielm. Ern. Triller verba Apostoli: μὴ λογιζόμενος αὐτοῖς τὰ παραπτώματα αὐτῶν, καὶ θέμενος ἐν ἡμῖν τὸν λόγον τῆς καταλλαγῆς, ex rationibus arithmeticis, ita vertendo: „Er hat unsre Sünden abgeschrieben, hingegen seine Versöhnung auf unsre Rechnung geschrieben." Vocab. enim λόγος et λογίζεσθαι, inquit, dici de rationibus s. calculo. Ingenio sane et artificiosa ex etymologicis rationibus conformatione sensus multum superare haud diffitemur hanc versionem Trillerianam

cioribus eum complecti verbis atque liberiori aliqua exprimere παραφράσει, haud abs re erit. Comm. XVIII. — „Huius vero tantae conver-„sionis rerum, ut rectius nunc de rebus ad „religionem pertinentibus iudicare valeamus, „atque omnem vitae rationem prorsus immute-„mus, auctor est ipse Deus, qui nos sibi re-„conciliavit per Christum, h. e. effecit per „Christum, ut cognosceremus, Deum omnibus „hominibus, sive sint Iudaei, sive Ethnici, „fauorem suum offerre, sancito quidem novo „per mortem I. C. foedere, modo fruantur in-„signi illo munere, quo ipsos impertiisset, nem-„pe praeconio reconciliationis cum Deo per „Christum factae, atque pia illud mente acci-„piant; fidemque et obedientiam praestent no-„vo illi salutis ordini per doctrinam christia-„nam constituto, ipsisque per Apostolos an-nunciato.“ —

Comm. XIX. „Nempe argumentum huius „praeconii hoc est: Deus ipse reconciliavit „sibi homines, ubicunque terrarum essent, per „Christum, h. e. fauorem suum offerri iussit „primus hominibus omnino omnibus, antequam „eum rogarent, atque hunc licet fauorem, mul-

---

permulta recentioris aevi figmenta exegetica; at non opus erat, quum haec explicandi ratio universae orationis seriei manifeste repugnet, tam sedula et prolixa refutatione, quam Christoph. Wolfius, in cur. philol. et crit. ad h. l. eidem paravit.

„tis quippe peccatis contaminati, atque hostili
„fere in Deum animo adfecti, plane non meru-
„issent. Sed condonaturus iis est Deus ista
„peccata, vel gravissima, ante commissa, quam
„ad sacra christiana accesserint. Quare Deus
„gravem hanc provinciam nobis Apostolis, in-
„primisque mihi, demandavit, ut praecones
„existeremus saluberrimae illius reconciliatio-
„nis hominum cum Deo, per Christum factae,
„suasoresque essemus omnibus, ut in gratiam
„tandem cum Deo redirent, qui, averso pla-
„ne a Deo animo, tamdiu hostes illius fuis-
„sent, atque fauorem illum divinum ipsis nunc
„oblatum, suscepta quidem fide christiana, gra-
„to pioque animo admitterent, suamque ipso-
„rum salutem sedulo intentoque studio cura-
„rent.“ —

P. P. ipso Paschatos die. A. R. S.
MDCCCVI.

Particula IV.

Demandasse Deum Apostolis, inprimisque Paullo, gravem provinciam annuntiandae hominibus reconciliationis eorum cum Deo per Christum factae, qua, averso ante a Deo eorum animo, nunc tandem, suscepta quidem fide christiana, cum Deo in gratiam redeant, exposuit Paullus, Apostolus, Cap. Vti posterioris ad Corinthios epistolae comm. XIX. Ita-

que pergit nunc Apostolus atque peroraturus quasi comm. XX. et XXI. rationes ita subducit: (v. XX.) Ὑπὲρ χριςοῦ οὖν πρεσβεύομεν, ὡς τοῦ θεοῦ παρακαλοῦντος δι' ἡμῶν· δεόμεθα ὑπὲρ χριςοῦ, καταλλάγητε τῷ θεῷ (v. XXI.) Τὸν γὰρ μὴ γνόντα ἁμαρτίαν ὑπὲρ ἡμῶν ἁμαρτίαν ἐποίησεν, ἵνα ἡμεῖς γινώμεθα δικαιοσύνη θεοῦ ἐν αὐτῷ. —

In indaganda quidem genuina harum Apostoli sententiarum lectione plane non est, quod a textu vulgari recedamus, etsi haud desit in codd. graecis mira lectionis varietas, de qua in primis vide Griesbachii, Viri Venerabilis, novam editionem N. T. criticam ad h. l. Singula enim si ad trutinam artis criticae rite pensites, nihil plane in textu nostro cum aliqua veri specie in suspicionem adducas praeter τὸ ΓΑΡ sub initium v. XXI. inter τὸν et μὴ γνόντα. Nam deest hoc γὰρ in codd. utriusque recensionis antiquissimis B. C. D*. F. G. (cod. Alexandr. h. l. hiat.) praeterea in codd. 67**. 71. deinde in verss. Copt. Vulg. It. denique apud Patres latinos, Aug. Ambrosiast. Pelag. Quare et Millius hanc voc. γὰρ omissionem probat. — Atque, si in re critica sola externa sequeremur argumenta, eliminandum fere videretur illud γὰρ, licet ei faveant Patres graeci, iique in his rebus graviores, Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, quibus accedunt verss. Syriaca et Arab. polygl. (vers. Aeth. h. l. dubia est). Sed attendendum simul est ad rationes internas, quae mire fauent retinendae voculae γὰρ. Nam non nexus modo sententiarum Paullinarum requirit hoc γὰρ, verum elabi etiam facile poterat haec

vocula memoriae librariorum aut eorum oculos legendo fugere. Quare retinendum hoc γὰρ in textu nostro videtur, quum praeterea nec testium idoneorum, graecorum praesertim doctorum, quos modo excitavimus, destitutum sit auctoritate; etsi haud ignoremus, nonnunquam additas etiam fuisse in libris N. T. manuscriptis a librariis nasutioribus eiusmodi particulas, ut nexus orationis ex ipsorum quidem mente clarius illucesceret lectoribus. Sed si vel maxime prava demum librariorum sedulitate haec vocula in textum irrepserit, quod quidem a vero videtur alienum, recte tamen nunc retinetur, utpote ad sensum atque orationis συνάφειαν aptissima. — Reliquae lectiones variae hoc loco obviae, eaeque non tot tantisque testium suffultae praesidiis, v. c. δεόμενοι pro nostro δεόμεθα, porro καταλλαγῆναι pro καταλλάγητε, γενώμεθα pro γινώμεθα, sensum orationis plane non adficiunt, atque originem debere videntur mori librariorum integram aliquam sententiam inter legendum memoria excipiendi haud raro fallaci, atque propterea eundem quidem verborum sensum variis tamen formulis, vel iisdem aliter constructis, deinde membranis suis reddendi. Quare non est, cur saniorem in his textum vulgarem, eundemque gravioribus commendatum testibus deseramus. — Sed magis nos urget difficiliusque intelligitur ratio, qua orta sit prima, quae comm. XX. nobis offertur, lectionis varietas, ubi loco lectionis receptae: ὑπὲρ χριστοῦ οὖν, alia fere omnia habent praesertim codd. graeco-latini, et Patres nonnulli latini. Codd. enim D. E. F. G. le-

gunt: ὃν ὑπὲρ χριστοῦ, et versio cod. Boerner. habet: quod (sc. verbum reconciliationis — λόγον τῆς καταλλαγῆς — v. 19.) pro Christo. Iam exspectes subsequuturum: praedicamus, sive annuntiamus, sive huius generis aliud; sed mireris, ex usitata τοῦ πρεσβεύειν significatione in hac versione sequi, nullo quidem in hac verborum serie sensu, legationem (pro legatione) fungimur. Reliquae verss. latinae codd. D. E. habent aptius: pro quo Christo; cui quidem versioni alia subest lectio: οὗ (non ὃν) ὑπὲρ χριστοῦ, vel: ὑπὲρ οὗ χριστοῦ. Ambrosiaster autem legit: ὑπὲρ χριστοῦ. ὑπὲρ οὗ. Aethiopica versio itidem a textu nostro graeco abludit (vid. Bibl. polyglott. Londin. ad h. l.); sed caussa huius diversitatis non tam in alieno, quem sequuta illa fuerit, textu graeco, quam in indole interpretis ipsius minus de verbis solliciti ubique clare satis conspicua inesse videtur. — Nihil quidem nos movet multiplex haec lectionis varietas; lectio enim recepta validissimis munita est praesidiis, tam externis recensionis Alexandrinae, cuius quidem auctoritas hac in caussa longe potior habenda est, quam internis, sive e naturali sententiarum Paullinarum consequutione, sive e parallelismo membrorum petitis. Haec tantum quaestio incidit, quo tandem modo mira haec lectionis varietas in recensione codd. occidentali orta fuerit? Liceat igitur nostram qualemcunque de origine huius lectionis occidentalis sententiam strictim nunc exponere. — Pro οὖν post ὑπὲρ χριστοῦ ex incuria librarii cuiusdam extitit primum οὗ: quod quum sensu careret, alii ex antecedente formula ὑπὲρ χριστοῦ,

ante illud οὗ supplevere ὑπὲρ (ὑπὲρ οὗ), hac ipsa formula (ὑπὲρ χριστοῦ) ad comma antecedens relata. Sic Ambrosiaster. Alii autem transponendo hoc οὗ vel in medio τοῦ ὑπὲρ et χριστοῦ, collocarunt, vel anteposuerunt scribendo: οὗ ὑπὲρ χριστοῦ, pro quo Christo. Sic verss. lat. Claramont. et German. Alii denique male transmutatum hoc οὗ in ὃν retulere ad λόγον καταλλαγῆς, comm. XIX. Sic habet cod. Boernerianus, nulla sane sequentis πρεσβεύομεν ratione habita, quod modo de legatione dicitur, nunquam de annuntiata doctrina. — Si cui difficilior videatur haec istius variae lectionis origo, aliam in promtu habemus rei ex allita aliqua ad marginem glossa illustrationem. Ab eiusmodi glossis enim sensim in ipsum textum graecum illatis, turbato per has haud raro sensu ipso, non liberos esse codices vel antiquissimos, ad occidentalem praesertim recensionem pertinentes, inter omnes constat. — Nempe Eph. VI, 20. Paullus ait: ὑπὲρ οὗ (sc. εὐαγγελίου) πρεσβεύω κ. τ. λ. Quid si haec verba ad marginem loci nostri tanquam παράλληλα adscripta fuissent? Tum alii librarii, qui eiusmodi codicem descripsere, hanc glossam marginalem vel pro varia aliqua lectione, vel pro indice omissionis cuiusdam in textu ipso habere poterant, ideoque vario quidem modo hanc glossam ipsi textui inserere, vel potius ex hac textum corrumpere, sive inde componerent lectionem ὑπὲρ οὗ χριστοῦ, sive ὑπὲρ χριστοῦ, ὑπὲρ οὗ, sive οὗ ὑπὲρ χριστοῦ, prouti ὑπὲρ οὗ vel ad Christum, vel ad λόγον καταλλαγῆς retulerint. Sic denique in corrupto hoc textu οὗ ὑπὲρ χριστοῦ transmutari facile poterat in ὃν ὑπὲρ χριστοῦ. Sumta igitur

tali glossa ex loco parallelo Eph. VI, 20. explicari facile potest, meo quidem sensu, universa in hoc loco lectionis varietas. Perperam igitur Millius (Prolegg. ad edit. N. T. criticam §. 474.) breviorem lectionem: οὗ ὑπὲρ (quod quidem ad λόγον καταλλαγῆς, vers. praeced., vult referri) πρεσβεύομεν praefert ceu lectionem genuinam, atque χριστοῦ deinde demum insertum et οὗ in οὖν mutatum fuisse existimat. Obstat enim huic opinioni, praeter graviorem testium, qui lectioni vulgari fauent, auctoritatem, ipse parallelismus membrorum, qui admissa hac lectione Millii prorsus evanescit. Cui id accedit, longe facilius posse origines variarum lectionum e textu nostro, ex mea quidem sententia, duci, quam lectionis vulgaris ex breviori illa lectione a Millio recepta. Quod ad locum Eph. VI, 20., quem quidem urget Millius, attinet, ex eo sane nil efficitur, nisi hoc, potuisse Paullum nostro etiam loco sic scribere atque ὑπὲρ οὗ cum λόγῳ τῆς καταλλαγῆς ita coniungere, ac Eph. VI, 20. cum εὐαγγελίῳ. Nec denique particula transeundi οὖν carere facile potest hic ipse locus noster, quo Apostolus iis, quae antea dixerat, colophonem quasi addit, et, quae ex iis iusta ratione colligantur, subnectit. —

Vindicata nunc genuina lectione loci illustrandi, transeamus ad eruendum verum verborum sensum. — Ὑπὲρ χριστοῦ οὖν πρεσβεύομεν, inquit Apostolus comm. XX., ὡς τοῦ θεοῦ παρακαλοῦντος δι' ἡμῶν. — Quae verba quum proxime cohaereant cum ultima antecedentis com-

matis sententia: καὶ θέμενος ἐν ἡμῖν τὸν λόγον τῆς καταλλαγῆς, haec autem manifeste referenda sit, si τοῦ ἐν ἡμῖν rationem habeas, ad solos Apostolos, inprimisque Paullum (id quod sub finem praecedentis programmatis docuimus): haec et ipsa verba, universamque adeo sententiam integro hoc commate expressam, ad eosdem Apostolos referenda esse adparet. Itaque se reliquosque Apostolos, his verbis declarat Paullus, pro Christo legatione fungi. Hanc enim legationis notionem inesse verbo πρεσβεύειν constat. Proprie quidem πρεσβεύειν significat senescere; senes autem quum olim in tanto essent honore habiti, ut gravissima iis negotia committerentur, inde factum est, ut praesertim legatio ad exteras gentes earumque reges, quae ad gravissima pariter ac honorificentissima rei publicae munera referretur, hoc ipso τοῦ πρεσβεύειν et πρεσβείας nomine insigniretur *). — Quare hoc verbum in primis quadrat in Apostolos, qui legati essent Christi Deique adeo ipsius, dicerenturque ab

*) Huc pertinet glossa Hesychii: πρεσβὺς· γέροντες, βασιλεῖς, ἄρχοντες, προτιμώμενοι, καὶ οἱ πρεσβευταὶ, μεσῖται, ἀπόστολοι, ἢ ἕνεκα εἰρήνης sc. πεμπόμενοι. — De legatione autem, qua quis fungeretur, et πρεσβεύειν et πρεσβεύεσθαι usurpatur. Quare Thomas M. haec habet: πρεσβεύουσι καὶ πρεσβεύονται οἱ πεμπόμενοι εἰς πρεσβείαν. Sed varius hic obtinet usus graecorum; unde in alia abit Ammonius, cuius observationem grammaticam vid. ap. Wetsten. ad h. l.

hac ipsa legatione divina ἀπόςολοι *). — Potissimum autem quaeritur, quid h. l. significet formula ὑπὲρ χριςοῦ in utroque membro? Alii enim vertunt: propter Christum; alii: loco Christi, utrumque usu loquendi ferente. — Qui prius sumunt, hunc verbis sensum subiicere solent: Christi sumus legati atque in caussa Christi eiusque doctrinae hominibus commendandae missi. Voc. ὑπὲρ enim genitivo praepositum in formula ὑπὲρ τινὸς πρεσβεύειν plerumque eum indicat, a quo missus est legatus, seu potius cuius caussa a legato agitur **). Hoc sensu Paullus adfirmat Eph. VI,

*) Arabs polyglott. πρεσβεύομεν reddit: نتشفع, Precamur, ac si πρεσβεύομεν sit i. q. δεόμεθα in altero membro. Non male; sic enim accurate sibi responderet utrumque membrum; modo haec verbi πρεσβεύειν potestas firmetur usu graecorum. Sed destituitur illo usu haec verbi vis, quantum equidem sciam, nisi confugias ad Patres graecos, v. c Gregor. Naz., etsi haud ignorem, πρεσβείαν nonnunquam significare deprecationem, nempe legatorum v. c. de paciscenda pace, Luc. XIV, 32 — Idem Arabs mire vertit in sequente sententia: ὡς τȣ̃ θεȣ̃ παρακαλȣ̃ντος δι' ἡμῶν, τὸ παρακαλεῖν, redimere; adhibet enim verbum فكّ (pro فدي, hebr. פדה) et vertit: „ac si redimeret vos „Deus per nos;“ quasi loco παρακαλȣ̃ντος legisset ὡς τȣ̃ θεοῦ ἀπολυτρȣ̃ντος ὑμᾶς δι' ἡμῶν, nulla quidem verbis subiecta sententia. Has dispellere tenebras criticas mihi non contigit esse tam felici. At mendum aliquod in apographo Arab. Polyglott. latere videtur. —

**) Quam formulae ὑπὲρ τινὸς vim pluribus locis

20. ὑπὲρ οὗ (sc. εὐαγγελίου) πρεσβεύω ἐν ἁλύσει — Sine dubio hanc ipsam vocis potestatem spectant, qui ὑπὲρ χριστοῦ reddunt: nomine Messiae; nam qui ab aliquo mittitur, cuius caussam agat, nomine illius agit. Ita bene Grotius hunc locum commentatur: „Christus Dei no„mine hoc annuntiavit, nos vero Christi nomi„ne, quippe ab ipso in hoc munus substituti. „Christi igitur nomine rogamus: redite cum „Deo in gratiam.“ Atque in hunc sensum recte allegatur locus Ioh. XX. 21. καθὼς ἀπέσταλκέ με ὁ πατὴρ, κἀγὼ πέμπω ὑμᾶς. Iussit igitur Christus discipulos suos suo nomine legatione fungi. — Potest quidem posterior haec formulam ὑπὲρ χριστοῦ explicandi ratio ad alteram quoque vim voc. ὑπὲρ τινὸς, qua loco alicuius significat, quodam modo referri, ex eaque illustrari; sed non est necesse, nec accurate dicitur. Qui enim posterius sumunt atque ὑπὲρ χριστοῦ loco Christi reddunt, τὸ ὑπὲρ h. l. statuunt proprie esse i. q. ἀντὶ, hoc quidem sensu: „Christus erat legatus Dei; hoc autem rebus humanis nunc erepto, nos Apostoli eius vicem gerimus, tanquam legati Dei ad homines.“ — Hunc in modum interpretatus est haec verba Chrysostomus *): Ὑπὲρ χριστοῦ οὖν πρεσβεύομεν· τοῦτ' ἔστιν, ἀντὶ τοῦ χριστοῦ· ὑ-

---

ex Aeschine, Demosthene, Dionys. Halic. illustravit Kypke in Obss. sacr. in N. T. libros T. II. ad h. l.

*) Homil. XI. in ep. poster. ad Corinth. ed. Montfauc. Tom. X. p. 517.

μεῖς γὰρ ἀνεδεξάμεθα τὰ ἐκείνου. — Pariter **Theophylactus** *) haec verba explicat: Ὑπὲρ χριςοῦ, τοῦτ' ἐςὶν, ἀντὶ τοῦ χριςοῦ πρεσβεύομεν. ὅπερ γὰρ ἔμελλεν ἐκεῖνος ποιεῖν, ἡμεῖς ἀνεδεξάμεθα νῦν· καὶ ὥσπερ δι ἐκείνου παρεκάλει ἡμᾶς ὁ πατὴρ, οὕτω καὶ νῦν δι ἡμῶν παρακαλεῖ, ἵνα καταλλάγητε αὐτῷ. — Eundem sensum exprimit **Oecumenius** **) his verbis: Ὑπὲρ χριςοῦ, φησὶ, πρεσβεύομεν· τὸ γὰρ αὐτοῦ ἔργον ἀνεδεξάμεθα. ἀντὶ χριςοῦ οὖν ἡμεῖς πρεσβεύομεν, ὡς τοῦ πατρὸς παρακαλοῦντος δι ἡμῶν. οὔτε γὰρ διὰ τοῦ χριςοῦ μόνον παρακαλεῖ, ἀλλὰ τούτου ςαυρωθέντος δι ἡμῶν νῦν παρακαλεῖ. — Atque hanc doctorum graecorum formulam ὑπὲρ χριςοῦ explicandi rationem plerique posterioris aevi interpretes ad hanc usque aetatem sequuti sunt. Nec diffitemur, posse hanc φράσιν, fauente et usu loquendi et ipso sententiarum Paullinarum nexu, commode h. l. ita intelligi. Plura tamen sunt, quae alteram vocis potestatem paullo ante illustratam, praesertim si ὑπὲρ χριςοῦ in utroque membro reddas: nomine Christi, praeferendam suadeant. Primum commendat hunc sensum locus παράλληλος Eph. VI, 20. ὑπὲρ οὗ πρεσβεύω ἐν ἁλύσει, ubi ὑπὲρ οὗ sc. εὐαγγελίου sine ullo dubio significat: cuius Evangelii caussa legatus sum in vincula nunc coniectus. Deinde facilius, admisso hoc sensu verborum,

---

*) In Commentar. ad h. l. in opp omn. ed. Venet. (1755.). Tom. II. p. 272.

**) In Commentar. ad h. l. ed. Paris. (1630.) p. 639.

fluere videntur sequentia: ὡς τοῦ Θεοῦ παρακαλοῦντος δι' ἡμῶν. Denique subiecta hac formulae sententia hoc emergit commodum, ut per integrum orationis Paullinae segmentum hactenus a nobis illustratum eadem modo voc. ὑπὲρ, potestas: pro, propter, retineatur, atque ne in ullo quidem loco altera vocis vis pro ἀντὶ (loco alterius), quam quidem h. l. obtinere paullo faciliores (Progr. I. p. 9.) concessimus, admittatur. Nam nec comm. XXI. in formula ὑπὲρ ἡμῶν hanc vim vocis regnare, infra docebimus. Quibus permoti argumentis priori formulam ὑπὲρ χριςοῦ explicandi rationi adhaerere nulli dubitamus. —

Apostolus quum adseverasset his verbis, se cum reliquis Apostolis legatos esse Christi, qui caussam illius agant inter homines, iisque doctrinam salutarem nomine Iesu commendent, addit: ὡς τοῦ Θεοῦ παρακαλοῦντος δι' ἡμῶν. — Verbum παρακαλεῖν h. l. proprie non esse, etsi multi ita velint, precari, quippe quod neque rei ipsi neque Deo convenit, neque invitare *), quum hoc ex usu loquendi N. T. potius sit καλεῖν quam παρακαλεῖν, sed exhortari, admonere, vix est, quod moneam. Deus enim erat διδοὺς τὴν διακονίαν τῆς καταλλαγῆς, v. 18. atque Θέμενος ἐν αὐτοῖς (sc. ἀποςόλοις, τοῖς πρεσβεύουσι) τὸν λόγον τῆς καταλλαγῆς, v. 19. —

*) Ita Ven. Stolz vertit: Gott selbst ladet durch mich die Menschen an sich ein.

Quare Theodoretus *), recte monere mihi videtur, haec ab Apostolo dici, ut doceat, summa fide dignam esse suam legationem, utpote divinam. — Exercet autem quammaxime interpretes in explicanda hac Apostoli sententia particula ὡς ante τοῦ Θεοῦ παρακαλ., quae nimirum hoc quidem loco tribuenda ei sit vis atque potestas. Plerumque vertunt: Deo quasi per nos exhortante. Sed Deus ex sententia Apostoli non quasi (nisi sit quasi i. q. utpote, tanquam), sed vere et impense hortatus est homines per Apostolos, in primisque Paullum, sive hoc sive illo modo explicetur illud ὑπὲρ χριστοῦ. Quo demum cunque enim modo intelligas hanc formulam, Deum adseverat Paullus per se reliquosque Apostolos, tamquam legatos suos, vere admonere homines. Inest enim clare in hoc enuntiato Apostoli sententia haec: „Quum nos exhortamur „homines, hoc ii sic accipere debent, ac si „Deus ipse eos exhortetur.“ — Quare τὸ ὡς nobis est h. l. adseverantis et ἐξηγητικὸν, atque vertendum esse videtur: vere, utpote i. q. ἀληθῶς, ὄντως, coll. Matth. VII, 29. Ioh. I, 14. I. Cor. V. 3. II. Cor. II, 17. Phil. II, 7. Hoc sensu ὡς respondet hebr. כ, quod et veritatem rei nonnunquam exprimit. Vnde Hesychius habet: ὡς· ὄντως, ἀληθῶς. Et Scholiastes Sophoclis ad Oedip. vs. 555. docet, τὸ

*) Verba Theodoreti in Commentar. ad h. l. (Opp. ed. Noesselti T. III. p. 317.) haec sunt: δεικνὺς τῆς πρεσβείας τὸ ἀξιόπιστον ἐπήγαγεν· ὡς τοῦ Θεοῦ παρακαλοῦντος δι' ἡμῶν.

ὡς ἀντὶ τοῦ ὅτι sumi. Triclin. ad Electr. vs. 1188. τὸ ὡς ἀντὶ τοῦ ὄντως. Eodem sensu occurrit ὡς apud Herodian. l. I, c. 9. (θεάματα — — ἀθροίζεται, ὡς εἰς βασιλίδα πόλιν πανηγυρίζουσαν *). Alii autem ως h. l. significare existimant ut, adeo ut, atque esse pro ἵνα, ὥςε, coll. Marc. IV, 27. Luc. IV, 25. (uti hebr. אשר 1 Sam. III, 11. II. reg. IX, 37.) atque Aeschin. Socr. dial. II, 1. 13. III, 13. et Xenoph. de republ. Lacedaem c. V. §. 2. 8. **). Sensum igitur sententiae subiiciunt hunc: adeo ut Deus per nos hortetur. —. Alii denique voc. ὡς h. l. plane redundare putant, uti saepius, (vid. Schleusneri Lexic. l. c.) saltem peculiari destitui h. l. potestate, ut vertendo possit prorsus negligi. — At quum huic voculae ὡς nativa insit vis, eaque paullo ante primo loco declarata, quae commodum h. l. sensum fundat, cur haec h. l. negligatur, plane non intelligimus. Quae denique vocis potestas (vere, utpote) quum et ipsa in N. T. usitatior sit, hacque loco nostro admissa mollius fluere videatur oratio Paullina, quam accepta altera significatione (adeo ut), haud inique praeferenda illa nobis videtur. —

---

*) Cf. Alberti obss. philolog. in sacros N. F. libros. et Baueri philologia Thucyd. Paullina. p. 161.

**) Cf. Elsneri obss. sacr. in N. F. libros. T. I. p. 139. et Schleusneri Lexic. N. T. Tom. II. sub voc. ὡς.

Pergit Paullus in altero comm. XX. membro ad argumentum exhortationis divinae sibi reliquisque Apostolis tanquam legatis Christi adeoque Dei ipsius ad homines demandatae: δεόμεθα, inquit, ὑπὲρ χριστοῦ, καταλλάγητε τῷ Θεῷ. — Quae quidem verba quum plerumque ad Corinthios ipsos directa existimentur, quippe sic reddita: Christi nomine Vos [quod quidem in textu graeco haud expressum est] rogamus, ut patiamini Vos Deo reconciliari: mirum non est, antiquiores interpretes retulisse haec verba ad fideles, h. e. ad eos, qui iam ad sacra christiana transiissent, quales fuissent Corinthii, quibus haec scripsisset Apostolus. Quibus quum καταλλαγὴ commendetur, cogitandum hoc loco esse existimant de quoditiana remissione peccatorum, ad quam adspirent Christi adseclae. Materiam inde disputandi repetierunt hi interpretes, qui singula ad opiniones dogmaticas revocare solerent, v. c. Calvinus (in commentario in epp. Paullinas, ad h. l.) contra Pontificios. Sed frustra. Nam in universo hoc segmento hactenus a nobis illustrato Apostolus describit novam religionis christianae οἰκονομίαν omnino atque provinciam Apostolorum hanc novam religionis formulam aliis, qui hucusque aut Iudaei aut Ethnici fuissent, [itaque non iis, qui religione christiana iam essent imbuti], tradendi et commendandi: Hos igitur, sanioris doctrinae hucusque expertes, [non eos, qui iam Christiani facti fuissent], inquit Paullus, admonere Apostolos, ut, admissa quidem doctrina christiana, sese patiantur Deo reconciliari. Qua-

re Apostolus in universa hac orationis serie nunquam pronomine ὑμεῖς utitur, sed κόσμου modo mentionem facit v. XIX. Vnde adparet, illud καταλλάγητε non proprie referendum esse ad ipsos Corinthios aliosque, qui religionem christianam iam recepissent; sed ad eos potius homines, qui meliorem religionem hucusque ignorassent, quibusque igitur ab Apostolis, tamquam legatis Dei, acclamandum sit, ut, accepta quidem doctrina Iesu Christi, patiantur se Deo reconciliari: hoc enim munus pertinere ad διακονίαν τῆς καταλλαγῆς Apostolis demandatam. Quae quum ita sint, verba Apostoli: δεόμεθα ὑπὲρ χριστοῦ, καταλλάγητε τῷ θεῷ, plane non licet vulgari modo vertere: Christi nomine Vos rogamus, ut patiamini vos Deo reconciliari; sed sententia Apostoli potius sic tenenda est: „Christi nomine rogamus „eos, quibus doctrinam Iesu tradimus et com„mendamus, ut per ipsam hanc doctrinam „Deo reconciliari sese patiantur, h. e. cum „Deo, emendatis ipsorum animis, in gratiam „redeant.“ — De ipsa formula: καταλλάγητε τῷ θεῷ, quae illi Matth. V, 24. διαλλάγηθι τῷ ἀδελφῷ (in gratiam redi cum altero) accurate respondet, non est, quod hoc loco plura moneamus, quum de vera καταλλαγῆς notione prolixe satis exposuissemus in praeced. progr. (III.). Quibus positis ac praemissis facilis est sensus formulae: καταλλάγητε τῷ θεῷ: Admittite oblatam vobis amicitiam Dei cum remissione peccatorum coniunctam, seu quod idem est: Accipite doctrinam Iesu, qua vobis offertur amicitia Dei et venia peccatorum. Itaque haud differt re ipsa haec formula καταλ-

ἀγητε τῷ Θεῷ ab illa, in Actis Apostol. saeius obvia: μετανοεῖτε καὶ πιςεύετε. — Recte raeterea monet Chrysostomus *): Ουκ ῖπε, καταλλάγητε ἑαυτοῖς τὸν Θεόν. οὐ γὰρ ἐκεῖνος ῖιν ὁ ἐχθραίνων, ἀλλ' ὑμεῖς. Θεὸς γὰρ οὐδέποτε ἐχ-ραίνει. — Eandemque sententiam repetit Theohylactus ad h. l. (loc. cit.). — Disputant enique interpretes de constituendo sententiaum Paullinarum hoc commate contentarum exu earumque recta interpunctione. Ne vero is interpretum artificiis iusto longius immoreıur, transimus Bezam et Erasm. Schmidium tque subsistimus modo in ea membrorum conunctione, quam commendavit Kypke (obss. acr.) ad h. l. — „Verba, ait, quae post „ὡς sequuntur usque ad finem versus, defini-„tionem continent, quibus definitum τὸ πρεσβεύ-„ειν explicatur. Iam deleo colon [post δι' ἡμῶν] „et voculam ὡς construo cum verbo δεόμεθα, „verbis τοῦ Θεοῦ παρακαλοῦντος δι' ἡμῶν in paren-„thesi positis." — Ingeniose quidem; sed duius et praeter omnem usum Paullinum verbis ta interpunctis separatur ὡς a proxime sequene τοῦ Θεοῦ et male coniungitur demum cum δεόμεθα. Sic valde impeditur oratio Paullina, omnisque evanescit parallelismus membrorum e consueta verborum interpunctione satis conspicuus. Itaque non est, quod a vulgari hac interpunctione, quae iusta orationis partitione

*) Homil. XI., in epistol. II. ad Corinthios ad h. l.

egregie sese commendat, recedamus. Sed satis de his!

Reconciliationem vero cum Deo quo gravius commendet Apostolus, commemorat comm. XXI. maximum illud beneficium, morte praesertim Servatoris Optimi hominibus praestitum, quod quidem, quo luculentius insignem Dei erga homines fauorem demonstret, nos omnes in summam Numinis admirationem rapiat. Τὸν γὰρ μὴ γνόντα ἁμαρτίαν, pergit Apostolus, ὑπὲρ ἡμῶν ἁμαρτίαν ἐποίησεν, ἵνα ἡμεῖς γινώμεθα δικαιοσύνη θεοῦ ἐν αὐτῷ. — Prima huius commatis verba continent emphaticam περίφρασιν Iesu Christi, qui nullius sibi peccati conscius erat liber potius a peccatis, (ἁμαρτίας ἐλεύθερος, interprete Theodoreto ad h. l.) eorumque plane expers; Ioh. VIII, 46. 1 Petr. II, 22. Formula igitur μὴ γνοὺς ἁμαρτίαν non omnem excludit peccati cognitionem, sed innuit modo, experiundo Iesum non cognovisse peccata, ab iisque tam alienum eundem fuisse, ac si, quid peccatum sit, prorsus ignoraret. Recte explicat Chrysostomus (l. c.) τὸν μὴ γνόντα ἁμαρτίαν per οὐδὲν ἠδικηκότα, quod per μείωσιν dictum sit pro τὸν αὐτοδικαιοσύνην ὄντα. — Res per se clara est, et ἀναμαρτησία I. C., hoc quidem sensu, facile conceditur; sed nimis curiosa fuit disputatio Theologorum de ἀδυναμίᾳ peccandi, quam proprie voluerunt esse hanc ἀναμαρτησίαν I. C. Sed dudum explosum est severius hoc antiquiorum Theologorum δόγμα a Theologis recentioris aevi cordatioribus, v. c. Doederlino, Moro, aliisque. — Hunc Iesum peccati omnis expertem, inquit Apostolus,

ὲρ ἡμῶν ἁμαρτίαν ἐποίησεν sc. ὁ Θεὸς, quae
idem ellipsis tam ex ultimis commatis prae-
dentis verbis, quam ex ipsa rei natura fa-
e suppletur. — Formula ὑπὲρ ἡμῶν plerum-
ιe redditur loco nostro s. nostra vice, ut ὑ-
ρ h. sit pro ἀντὶ. Posse quidem hanc formu-
m ita explicari nemo negat; sed nullam pla-
: videmus necessitatem, ei hoc quidem loco
ınc vim tribuendi, neque in formula ὑπὲρ
ὄντων, comm. XIV. et XV. (de qua vide com-
entationem nostram in progr. I.), neque in
ırmula ὑπὲρ χριστοῦ comm. XX. (id quod paul-
ı ante docuisse nobis videmur), neque deni-
ue in re ipsa h. l. descripta, de qua postea
ıdebimus. Formula potius ὑπὲρ ἡμῶν, quae
ɔties in epistolis Paullinis redit, semper sig-
ificat: pro nobis, nostra caussa, in commo-
um nostrum. Quare, cur hoc quidem loco a
otissima hac formulae vi ac potestate receda-
ıus, eique aliam, eamque prorsus insolitam
ribuamus, plane non intelligimus. — In hoc
utem maxime res vertitur, quid significare vo-
uerit Apostolus verbis: ἁμαρτίαν ἐποίησε, in
ɥuorum sensu constituendo in varias sane par-
es abiere interpretes. Audiendi vero, nostra
ɥuidem aetate, plane non sunt, qui per ἁμαρ-
·ίαν h. l. σάρκα intellexere, statuentes, Christum
ɔropterea factum dici peccatum, qui carnem
ı. e. humanam naturam propter peccata no-
ıtra adsumserit. Quo pertinet Gregorius Nys-
ıenus, qui Orat. VI. contra Eunom. ait:
ἁμαρτίαν ὀνομάζει τὴν σάρκα τοῦ χριστοῦ; et
Theophanes, qui Homil. III. inquit: δι' ἡμᾶς
ἁμαρτίαν γενέσθαι τὸν κύριον μαρτυρεῖ ὁ Ἀπόστο-
λος, ἐπειδὰν τὴν ἁμαρτικὴν ἡμῶν φύσιν ἀνέλα-

βε *). Menti horum virorum forte obversabatur locus Apostoli, Rom. VIII, 3. ὁ θεὸς τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν πέμψας ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας καὶ περὶ ἁμαρτίας κατέκρινε τὴν ἁμαρτίαν ἐν τῇ σαρκί. Sed nihil prorsus valet iniqua locorum S. S. male intellectorum ad pias homiletarum meditationes conformatio ad iustam difficilium locorum sacrorum interpretationem. — Est modo duplex haec verba (ἁμαρτίαν ἐποίησε) interpretandi ratio, quae attentionem nostram mereatur: altera, ex qua ἁμαρτία est i. q. θυσία ἁμαρτίας, sacrificium piaculare; altera, qua ἁμαρτία h. l. idem est, quod ἁμαρτωλὸς, scelestus, facinorosus. Disquirendum modo est sollicite, utra sit, tanquam loco nostro aptior, alteri praeferenda. — Utram vero sumas, non opus est, ὡς ante ἁμαρτίαν cum nonnullis supplere; impropria enim et mere comparativa huius sententiae vis ac ratio ex ipsa re intelligitur, sive ποιεῖν h. l. constituere, decernere, sive exhibere, reddere, tractare vertas, coll. hebr. עשה, quod idem multiplicem admittit sensum.

Plerique sane interpretes per ἁμαρτίαν intelligunt sacrificium piaculare, piaculum, ut sit pro θυσία ἁμαρτίας, sacrificium pro peccatis oblatum, coll. Hebr. IX, 28. Ita enim et apud Hebraeos dici חטאה aut אשם pro זבח חטאה, e. g. Exod. XXIX, 14. Levit. VII, 2. Ps. XL, 7. Ἁμαρτίαν igitur h. l. idem esse existi-

*) Similiter Greg. Nyss. Orat. VI. c. Eunom. ἁμαρτίαν Rom. VI, 10. commentatur: „ἀπέθανε τῇ ἁμαρτίᾳ, τουτέστι, τῷ σώματι." —

mant, quod alibi περὶ ἁμαρτίας sc. θῦμα, s. θυσία, quae et ipsa formula graeca in vers. Alexandr. respondeat hebr. חטאת et אשם, Levit. V, 8. 9. VI, 23. Num. VIII, 8. Quare hi interpretes censent, sententiae Apostoli: ἁμαρτίαν ἐποίησεν (Ιησ. χριςὸν ὁ θεὸς) hunc subesse sensum: Deus decrevit Iesum Christum sacrificium piaculare pro hominibus. Atque ita reddi posse haec verba per se spectata, ex rationibus iam adductis dubio caret. Quare non mirum est, tot viros doctos et antiquioris et recentioris aevi huic verborum interpretationi maxime fauisse. — E. Patribus graecis huc pertinet Cyrill. Alexandr., qui libr. IX. adv. Iulian. locum nostrum sic commentatur: τὸν μὴ γνόντα ἁμαρτίαν ὑπὲρ ἡμῶν ἁμαρτίαν ἐποίησεν, κ. λ. θῦμα γὰρ γέγονεν ὑπὲρ ἁμαρτίας. ὠνομάζοντο δὲ αἱ ἁμαρτίαι τὰ ὑπὲρ ἁμαρτιῶν σφαζόμενα *). Oecumenius, quamquam ipse huic sententiae non fauet, alios tamen ita verba interpretari refert **). Ἄλλοι, inquit, οὕτως ἡρμήνευσαν· ἁμαρτία λέγεται τὸ ὑπὲρ ἁμαρτιῶν θῦμα. Eodem modo Pelagius ***) commentatur hunc locum: „Christus, qui absque peccato erat,

*) Plura loca e Cyrill. Alexandr. huc spectantia collecta vid. in Casp. Suiceri thesauro eccles. T. I. sub voc. ἁμαρτία.

**) In Commentar. in II. ep. ad Corinth. ad h. l. ed. Paris. (1639.) p. 639.

***) In Commentariis in epp. Paullinas (Hieronymo falso tributis) ad h. l. in Hieronymi Opp. Tom. V. ed. Martiani p. 1022.

„pro nobis dicitur factum peccatum, quia pro „peccatis nostris mortuus est. Pater pro no„bis Christum, qui peccatum nesciebat, pec„catum fecit, hoc est: sicut hostia pro „peccato oblata peccatum vocabatur in lege, „ut in Levitico scriptum est: et imponet ma„num super caput peccati sui: ita et Christus „pro peccatis nostris oblatus peccati nomen „accepit. — Similiter Ambrosiaster, (Hilarius) Augustinus, Sedulius aliique de loco nostro censent. Theologorum posteriorum, qui idem sensere, magnum numerum recenset Heumannus *); quibus e recentioribus accessere doctissimi interpretes haud pauci, velut Zachariae, Semlerus, Michaelis, Schulzius, Storrius, ipse denique Stolzius **). — Quamquam autem certum est, ἁμαρτίαν de sacrificio pro peccatis oblato explicari posse, errant tamen ii viri docti, qui necessitatem adeo huius sensus ex verbo ποιεῖν tueri student, quoniam ποιεῖν θυσίαν (hebr. עשׂות זבח) proprie dicatur de sacrificiis. Recte quidem; sed tum ποιεῖν θυσίαν est offerre sacrificium; quod autem prorsus alienum est a Deo, qui profe-

---

*) In opere prolixo: Erklärung d. N. T. Tom. XI. ad h. l.

**) In elegantissima versione verba ita reddens: „Den, der sich keiner Sünde bewuſst war, „lieſs er ein Sündopfer für uns werden.“ Aliter autem, et, mea quidem sententia, rectius in notis ad h. l. commentatur: „Gott gab „Christum dem Schicksale eines Missethäters „preis.“

cto dici non potest Christum sibi ipsi obtulisse sacrificium. Sed ne vera quidem, nedum necessaria, nobis videtur haec verborum explicatio. Nam in posteriori huius commatis membro, quod cum priori arctissime cohaeret, addit Apostolus: ἵνα ἡμεῖς γινώμεθα δικαιοσύνη θεοῦ ἐν αὐτῷ. In quo quum δικαιοσύνη θεοῦ, quod oppido ex oppositione τῆς ἁμαρτίας dicitur, non possit de sacrificio aliquo explicari, quod quidem infra docebimus, sed manifesto dicatur μετωνυμικῶς (metonym. abstr. pro concr.), δικαιοσύνη pro δίκαιοι, planissime adparet ἁμαρτίαν (in formula: ἁμαρτίαν ἐποίησε) ex ratione oppositi, non minus esse μετωνυμικῶς intelligendam (ἁμαρτία pro ἁμαρτωλὸς), nec posse de sacrificio piaculari explicari, inprimis quum ἁμαρτία in proxime praecedente enuntiato (τὸν μὴ γνόντα ἁμαρτίαν), quod cum sequentibus verbis: ὑπὲρ ἡμῶν ἁμαρτίαν ἐποίησε, unam efficit sententiam, proprie sit peccatum, et aliter explicari plane non possit. Quare per omnia accedimus Conr. Vorstio, qui scite ad h. l. observat *): „Etsi hoc de hostia pro peccato in„telligi potest, quam Hebraei ascham vocant: „tamen et praecedens emphasis, et sequens „antithesis omnino postulare videntur, ut me„tonymice de peccatore seu facinoroso inter„pretemur: non quod Christus re vera talis „fuerit, sed quod perinde tractatus est.“ — Itaque ἁμαρτία h. l. ἐμφατικῶς dicitur pro insigni peccatore, homine maxime scelerato,

---

*) in Commentar in omnes epist. apostol. Amsterd. 1631

(quemadmodum etiam ex usu latinae linguae scelus pro homine maxime scelesto dicitur), pari sane ratione, ac Gal. III, 13., Christus κατάρα dicitur pro κατάρατος. Innuit enim Apostolus his verbis atrocissimum crucis supplicium Iesu, τῷ δικαίῳ, decretum, quo famosi adficerentur latrones. Iesus igitur, inquit Apostolus, qui vere δίκαιος esset, tractabatur ut ἁμαρτωλὸς, eo quidem consilio, ut nos, vere ἁμαρτωλοὶ, tanquam δίκαιοι tractari possemus. — Nec videtur Apostolus Iesum h. l. ἁμαρτίαν dicturus fuisse, nisi ingenioso aliquo verborum lusu adductus: „Christus, etsi non novisset „ἁμαρτίαν, ipse tamen factus est ἁμαρτία." Quare nec reprehendenda adeo videtur versio Lutheri: „Gott hat den, der von keiner Sün„de wuſste, für uns zur Sünde gemacht." Voluit enim vir magnus hoc ipsum verborum acumen vertendo exprimere, etsi ingenium linguae nostrae non ita ferat, ac graecae et hebraicae. — Itaque verum hunc verborum sensum iam praeiuere antiquiores interpretes graeci. Sic Chrysostomus (l. c.) haec habet: „ἁμαρτίαν ἐποίησε· τουτέστιν, ὡς ἁμαρτωλὸν καταχριθῆναι ἀφῆκεν, ὡς ἐπικατάρατον ἀποθανεῖν. ἐπικατάρατος γὰρ ὁ κρεμάμενος ἐπὶ ξύλου." — Theodoretus (l. c.) verba sic παραφράζει: „ἁμαρτίας γὰρ ἐλεύθερος ὢν τὸν τῶν ἁμαρτωλῶν ὑπέμεινε θάνατον, ἵνα τῶν ἀνθρώπων λύσῃ τὴν ἁμαρτίαν, καὶ τοῦτο κληθεὶς ὅπερ ἦμεν ἡμεῖς, ἐκάλεσεν ἡμᾶς ὅπερ ὑπῆρχεν αὐτὸς." — Pariter Theophylactus (l. c.) sensum verborum ita exprimit: „Τὸν μὴ γνόντα ἁμαρτίαν, τουτέστι, τὸν αὐτοδικαιοσύνην ὄντα, ὑπὲρ ἡμῶν ἐποίησε θανεῖν ὡς ἁμαρτωλὸν καὶ κακοῦργον. Ἐπικατάρατος γὰρ ὁ κρεμάμενος ἐπὶ ξύλου. καὶ, με-

τὰ ἀνόμων ἐλογίσθη. Καὶ οὐκ εἶπεν, ὅτι ἁμαρτωλὸν ἐποίησεν, ἀλλὰ, ἁμαρτίαν, ὅπερ ἐςὶ μεῖζον." — Ooecumenius denique (l. c.) eandem rationem sequitur: „ἁμαρτίαν ἐποίησε, τουτέςιν, ὡς ἁμαρτωλόν τινα κατάδικον εἴασε ςαυρωθῆναι." — Quos antiquiores interpretes deinde recte sequuti sunt praestantissime recentiores. Beza, Grotius, (quicquid contra monuerit Calovius in bibl. illustr.) Glassius, Er. Schmidius, Io. Vorstius (de hebraismis N. T.), Lockius, Moshemius, Tellerus, Schleusnerus, alii. — De vero igitur horum verborum sensu grammatico dubitare vix licet. Sed gravior nunc incidit quaestio, quo tandem modo Deus dici queat Christum, sanctum illum quidem et innocentem, qui nihil sane deliquerit, tractasse tamquam peccatorem et facinorosum? Hoc enim ab infensissimis inter Iudaeos I. C. hostibus ei accidisse constat, quibus potissimum instigantibus a Pilato in crucem actus sit. Atque excusandi sane essent atrocissimi hi hostes Iesu, si a Deo ipso fuissent ad hoc facinus impulsi. Sed salva res est. Saepius enim sacris in literis aliquid fecisse ipsi dicuntur, qui hoc modo fieri ab aliis permiserunt *). Bene hoc iam vidit Chrysostomus, qui l. c. ἁμαρτίαν ἐποίησε recte παραφράζει: ὡς ἁμαρτωλὸν καταχριθῆναι ἀφῆκε. Quem sequitur Oecumenius l. c. verba ita circumscribens: ὡς ἁμαρτωλόν

---

*) Quam in rem vid. Glassii philolog. sacr. ed. Dathe, Tom. I. p. 207., ubi haud pauca collecta sunt S. S. loca ad hunc sensum referenda.

τινα καὶ κατάδικον ἕιασε ςαυρωθῆναι. Graviter igitur errant, vel incautius saltem loquuntur, qui, antiquae quidem formulae doctrinae paullo tenaciores contendunt: decrevisse Deum hoc supplicium Christo, ut peccata nostra lueret; quum Deus illud permisisse modo, sapienti quidem, et nobis salutari consilio recte dici queat. — Quare, hic tandem verborum Apostoli sensus statuendus est: „Deus Christum „innocentem tamquam facinorosum ab illius „hostibus tractari atque in crucem agi passus est.“

Peculiare autem Deum in permittendo hoc supplicio I. C, atrocissimo sequutum fuisse consilium, Apostolus sub finem commatis his verbis enuntiat: ἵνα ἡμεῖς γινώμεθα δικαιοσύνη θεοῦ ἐν αὐτῷ. Voc. ἵνα h. l. manifesto est τελικὸν, si mentem Apostoli spectes; etsi ab aliis, qui subtilius super argumento S. S. philosophari soleant, ἐκβατικῶ; explic. possit, hoc fere modo: Commemoratam h. l. δικαιοσυνην solum fuisse faustum supplicii Christi euentum, qui vero ab Apostolo pro istius quidem aeui ingenio pro ipso consilio mortis I. C. habitus sit. — Sed pro nostri, quod in hacce scriptione academica persequimur, consilii ratione solum curamus sensum Apostoli, de quo quidem in hoc enuntiato nullus est dubitandi locus. — Magis exercuit hucusque interpretes formula δικαιοσύνη θεοῦ, quae nempe vis ei subiecta sit atque potestas. — Primum monemus, certo sumi posse, si contextam quidem sine cupiditate consulamus orationem, δικαιοσύνη θεοῦ μετωνυμικῶς (per. metonym. abstr. pro concr.) dici pro: δίκαιοι θεοῦ h. e. παρὰ τῷ θεῷ seu ἐνώπιον τοῦ θεοῦ, aeque ac paullo ante ἁμαρτία pro ἁμαρτωλὸς. Neque profecto vsus fuisse

videtur Apostolos duriori hac metonymia, nisi fuisset, uti supra iam monuimus, ingenioso aliquo verborum lusu ad eam quasi inuitatus. Chrysostomus igitur (l. c.) verba ἵνα ἡμεῖς γινώμεθα δικαιοσύνη θεοῦ recte circumscribit: ἵνα τους ἁμαρτωλοὺς ποιήσῃ δικαίους. — Existimarunt quidem nonnulli interpretes, velut Io. Dav. Michaelis *) et Io. Chr. Fr. Schulzius **), qui ἁμαρτίαν de sacrificio piaculari volunt intelligi, etiam in voc. δικαιοσύνη θεοῦ latere aliquam sacrificii notionem. Nam δικαιοσύνην esse ex ratione oppositionis i. q. θυσίαι δικαιοσύνης, id quod accurate respondeat זבחי רצק Ps. LI, 21, sacrificia eucharistica; זבח autem aeque ac θυσία saepius omitti, coll. Waltheri ellips. hebr. sub v. זבח. Vertendum igitur hi viri docti putarunt locum nostrum: „Christus pro „nobis factus est sacrificium piaculare, ut nos „ipsi fieremus sacrificia eucharistica Deo obla-„ta;" atque sic accurate convenire locum nostrum cum alio Rom. XII, 1. παρακαλῶ ὑμᾶς — παραστῆσαι τὰ σώματα ὑμῶν θυσίαν ζῶσαν, ἁγίαν, εὐάρεστον τῷ θεῷ. — Sed dolemus hanc interpretandi rationem omni fere ex parte vitiis laborare. Primum enim in illo loco Psalmi LI. זבחי צדק non sunt sacrificia eucharistica, sed sacrificia legitima, quae Deo placent, h. e. cum vera animi pietate Deo oblata. Deinde non ad-

*) Anmerkungen für Ungelehrte zur Uebersetz. d. N. T. Th. III. ad h. l. p. 352.

**) Erklärung des zweyten Briefs an die Korinther, p. 67.

est verus parallelismus locorum: in illo enim loco Psalmorum non exstat צדק pro זבחי צדק, quod tamen loeo nostro sumitur (δικαιοσύνην esse pro θυσίαι δικαιοσύνης,) sed notio sacrificii ibi verbo זבח est expressa; nec ullus alius a. b. Schulzio locus excitatur, in quo צדק absolute positum occurrat pro sacrificio eucharistico. Nec vera adesset loco nostro τῆς ἁμαρτίας et τῆς δικαιοσύνης oppositio; nec intelligimus, quid sibi velit hoc: nos fieri debemus sacrificia eucharistica. Forte id: nos debere gratum profiteri Deo animum? Sed in ipsis sacrificiis eucharisticis non inest gratus animus; hunc protius pofitebantur homines oblatis illis sacrificiis. Denique plane non est, quod a notione δικαιοσύνης et δικαιώσεως toties in epistolis Paullinis obvia h. l. recedamus, aliamque admittamus Apostolo plane insolitam. — Itaque subsistimus in analysi verborum paullo ante exposita, ut ἵνα ἡμεῖς γινώμεθα δικαιοσύνη θεοῦ dictum sit ab Apostolo pro: ἵνα ἡμεῖς γινώμεθα δίκαιοι παρὰ τῷ θεῷ; nam Genitivum θεοῦ non esse h. l. subiecti sed obiecti, nec de collata in homines iustitia Dei essentiali agi, plane non est, quod copiose doceamus. — Sed quomodo haec ipsa δικαιοσύνη παρὰ τῷ θεῷ per Christum hominibus parta intelligenda sit, de eo potissimum disputant interpretes. — Alii enim, praesertim recentiores, intelligunt de iustitia et sanctitate interna, atque hunc verbis sensum subiiciunt: „ut vere iusti ac probi fieremus — nem„pe per doctrinam I. C. morte illius san„citam.“ Hanc enim μετάνοιαν veram esse putant καταλλαγὴν ante ab Apostolo adeo com-

mendatam *). — Nec diffitendum est, bene cohaerere hunc sensum cum argumento comm. XV. in progr. I. a nobis exposito. Sed non aeque patet verba sic reddendo, quare haec δικαιοσύνη θεοῦ morti Servatoris adscribatur, nec potius vitae ac doctrinae illius saluberrimae, cuius quippe institutioni hanc vitae integritatem morumque probitatem proprie debent Christiani. — Quare satius est et universae doctrinae Paullinae aeque ac omni loci nostri tenori longe accommodatius, cum plerisque interpretibus verba Apostoli ita explicare: „ut „Deo probaremur, s. accepti redderemur per „Christum.“ Hanc enim iustam esse δικαιώσεως in epistolis Paullinis notionem, dudum monuere optimi quique interpretes. — In eo tantum cardo rei vertitur, quo sensu illud Deo probari intelligendum sit, et quo modo per Christum, eiusque praesertim mortem fauor hic divinus hominibus ex sententia Apostoli obtigerit? — Formulam enim ἐν αὐτῷ sc. Χριςῷ h. l. idem esse, quod δἰ αὐτοῦ (per Christum, cuius quippe meritis, inprimis morti,

---

*) Hunc in modum b. Teller (Wörterb. d N.T., unter: Gerechtigkeit) locum nostrum vertit: „Daſs wir durch ihn der vor Gott allein gültigen Rechtschaffenheit fähig und theilhaftig werden.“ (Sed de recta hac animi emendati ratione hoc quidem loco non agi, propter oppositam ἁμαρτίας rationem, recte iam dudum monuit b. Longius (zum Teller. Wörterb., sub eadem voc.) — Similiter Ven. Stolzius haec verba redd.: „Damit wir durch ihn rechtschaff. Gottesverehr. würden.“ (Sed quomodo hoc conveniat oppositioni τῆς ἁμαρτίας, in qua quidem piaculi notionem invenit Ven. auctor, equidem non intelligo.)

hunc Dei fauorem debeamus) dubio caret. Nec audiendi sunt, qui vel cum Calovio in formula ἐν αὐτῷ formam rei expressam putant (imputata nobis iustitia Christi iustos nos reddi in Christo), male sic ab his pressa vocula ἐν; vel cum Schlichtingio rei conditionem hac formula significatam esse sibi persuadent (δικαίους reddi homines duce Christo, accepta nimirum doctrina illius). Parum enim conveniunt haec commenta sive consilio Apostoli sive orationi contextae. — His igitur missis ad summam rei, de qua quaeritur, modo propositam progredimur. Inter omnes nimirum constat, ex severiori doctrinae ecclesiasticae formula δικαίωσιν in eo potissimum contineri, ut, sublato quidem a Christo morte sua reatu peccatorum nostrorum, pro quibus loco nostro punitus fuerit, a Deo nunc pro iustis habeamur, atque, impetrata peccatorum venia, fauore nunc divino fruamur. Excludebatur rem ita cogitando a Theologis in opere Christi salutari omne meritum bonorum operum, quae vocarunt, admissa sola iustitia Christi nobis per fidem imputata, qua sola iusti coram Deo reddamur (Glaubensgerechtigkeit), non tamen prorsus exclusa vitae morumque sanctitate, tamquam a fide profecta (Lebensgerechtigkeit). — Quamplurima autem sic argumentando, vicariae praesertim satisfactionis notione in subsidium vocata, Apostolo obtrudi, de quibus hoc quidem loco haud cogitaverit; quis non videt? Male inprimis agi, si omnia ac singula, quae Apostolus apte et egregie de suo tempore, sibique aequalibus, sive Iudaeis, sive Ethnicis, atque accommodate ad eorum rationes

eloquutus sit, ad nostra quoque tempora, mutata quidem rerum omnium facie, transferantur, dudum bene monuere viri docti, inprimis Loefflerus, Vir Venerandus. — At enimvero Paullus, Apostolus, si religionis formulam a Servatore Optimo institutam, praeeunte Iesu ipso Matth. XXVI, 28., sub novi foederis, quod Iesus morte sua sanxerit, imagine sibi proposuit: facile profecto intelliguntur, quaecunque loco nostro de fauore divino per Christum eiusque mortem parto exposuit. Receptis enim in novum hoc foedus sanguine I. C. sancitum aditus nunc patuit ad Deum eiusque fauorem, a quo antea ea, quae inter Iudaeos Ethnicosque regnaret, vivendi Deumque colendi ratione, quammaxime essent remoti. Quamobrem compellant Apostoli homines: καταλλάγητε τῷ Θεῷ. Inito enim tali novo foedere oblivione deletur ex opinione illius aevi, quicquid ante deliquerint homines: impunes hi evadunt, et fausta iis quaevis a restituto fauore divino sperare licet. Adscribebatur autem sanguini, foederis sacramento, quod ipsius esset foederis. En miram, inquit igitur Apostolus, rerum omnium conversionem! Iesus, ὁ δίκαιος, tractatus fuit tanquam ἁμαρτωλὸς, ut nos, ἁμαρτωλοὶ, tractari possemus tanquam δίκαιοι. — Sed fusius haec nunc exponere, non est huius loci. Satis nobis est, locum obscuriorem Paullinum, quantum per vires scriptionisque academicae augustias liceret, illustrasse verumque sententiarum Paullinarum sensum, tot quidem interpretum argutiis obrutum, eruisse. — Attamen, si Deus vitam viresque concesserit, alio tempore ac loco de consilio mortis Servatoris,

ex sententia quidem Apostolorum, et de iusta δικαιώσεως ratione ac indole copiosius disseremus.
P. P. ipso Paschatos die A. C. MDCCCVII.

XI.

Programmata paschalia IV.
in locum Ioh. I, 29.

Ienae,
MDCCCVIII — MDCCCXI.

Meletema I.

In explicando effato Iohannis Baptistae, (Ioh. I, 29.): ἴδε ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ, ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, tot ab antiquissimis inde temporibus iam desudarunt interpretes, et, quod mireris, in summa rei adeo inter se consentiunt, si Socinianos et recentiores nonnullos interpretes excipias, ut novis locus ille curis plane non indigere videatur. Atque si nihilo secius antiquum illum et vulgarem hoc Iohannis effatum explicandi modum, multis quidem caussis, ad quas recentiores Theologi attendere coeperunt, adductus deserere velis, argumentum hoc omne tam docte et subtiliter iam occupasse, imo exhausisse videtur Ven. Paulus, Vir celeberrimus *), ut nihil fere novi iis, quae ab Eo iam dicta sunt, accedere queat. Verum enim vero quum rei sacrae et chri-

---

*) In nov. diario theolog. Vol. VII, p. 153. sqq. atque, quum b. Storr nonnulla, qua erat mentis subtilitate, docte obiecisset in Flattiano

stianae inprimis intersit, ut graviora illius capita, illustriora praesertim S. S. loca, quae classica adpellari solent, novo subinde subiiciantur examini atque ab omni parte collustrentur, nihil sane aliorum virorum doctorum, qui cum laude in enodandis locis istis gravioribus iam elaborarunt, meritis derogari arbitramur, si, grata quidem eorum mentione facta, rem ab iis bene adfectam magis perficere, maioremque, si fieri possit, lucem ei adfundere studeamus. Eoque magis hoc nobis dabitur, si novis his curis nomen aliquod dudum contractum, data hac occasione, tandem aliquando solvere licet *). —

Quo quidem negotio nunc suscepto quo melius possimus defungi, vulgarem hanc locum explicandi illustrandique rationem, quam plerique iniere interpretes, recentiores aeque ac antiquiores, uberius primum exponamus, ut

---

promtuario theol. Part. II. p. 193 sqq., uberius in eiusdem nov. diarii theolog. Vol. X. p. 910. sqq., denique in copioso Commentario in Evangel. Ioh. ad h. l.

*) Id quod accidit auctori huius prolusionis academicae, qui, etsi iam dudum in novissimi diarii theologici a se procurati locis pluribus, v. c. Vol. VIII. p. 563. Vol. IX. p. 44. prolixiorem commentationem in hunc locum promisisset, a solvendo tamen hoc nomine hucusque in hoc ipso diario per alias commentationes inserendas, opportuniores illas quidem, impeditus fuit.

et de caussis huius interpretationis certius constet, et ea intelligantur facilius, de quibus maxime disceptatur, quo rectius denique de iure vulgarem sententiam in dubium vocandi et in alias plane partes eundi statui possit. — Invenisse autem sibi videntur interpretes plerique in hoc effato Iohannis Baptistae arcem doctrinae de morte Iesu Christi expiatoria, et satisfactione vicaria pro peccatis universi generis humani hoc ipso supplicio perfecte praestita; eoque magis spectandum esse autumant hocce oraculum, firmiusque tenendum, quo luculentius inde adpareat, significasse iam Iohannem Baptistam, praecursorem illum servatoris optimi, ante muneris docendi a Iesu Christo suscepti initia supremum illud mortis servatoris cruentae consilium, neque igitur posse hanc mortis I. C. imaginem, hocque de consilio illius supremo iudicium ad mera Apostolorum φιλοσοφούμενα referri, quum ipse iam praecursor Servatoris, Iohannes, idem de consilio mortis illius cruentae iudicium tulerit, divinitus quidem hac de re admonitus, quum naturali mentis sagacitate consilium hoc mortis I. C. a spe Iudaeorum illius aevi, quam quidem de Messia concepissent, quam maxime alienum nunquam attingere potuisset. Vere autem Iohannem Baptistam paucis his verbis: Ἴδε ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ, ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, vim mortis I. C. ἱλαστικὴν significare voluisse, imo clare expressisse, hunc in modum demonstrant interpretes. —

Iesum Christum adpellari h. l. agnum Dei, vel comparatum cum agno paschali, uti 1 Cor.

V, 7. *), vel ratione loci Es. LIII, 7. habita **), vel denique collatum cum agnis in V. T. sacrificio oblatis, inprimis quotidie matutino et vespertino tempore in templo mactatis, Exod. XXIX, 38. sqq. ***). Quamcunque vero agni imaginem, qua in V. T. adumbratus fuerit Christus, praeferas, Iesum hoc nomine insignitum spectari tamquam victimam pro peccatis hominum deo oblatam, pari ratione, ac 1 Petr. I, 19., atque hoc ipsum confirma-

*) Ad agnum paschalem plurimi hucusque interpretes retulerunt hoc Iesu cognomen, inprimis ob 1 Cor. V, 7., ubi vocatur πάσχα ἡμῶν, ὁ ὑπὲρ ἡμῶν ἐτύθη. Eminent inter hos interpretes Grotius, Lampe, Heumann, Michaelis, alii. Lampe inprimis scite observat, Iohannem Baptistam ad hanc comparationem Christi deductum fuisse adspectu gregum ovium, quibus transitus Iordanis aliquot iam ante Pascha, quod tum instaret (coll. cap. II, 13.), septimanis frequentatus sit, ex quibus agni paschales d. X. m. Nisan eligendi erant.

**) Pauciores quidem sunt, qui ad hunc Esaiae locum Iohannem spectasse existiment, quum ibi non proprie agatur de agnis sacrificio oblatis.

***) Ad hoc sacrificium iuge, quod vocant, h. e. duos agnos mane et vespere immolari solitos spectari potissimum h. l. putarunt Vitringa (Observ. sacr. L. II.) Deyling (Observ. sacr. P. III.) Semler, (ad h. l.) Rosenmüller (schol. ad h. l.) Bauer, alii, collatis inprimis variis e Iosepho et Philone locis, quae vid. ap. Wetstenium ad h. l.

ri addito voc. *θεοῦ*. Agnum Dei enim esse vel agnum Deo consecratum, vel Deo acceptum, vel a Deo ipso morti cruentae destinatum *). Clarius autem hanc vim nominis, qua innuatur victima Deo oblata, adparere ex epitheto nomen agni Dei accuratius declarante: *ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου*. Τὸ *αἴρειν* enim respondere hebr. נשא, quod significet vel Auferre, vel Ferre, Portare, qua quidem vi נשא sit i. q. סבל. Prior autem vocabuli vis (Auferre) quum non aeque apta sit ad rem praesentem, qunoniam agnus immolatus in sacris Hebraeorum peccata non tam abstulisset, quam in se recepisset et portasset (coll. Levitic. c. IV. et XVI.): posteriorem verbi *αἴρειν* potestatem, qua respondeat hebr. סבל, tamquam loco nostro aptiorem, esse praeferendam. Priorem quidem vim verbi *αἴρειν* h. l. non prorsus respui, quum et haec ipsa commodum totius sententiae sensum fundat, modo *ἁμαρτία* non ipsa peccata, sed pari modo, ac hebr. חטאת, עון, consectaria peccatorum, seu poenas significet: tum enim *αἴρειν τὴν ἁμαρτίαν* esse tollere reatum peccatorum, s. *ἐξιλάσκεσθαι*, expiare peccata; posteriorem tamen voc. *αἴρειν* potestatem h. l. tamquam aptiorem et faciliorem ob rationes supra commemoratas potiorem videri. „Quum „enim victima fert peccata, inquit b. Morus ad

---

*) Fert quidem usus loquendi multiplicem hanc vim formulae *ἀμνὸς θεοῦ*; primam tamen, qua est Agnus Deo sacer, ceu usitatissimam et huic loco aptissimam praeferendam esse putamus.

,h. l., intelligitur illud: victimam puniri, ne ,homo puniatur, vel victima mactata homini ,remitti poenas et culpam. Aliter nunquam ,dicitur. Quare quum hic sit de victima ser-,mo; illud Ferre peccata eodem redit: Eo ,[sc. Christo, ceu agno] mortuo condonata sunt ,peccata. Omnia tendunt eo, agnus ut spe-,ctetur tanquam victima." — Voc. κόσμος, ergunt interpretes, h. l. significare genus humanum, ut saepius apud Iohannem; Iesum Christum igitur, inde concludunt, h. l. sub magine agni Deo sacri depingi ceu victimam piacularem pro peccatis universi generis humani Deo oblatam. Itaque his freti argumentis dubitari plane non posse certo sibi persuadent hi interpretes, quin doctrina ecclesiastica de expiatione generis humani per Iesum Christum facta ac de satisfactione vicaria pro peccatis hominum Deo ipsi praestita clare ac diserte in hoc effato Iohannis Baptistae exhibeatur. —

Haec autem locum nostrum interpretandi ratio quamquam et mollius fluere, et usu loquendi firmari et auctoritate ipsorum interpretum tam antiquiorum quam recentiornm plerorumque, eorumque insigni doctrinae copia conspicuorum, admodum commendari videatur; multis tamen eam vitiis laborare, perspicue docuerunt haud pauci recentiorum interpretum (ut ex antiquioribus Socinianos taceam, qui, etsi non omnes *), abiecto vulgari h. l. sen-

*) Socinianos et ipsos consuetum morem verba

su, alium, suo doctrinae systemati accommodatiorem verbis subiecerunt), inter quos docta, copiosa et subtili in hanc rem commentatione eminet Ven. Paulus, Vir celeberrimus (ll. cc.). Abeunt autem et ipsi hi nostrae aetatis viri docti in varias iterum partes, aliis nomen

---

haec Iohannis latine reddendi sequi posse, salvo doctrinae suae systemate, Ion. Slichting suo comprabat exemplo. Hic enim in Commentariis (Irenop. 1656. fol.) ad h. l. (Tom. I. p. 19.) verba Ecce agnus Dei ita commentatur: „Agnum eum adpellat, quod mactandus esset, et agno illo paschali praefigurararetur, et simul summe mansuetus, et mitis et innocens esset. Respicit enim haud dubie ad Esaiae verba: sicut ovis ad mactandum ductus est, et sicut agnus coram tondente mutus; sic non aperuit os suum etc. Dei agnum dicit, quod esset Filius Dei unicus, i. e. Christus ille, proinde Dei plane proprius, quique a solo Deo dabatur." — Et ad verba: Qui tollit peccata mundi, annotat haec: „Nempe tanquam victima piacularis. — — Tollit autem ea conditione, ut credamus in eum, et peccatis in posterum mortui ipsi vivamus. Suscitavit enim eum Deus ex mortuis, et Dominum ac Regem fecit; qua ratione simul effectum est; ut per victimam hanc et mortem eius non tantum reatus et poenae peccatorum tollerentur, sed etiam ipsa peccata, quantum attinet ad vim et efficaciam mortis Christi. — — — Christus etiam, dum Deo sese danti obsequitur, adeo rem Deo fecit gratam, ut Deus omni suo iure in puniendis mundi peccatis protinus cederet erga omnes in Christum credentes et mandatis eius per hanc fidem obsequentes. — — — Multi Christianorum sic vim mortis Christi in tollen-

agni ad sacrificia Vet. Test. a Iohanne Baptista h. l. referri concedentibus, negantibus aliis. In hoc quidem fere omnes consentiunt, v. c. Bahrdt, Teller, Loeffler, Paulus, Stolz, Ziegler *), voc. αἴρειν h. l. significari τὸ Auferre, i. q. ἀφαιρεῖν, non Ferre, quod esset φέρειν s. βαστάζειν. Sed in explicanda imagine agni ipsa iidem differunt. Plures enim, v. c. Bahrdt, Tel-

---

do reatu peccatorum interpretantur, ut Deo universa mundi debita per eam soluta putent. Quae causa est, ut eius vim in ipsis peccatis tollendis plane non intelligant. Unde et secure morti Christi confisi in iis haerent, cum potius intelligere deberent, Deum morte Christi semet ad condonanda omnibus peccatoribus peccata et dandam iis vitam aeternam validissime obligasse, si a peccatis desistant et tanta Dei ac Christi caritae victi Deo et Christo penitus sese mancipent." — Consulto totum hunc locum e Slichtingiano commentario descripsimus, ut et ii lectores, quibus libri Socinianorum non essent ad manum, intelligerent, quomodo verba orthodoxa, in primisque vulgarem seu orthodoxam effati Iohannei interpretationem cum suo systemate coniungere atque conciliare soleant.

*) Bahrdt in versione N. T. theotisca ed. Berolin. 1783. — Teller (Berol.) in libr.: Wörterbuch des N. T. sub voc. Lamm — Loeffler in egregio libello: über die kirchliche Genugthuungslehre (1796. p. 88.) — Paulus in Nov. diario theol. et in Commentario in Ev. Ioh. (ll. cc.) — Stolz in notis ad versionem N. T. elegantissimam. — Ziegler in nostro noviss. diario theolog. Tom. IX, p. 42. sq.

ler, Loeffler, Stolz, (ll. cc.) ad sacrificia Vet. Test. Iohannem Baptistam hoc usu nominis spectasse putant; alii autem, veluti Herder, Paulus, Ziegler *), quibus et nos adiungere haud dubitamus, mansuetudinis modo, innocentiae et patientiae notam hac agni imagine h. l. a Ioanne Baptista exprimi censent.

Prius autem, quam ad severiorem censuram vulgaris loci nostri interpretationis accedamus, atque singula, quae huc spectent, accuratius pensitemus, nonnulla, quae haud abs re esse videntur, in universum praemonere liceat. — Iohannis Baptistae ingenium atque illius aetatis, qua vixit, opiniones, aliaque, quae ad eum eiusque discipulos pertinent, si sollicite circumspicimus, nulla turbati praeiudicata opinione, credere vix licet, hunc Iohannem, Iudaeum, hoc iam tempore de morte I. C. expiatoria cogitasse, hancque sententiam his loci nostri verbis voluisse exprimere. Nullum enim illius aetatis Iudaeum supplicium Messiae, idque adeo expiatorium, divinasse, laetissimam potius spem splendidissimi regni Messiani omnes omnino Iudaeos concepisse, inter omnes constat. Iohannes igitur Baptista si nihilo tamen secius opinionem illam de morte I. C. expiatoria hoc quidem loco e vulgari illius interpretatione exposuisset, divino aliquo oraculo revelatam eandem accepisse necesse

---

*) Herder in libello: von Gottes Sohn, der Welt Heiland. 1797. p. 126. — Paulus et Ziegler ll. cc.

esset; id quod et ipsum Theologi statuunt ipso Iohannis adiuti testimonio, v. 33., quamquam hic locus acceptam quidem divinitus, ex opinione Iohannis, revelationem de Iesu Messia omnino demonstret, non autem peculiare aliquod de morte servatoris expiatoria oraculum. Etiamsi vero sumamus, revelatum fuisse Iohanni a Deo non supplicium modo I. C. futurum, verum ipsum etiam consilium huius supplicii ἱλαστικὸν, novis tamen nos iterum obseptos videmus huius rei difficultatibus, quibus vix habemus quomodo nos expediamus. — Divinitus enim patefacta hac re plane nova, inaudita et ab opinionibus Iudaeorum longissime abhorrente sine dubio ita percitum se sensisset Iohannes Baptista, ut suos etiam discipulos nova hac doctrina de morte Messiae futura eiusque consilio imbueret, atque verum, eumque sublimiorem, sensum verborum: ἴδε ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ, ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, prolixius iisdem expanderet. Sed nullum huius rei, neque mentis nova hac doctrina collustratae in Iohanne ipso (v. c. in legatione Iohannis ad Iesum Matth. XI, 3. sqq.) neque accuratioris cognitionis consilii mortis Iesu in discipulis suis, vestigium, ne levissimum quidem, in historia Iohannis et Iesu adparet.

Quamquam denique, teste Iohanne, Apostolo, C. 1, 37 sq. complures e schola Iohannis Baptistae ad disciplinam Iesu transierunt, ii tamen ne de morte quidem Iesu Christi cogitarunt, tantum abest, ut consilium huius mortis ἱλαστικὸν animo praeceperint. Iesus enim

quum colloquendo in supplicia sibi futura incideret, vel plane non intellexerunt discipuli, quid sibi velit, quidque his verborum imaginibus, quas quidem putabant, significet (Marc. IX, 32.); vel tristibus his praesagiis perterriti exclamarunt: ἵλεώς σοὶ κύριε· οὐ μὴ ἔςαι σοὶ τοῦτο (Matth. XVI, 22.). Postquam autem Iesus atrocissima vere perpessus esset supplicia, plane perturbati erant Apostoli, nec habebant, quid de Iesu, magistro suo, quem pro Messia avide a Iudaeis exspectato antea habuissent, sentirent ac dicerent (Luc. XXIV, 20 sq.). Qui ergo discipuli Iesu cogitatione mortis magistri adeo perturbari potuissent, si iam dudum Iohannes Baptista non modo supplicia Iesu Christi, verum ipsum etiam salutare eorum consilium auditoribus suis exposuisset? Nec est, quod mentem horum discipulorum perversam atque vanis Iudaeorum opinionibus plane obnubilatam obiicias, quam saepius Iesus ipse iis exprobrasset, quaque impediti fuissent, quo minus ipsos Iesu sermones, simplices illos et planos, de suppliciis sibi futuris, totiesque repetitos recte intelligerent. Etenim si Iohannes Baptista patefactum sibi consilium divinum de diris suppliciis Iesu Messiae subeundis eorumque ad salutem universi generis humani vi piaculari discipulis suis ita exposuisset, ac plerique interpretes hanc sententiam verbis: ἴδε ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ, ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, clare inesse existimant: plane non fuisset, quod discpuli Iesu praedictae ab eo morti suae adeo adstupescerent, tamquam rei novae et inauditae, nec quod eandem ceu summum malum tantopere extimesce-

rent, cuius vim maxime salutarem iam dudum ex institutione Iohannis Baptistae cognitam habuissent. — Quae si probe perpendamus, est omnino, quod de veritate vulgaris interpretationis istorum verborum supra expositae dubitemus, nisi veritatem narrationis ipsius in dubium vocare velis. Quapropter quaevis alia verborum expositio, modo non abhorreat ab usu loquendi, vulgari isti, qua quidem admissa historia evangelica male cohaeret et mire implicatur, praeferenda esse videtur. — Sed haec παρασκευαστικῶς modo dicta sunto, quibus et attentio lectorum excitetur, et inclinetur animus ad ea, quae prolixius de falsitate vulgaris interpretationis dicenda sunt. Quae vero quum eius sint generis, ut aegre disiungantur, atque prolixiora, quam quae huius scriptionis angustia capiat; consultius sane videtur, in limine nunc subsistere atque censuram ipsam proximae relinquere occasioni, qua, quaecunque hanc in rem dicenda sint, ordine apto et indivulso nexu exponi queant. —

P. P. ipso Paschatos die, A. R. S. MDCCCVIII.

Meletema II.

Ioannis Baptistae effatum: Ἴδε ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ, ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, etsi ad do-

ctrinam christianam sane gravissimum esse atque ad excitandos sensus pios aptissimum et lubenter concedamus et firmiter ipsi teneamus, a vulgari tamen hunc locum interpretandi ratione in meletemate primo exposita cum aliis viris doctis recedendum nobis esse ingenue confitemur: cuius quidem dissensus caussas in hocce altero meletemate aperire, saltem ex parte, instituimus. Voluisse quidem Ioannem Baptistam enuntianda hac sententia rem aliquam gravem significare et attentione audientium quam maxime dignam, ex praeposita iam formula ἴδε, quae, aeque ac ἰδοὺ, hebr. הִנֵּה respondet, usu loquendi admoniti recte colligimus; etsi neque repetitionem huius formulae ἴδε ante alteram huius enunciati partem: ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου admittamus *), neque utramque huius effati sententiam ita cohaerere existimemus, ut posterior prioris modo caussam continere censenda sit **); neque repetito voc. ὁ Iesum tan-

*) Repetit ἰδοὺ s. ἴδε ante ὁ αἴρων τ. ἁ. τ. κ. versio latina, et antehieronym. et vulgata, una cum Patribus nonnullis latinis; vid. Mill, Sabater. et Griesbach.; adstipulante Bengelio in Gnonom. ad h. l., qui male ad Chrysostomum provocat. At quum ignoretur haec repetitio τ. ἴδε tam a codd. quam a patribus graecis reliquisque verss. antiquis, atque absit ab ipsis Latinorum libris liturgicis, qui haec verba Ioannis inter missae solemnia recitari iubent (cf. Io. Bonae rer. liturgic. l. II. c. 16.), merito repudiatur haec vers. lat. lectio.

**) Plerumque hoc sumitur ab iis, qui agnum Dei ad sacrificii rationem revocari volunt. Quod

quam agnum illum propheticum ab Esaia praedictum digito quasi ab Ioanne monstratum fuisse cum nonnullis interpretibus nobis persuadeamus *). Verum enimvero Ioannem his

---

quum nobis haud arrideat, nec in posteriori huius sententiae parte caussam prioris quaerere possumus. Neque tamen accedimus iis, qui, veluti Augustinus (tract. IV. in Ioannem, §. 10. 11.), utrumque enunciatum prorsus dirimunt atque binas inde sententias eliciunt inter se plane diversas: Ecce agnus Dei; et: Ecce, qui tollit peccatum mundi. Plenius duntaxat, nostro quidem sensu, declaratur posteriori hac enunciati Ioannei parte Iesu Christi, tanquam agni Dei ratio. Facile autem intelligimus ex illa Augustini sententia, quomodo auctoritate Patrum latinorum duplex illud Ecce, glossae instar, in versionem latinam utramque irrepserit.

*) Urgent nimirum hi interpretes duplex illud ὁ in hoc effato: ὁ ἀμνὸς - ὁ ἄιρων, atque δεικτικῶς illud referri putant ad agnum illum ab Esaia laudatum. Hanc rationem sequuti sunt inter antiquiores Cyrillus Alexandrinus et Theophylactus: ille in Commentar. in Ioann. libr. II., ubi verba Ioannis sic παραφράζει; ἰδὲ ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ, ὅν ὁ προφήτης ἡμῶν Ἡσαίας κατεσήμαινε; hic in Commentar. in Ioann. T. I. opp. iisdem fere verbis. Perperam autem Lampe (Commentar. in Ev. Ioann T. I. p. 430.) in hanc caussam excitavit Originem in Catena, ubi haec leguntur: Ἀμνὸν δὲ ἀυτὸν καλεῖ τῆς προφητείας ἀναμιμνήσκων Ἡσαΐυ, καὶ τῆς σκιᾶς κατὰ τὸν Μωυσέα, ἵνα ἀπὸ τοῦ τύπου μᾶλλον ἀυτοὺς προσαγάγηται τῇ ἀληθείᾳ. Nam ut taceam, dubia admodum esse haec Origenis verba, quod nonnisi in catena legantur,

verbis: ἴδε ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ κ. τ. λ. vim mortis I. C. ἱλαστικὴν proprie significare voluisse, imo clare expressisse, quod quidem fert vulgaris Theologorum opinio, hoc vero est, quod valde dubitemus. Caussae enim huius interpretatio-

---

nec inveniantur in servatis commentariis, quibus ille Ioannis Evangelium illustravit, hoc solummodo his verbis innuitur, Ioannem hoc effato in memoriam revocasse (ἀναμιμνήσκων) ver- verba Esaiae (c. LIII.), non autem hoc: duplici articulo ὁ Ioannem describere voluisse Iesum tanquam illum agnum Esaianum. Idemque valet de Io. Chrysostomo (Homil. XVII. in Ioann.), cui eadem fere verba tribuit Caspar. Suicerus (thesaur. eccles. T. I. sub voc. ἀμνὸς), quae ab Origene profecta esse feruntur. — Inter recentiores inprimis accessit Lampe l. c. Sed iam Erasmus (Annotat. in N. T.) ad hunc locum ita disseruit: „ὁ ἀμνὸς, id est ille agnus, ut unum et insignem agnum accipiamus, de quo dixerit Iesaias. — — Habet articulus non solum emphasin dignitatis, ut diximus, verum etiam relationis, hic est agnus ille, de quo praedixit Iesaias.“ — Haec autem sententiae Ioanneae explicatio etsi graeci sermonis usui bene conveniat, vix, ac ne vix quidem, hoc saltem loco admittenda est. Nam ne vulgari quidem huius commatis interpretationi, qua de victima sacrificio oblata h. l. agitur, est accommodata, quum in loco Esaiae nonnisi de agno mactato sermo sit. Multo minus convenit pressior haec articuli ὁ explicatio liberiori hunc locum interpretandi rationi. — Praeterea haud negligenda est illa observatio satis nota, Ioannem idiomate usum fuisse aramaeo, non graeco, nec Apostolos semper accurate attendisse rectum articuli graeci usum. —

nis ad rationes dogmaticas sane compositae quamvis specie haud careant, accuratius tamen cognitae parum firmitatis isti sententiae comparare valent. Redit autem res omnis in enucleando vero horum verborum sensu ad duo potissimum momenta haec: primum quo sensu Iesus h. l. a Ioanne compelletur ἀμνὸς θεοῦ; deinde, quid significet h. l. αἴρειν τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, et quo nexu hoc cohaereat cum nomine agni dei, quo Servator a Ioanne h. l. dicitur. Quae quum per partes accurate a nobis, quo nomen solvamus, sint exponenda: hoc ipso meletemate, angustia quidem et temporis et academicae huius scriptionis coacti, in primo rei capite subsistemns. —

Quod igitur ad nomen agni Dei attinet, quo Servator optimus h. l. a Ioanne insignitur, sive illud ab agno paschali repetatur, sive e loco Es. III, 7. illustretnr, sive denique ab agnis in ecclesia Iudaica sacrificio oblatis derivetur, e vulgari quidem Theologorum opinione in meletem. I. iam observavimus, omnino subiici huic formulae notionem victimae pro peccatis hominum Deo oblatae. Hoc ipsum autem est, quod sine idoneis argumeutis vulgo sumi nobis videtur. — Prima quidem sententia eorum, qui ab agno paschali vim nominis repetunt, roboris aliquid accipere videtur e loco 1 Cor. 5, 7., quo Paullus ipse Christum cum agno paschali comparat verbis: καὶ γὰρ τὸ πάσχα ἡμῶν ὑπὲρ ἡμῶν ἐτύθη, χριστός. Sed ad hanc imaginem agni paschalis non admodum aptam deduxit Apostolum ipsa orationis συναφεία, qua vitae honestatem et sobrietatem

homine christiano dignam comparat cum azymis Iudaeorum, quibus abstinendum sit ab omni fermento. Ἐκκαθάρατε τὴν παλαιὰν ζύμην, inquit Apostolus, ἵνα ἦτε νέον φύραμα, καθώς ἐστε ἄζυμοι. Καὶ γὰρ — pergit — τὸ πάσχα ἡμῶν (ὑπὲρ ἡμῶν) ἐτύθη, χριστός. Hoc quidem sententiarum nexu permittere sibi poterat Paullus imaginem per se quidem parum aptam, cuius vero similem caussam in loco nostro Ioanneo vix invenire licet. Nec ullus alius est in epistolis Paullinis locus, in quo redeat haec agni paschalis imago, etsi oratio Paullina toties convertatur ad supplicium I. C. salutare, atque hoc ipsum saepius sacrificii imagine adumbret. — Dici quidem posset Ioannes, scite monente Lampio ad h. l., ad hanc comparationem deductus fuisse adspectu gregum ovium illo tempore, quo Pascha Iudaeorum instaret (coll. c. II, 13.), Iordanem transvectorum, a quibus agni paschales d. x. m. Nisan eligerentur. Attamen notio sacrificii piacularis Deo oblati, quam Theologi loco nostro quaerunt, solo hoc agnorum Paschati destinatorum adspectu mente concipi plane non poterat, sed sola mansuetudinis et patientiae imago ab adspectis his animalibus in Iesum transferri. — At, inquiunt, ipsi agni paschales vocantur זבחים in V. T., v. c. Exod. XII, 27. XXIII, 18. XXXIV, 25., atque apud Iosephum et Philonem θυσίαι et θύματα. Recte quidem; atque ratio Pascha sic adpellandi in eo erat, quod agni paschales in templo mactabantur, atque sanguis eorum a sacerdotibus Deo offerebatur (coll. 2 Paralip. XXXV, 11.) combusto simul ipsorum adi-

pe in altari *). — At vero improprie admodum agni paschales sacrificii nomine veniunt; nam quod maxime usu veniebat in sacrificiis, et quo ipso distinguerentur illa potissimum a reliquis caerimoniis religiosis, v. c. ut victimae ab ipsis sacerdotibus mactarentur, retenta simul pro templo vel sacerdotibus aliqua victimae parte, id nunquam fere accidit in agnis paschalibus. Hi enim mactabantur in templo Hierosolymitano ab ipsis patribus familias, nisi essent impuri (coll. 2 Paralip. XXX, 17.), nec ulla pars carnis horum agnorum templo reddebatur vel sacerdotibus; sed unusquisque paterfamilias cum hac ipsa totum agnum paschalem comedere debebat. Proprie igitur Pascha sacrificii nomen haud meretur; erat enim cummaxime convivium μνημονικὸν in memoriam immunitatis veterum Hebraeorum a clade Aegyptiorum liberationisque ab eorum servitute institutum (Exod. XII, 3 sq. 13 sq. 27 sq. XIII, 3 - 10.). Mactabantur modo agni paschales in templo eo nomine, ut celebratio paschatos religionis speciem indueret. Omnium minime fuere hi agni paschales victimae piaculares, quales autem vere esse debuissent, si ratione eorum habita vis mortis I. C. ἱλαστικὴ nomine agni Dei a Ioanne h. l. fuisset expressa. — Cadit igitur his probe perpensis prima huius nominis Iesu Christo h. l. a Ioanne dati ratio

*) Confer, quae hanc in rem contra secus sentientes, Sagittarium, Cappellum, Laesnerum aliosque, copiose disseruimus in novissimi diarii theolog. Vol. II. p. 476. sqq.

Theologis cummaxime frequentata. — Similes aliorum ingenii lusus, inprimis Patrum, quos vocant, Iustini Martyris, Macarii et Chrysostomi in exornanda huius nominis ad agnos paschales ratione allatis locis infra notasse satis erit; omissa omni eorum ἐπικρίσει *).

Altera classis interpretum est eorum, qui, etsi nomen agni Dei in loco nostro a Ioanne

---

*) Justin. Martyr. (Dial. c. Tryph.) inquit: Τὸ μυστήριον τοῦ προβάτου, ὃ τὸ πάσχα θύειν ἐντέταλται ὁ θεὸς, τύπος ἦν τοῦ χριστοῦ, οὗ τῷ αἵματι κατὰ τὸν λόγον τῆς εἰς αὐτὸν πίστεως χρίονται τοὺς οἴκους ἑαυτῶν, τουτέστιν, ἑαυτοὺς, οἱ πιστεύοντες εἰς αὐτόν. — Pari ratione Macarius (Homil. XLVII.) typicam rationem agni paschalis ad Christum describit: Χριστὸς τὸ ἀληθινὸν καὶ ἀγαθὸν καὶ ἄμωμον ἄρνιον ἐσφάγη, καὶ τὸ αἷμα αὐτοῦ ἐχρίσθη ἐπὶ τῶν φλιῶν τῆς καρδίας, ὅπως γένηται τὸ ἐκχυθὲν ἐπὶ τοῦ σταύρου αἷμα τοῦ χριστοῦ τῇ μὲν ψυχῇ εἰς ζωὴν καὶ ἀπολύτρωσιν, τοῖς δὲ αἰγυπτίοις δαίμοσιν εἰς πένθος καὶ θάνατον, ἀληθῶς γὰρ πένθος αὐτοῖς ἐστὶ, χάρα δὲ καὶ ἀγαλλίασις τῇ ψυχῇ τὸ τοῦ ἀμώμου ἀρνίου αἷμα. — Eandem rationem persequebatur Chrysostomus in Ps. CXIX. ita disserens: ὁ ἀμνὸς ὁ πάλαι σφαζόμενος παρὰ τῶν Ισραηλιτῶν τύπος ἦν τοῦ ἀληθινοῦ ἀμνοῦ χριστοῦ, τοῦ θεοῦ ἡμῶν, τοῦ σφαγιασθέντος ὑπὲρ ἡμῶν. καὶ ὥσπερ ἐκεῖ ἡ χρίσις τοῦ αἵματος τῶν φλιῶν ἔσωσε τοὺς χρίσαντας, οὕτω τὸ αἷμα τοῦ ἀληθινοῦ ἀμνοῦ χριστοῦ, τοῦ θεοῦ ἡμῶν, ἐλυτρώσατο ἡμᾶς ἐκ τῆς κατάρας τοῦ ἐχθροῦ καὶ τῆς τοῦ θανάτου διαμονῆς. — Atque (homil. LXXX.) agnum paschalem sic describit: τὰ μέλλοντα προδιετύπου καὶ γὰρ τύπος ἦν ἐκεῖνος ὁ ἀμνὸς ἑτέρου ἀμνοῦ πνευματικοῦ καὶ πρόβατον προβάτου καὶ τὸ μὲν ἦν σκιὰ, τὸ δὲ ἀλήθεια.

Baptista ex Es. LIII, 7. repetitum fuisse putent, in eo tamen notionem victimae pro hominibus Deo oblatae quaerunt: in qua quidem opinione examinanda, quum parum sese commendet, sane non est, quod diu haereamus. — In illo enim oraculo plane non agitur de agno immolando, sed, vel mactando vel tondendo: nimirum expresse dicitur שה לטבח יובל; non לזבח; et רחל לפני גזזיה נאלמה. Atque similitudo comparatorum non est in sacrificio Deo oblato, sed in mansuetudine et patientia, qua is, qui malis premitur, ne mussitat quidem, (לא יפתח־פיו כשה — — וכרחל) sed, quaecunque ei inferantur mala et incommoda, aequo animo tolerat. Nec aliter repetitur ille locus Actor. VIII, 32. Vatem igitur instituta hac comparatione plane non cogitasse de immolatione, sed de patientia et mansuetudine agni, non est, quod dubitemus. — Quae quum ita sint, certo inde colligimus, Ioannem Baptisten, etiamsi hoc agni nomine, quo Iesum in loco nostro compellavit, ad illud Esaiae oraculum respexerit, mansuetudinem potius, innocentiam et patientiam Iesu Servatoris in perferendis malis hac exprimere imagine voluisse, quam victimam supplicio I. C. pro hominibus Deo offerendam, aut, quam hoc loco quaerunt, vim mortis I. C. cruentae vere ἱλαστικήν. — Denique, etsi non morose negare, modeste tamen dubitare licet, an Ioannes Baptista Iesum, Servatorem, agnum Dei compellans illud Iesaiae oraculum omnino respexerit; mansuetudo enim et patientia tam manifesta est agni virtus omniumque sermone trita, ut, quum similis exprimenda esset Ioanni virtus in vita

moribusque I. C. abunde conspicua, is plane non haberet, quod adhibita loco nostro hac agni imagine ad aliquod V. T. oraculum, quo eadem iam expressa sit similitudo, respiceret, praesertim si illo tempore, quo haec eloquutus est Ioannes, Paschati Iudaeorum proximo, quod interpretes probabiliter sumunt, oculis ipsius continuo subiecti fuerint innumeri greges ovium et agnorum Iordanem transuecti. Quod enim si ita habuisset, aptam Iesu imaginem sponte et e propinquo oblatam fere absonum fuisset longe repetere ex antiquis Ebraeorum oraculis.

Pergimus ad tertiam, eamque numerosiorem, partem interpretum, qui gravioribus muniti argumentis τὸν ἀμνὸν τοῦ θεοῦ h. l. conferunt cum agnis ex lege Mosaica sacrificio oblatis. — Verum haec quoque comparatio parum apta ad rem videtur, si agni rationem referas, quod quidem vulgo fit, ad vim mortis I. C. ἱλαστικήν. Nunquam enim agni sacrificio ἱλαστικῷ ab Ebraeis offerebantur, neque pro peccatis commissis omnino vel cognitis vel ignotis, neque pro singulis iisque definitis: huic potius vario ac multiplici usui apud Ebraeos inserviebant, quod quidem Leviticus repetitis vicibus docet, tauri, caprae, oves et hoedi, nequaquam agni. Noli obiicere locum Levitic. IV., 32., ubi sacerdos ad abolendum reatum proprium offerre iubeatur כבש. Hic enim כבש non ex asse respondet τῷ ἀμνῷ, כבש proprie est mediae aetatis, agnus ad tertium annum usque; deinde denotat cuiusvis aetatis masculum (vid. Lexica et Bocharti hierozoic.);

sed ἀμνὸς Hesychio est ἐνιαύσιος. Hoc autem loco Levit. IV, 32. כבש, quod quidem caput rei est, non denotat agnum, sed ovem, in quo consentiunt interpretes antiqui, Alexandrinus et Vulgatus: Alex. habet πρόβατον, non ἀμνὸς; quem et Lutherus aliique h. l. sequuntur. — Neque vero sententiae nostrae obstant holocausta, quae et ipsa ad sacrificia ἱλαστικὰ referunt, quibusque et agnos inserviisse e Levitico et Numeris constat. — At non omnia holocausta erant sacrificia ἱλαστικὰ, nec quoad rem obiectam et σκόπον, quo tenderent, peculiarem constituebant sacrificiorum classem a reliquis sacrificiorum generibus distinctam, sed differebant nonnisi offerendi modo. Etenim si holocaustorum naturam ac indolem accuratius pensites, ea facile intelliges modo ad sacrificia ἱλαστικὰ, modo ad καθάρσια, modo ad ἐυχαριστικὰ pertinuisse, atque hactenus modo fuisse ab aliis sacrificiis distincta, quod victinae comburerentur integrae. Agni vero solis inserviebant sacrificiis καθαρσίοις et εὐχαριστικοῖς, non itidem ἱλαστικοῖς, etiamsi fuissent ὁλόκαυστα *). — Melius igitur vulgari sententiae consuluisse videntur alii, iique magni nominis in-

*) Hoc quidem non animadverterunt plerique, qui antiquitates Ebraeorum sacras illustrarunt. Multum enim hucusque in his rebus a viris doctis antiquitatem sacram illustrantibus peccatum fuisse, praesertim in explicanda natura sacrificiorum ἱλαστικῶν proprie sic dictorum, et in eruenda notione τοῦ כפר Ebraeorum, alio loco ac tempore copiosius docebimus.

terpretes (vid. meletem. I), qui Ioannem Iesum ἀμνὸν τοῦ θεοῦ salutantem eorum potius agnorum rationem habuisse contendunt, qui quotidie in templo Hierosolymitano bis quidem, matutino ac vespertino tempore immolati fuissent (Exod. XXIX, 38. 39. Num. XXVIII, 3. 4.). Hoc enim sacrificium iuge aiunt totum fuisse combustum atque oblatum ad expianda peccata populi universi, imo totius generis humani; veri igitur nominis illud fuisse et ὁλοκαυστον et ἱλαστικὸν, summamque intercessisse similitudinem inter agnum sacrificii iugis et Iesum Christum morte sua cruenta pro salute totius generis humani immolatum. — Quae si ita haberent, salva sane foret ista comparatio Iesu Christi cum agno sacrificii iugis. Redit igitur res omnis ad idonea argumenta, quibus consilium illud sacrificii iugis ad expianda peccata populi Iudaici universi, imo totius generis humani demonstretur. Provocant autem huius caussae patroni tum ad loca nonnulla Iosephi et Philonis a Wetstenio ad h. l. collecta, tum ad locum singularem 1 Maccab. XII, 11. 12. — Quae igitur allatis his argumentis vis insit, quaeve vera fuerit ac genuina sacrificii iugis ratio, accurate nunc a nobis est explorandum. — Narrat quidem Iosephus (de Bell. Iud. l. II. c. 9.): „Iu-„daeos affirmasse Petronio, praesidi, pro Cae-„sare et populo Romano se per dies singulos „offerre sacrificia *); imagines autem in tem-

*) Verba Iosephi sunt: Καὶ Ἰουδαῖοι περὶ μὲν

„plo collocandas admittere se nôn posse.“ — At hoc sacrificium a Iosepho commemoratum nequaquam fuisse videtur illud sacrificium iuge, quod mane et vespere pro ipsa gente Iudaica in templo quotidie fieri ex lege debebat, sed aliud potius, etsi simile, sacrificium, cui quidem faciendo sumtus ex reditibus Romanorum suppeditarentur; id quod ex aliis tum Iosephi tum Philonis praesertim locis colligere licet. Iosephus enim (eod. l. II. c. 17.) narrat: „Eleazarum, Ananiae pontificis filium, „persuasisse iis, qui sacrificiis ministrarent, „ut nullius munus aut hostia, qui non esset „de Iudaeorum gente, admitteretur; atque hoc „ipsum bello Romano dedisse materiam; reie„ctas enim tum fuisse hostias Caesaris pro po„pulo Romano offerri solitas *); convocasse „autem proceres Iudaeorum concionem, dehor„tatosque fuisse seditiosos, ne oppresso more „antiquo peregrinas admittendi hostias novum „eumque periculosum religionis modum sta„stuerent, quo praeter Iudaeos nullus immo„let alius ἀλλοφύλος, neque ad orandum admit„tatur; hoc enim novo more despici Romanos

---

Καίσαρος καὶ τοῦ δήμου τῶν Ρωμάιων δὶς τῆς ἡμέρας θύειν ἔφασαν.

*) Iosephi verba haec sunt: Ἐλεάζαρος — — τοὺς κατὰ τὴν λατρείαν λειτουργοῦντας ἀναπείθει, μηδενὸς ἀλλοφύλου δῶρον ἢ θυσίαν προςδέχεσθαι Τοῦτο δὲ ἦν τοῦ πρὸς Ρωμαίους πολέμου καταβολή· τὴν γὰρ ὑπὲρ τούτων θυσίαν Καίσαρος ἀπέρριψαν.

„et profanum iudicari Caesarem, atque ita verendum esse, ne, qui immolandas pro illis „hostias repellant, et ipsi pro se sacrificia in „posterum offerre prohibeantur (δεδοικέναι μέν „τοι, μὴ τὰς ὑπὲρ ἐκείνων (ῥωμαίων) ἀπορίψαντες „θυσίας κωλυθῶσι θύειν καὶ τὰς ὑπὲρ ἑαυτῶν κ. τ. „λ.)“ Quae si sollicite conferas, hoc certe resultat: quum semper licuerit Ethnicis et orare in templo Hierosolymitano, et vero immolare Deo, admissas quoque fuisse hostias Caesaris quotidie pro populo Romano publico quidem sumtu offerendas *). Expresse igitur distinguuntur a Iosepho haec sacra pro Romanis sumtu Caesaris Hierosolymis instituta, etsi ab ipsis sacerdotibus Iudaeorum administrata, a sacrificiis Iudaeorum pro se ipsis oblatis. — Luculentius hoc adparet e nonnullis Philonis Iudaei locis. Hic enim Leg. ad Cai. (ed. Francof. p. 1014.), Augustum mandasse quotidianas mactari victimas suis sumtibus in perpetuum virtutum suarum monimentum, verbis testatur his: προστάξας (sc. Augustus) καὶ δι αἰῶνος ἀνάγεσθαι θυσίας ἐντελεχεῖς ὁλοκαύστους καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἐκ τῶν ἰδίων προσόδων, ἀπαρχὴν τῷ ὑψίστῳ θεῷ. αἳ καὶ μέχρι νῦν ἐπιτελοῦνται καὶ εἰς ἅπαν ἐπιτελεσθήσονται, μνήνυμα τρόπων ὄντως αὐτοκρατορικῶν. — Atque Agrippa ad Caium, teste eodem Philone (l. c. p. 1036.), eadem perscripsit: Διετάξατο (sc.

---

*) Plura exempla similis Ethnicorum in templum Hierosolymitanum pietatis attulit Ven. Dahl in Chrestomath. Philon. P. II. p. 221 sq.

ὁ Σέβαςος) ἐκ τῶν ἰδίων προσόδων ἀνάγεσθαι θυσίας ἐντελεῖς ὁλοκαύςους τῷ ὑψίςῳ θεῷ καθ' ἑκάςην ἡμέραν, αἳ καὶ μέχρι νῦν ἐπιτελοῦνται· ἄρνες εἰσὶ δύο καὶ ταῦρος τὰ ἱερεῖα, οἷς Καῖσαρ ἐφέδρευνε τὸν βωμὸν κ. τ. λ. — De Iudaicis autem sacris matutinis et vespertinis disserens Iosephus (Antiqu. Iud. l. III. c. 10.), publicis ea impensis ex lege Mosaica facta fuisse, verbis testatur his: Ἐκ δὲ τοῦ δημοσίου ἀναλώματος νόμος ἐςὶν ἄρνα καθ' ἑκάςην ἡμέραν σφάττεσθαι τῶν αὐτοετῶν, ἀρχομένης τε ἡμέρας καὶ ληγούσης — Haec igitur sacrificia matutina et vespertina pro populo Iudaico ex lege Mosaica Deo oblata non commiscenda videntur cum sacris illis Augusti Caesaris liberalitate eodem quidem tempore ac simili ratione pro populo Romano per eosdem sacerdotes Iudaeorum faciendis. Cui potissimum accedit ingens Iudaeorum superstitio, quae omnem aversaretur cum Ethnicis in rebus sacris commixtionem. — Ponamus autem, utraque sacrificia, et pro Iudaeis et pro Romanis, iunctim deinceps a socerdotibus mane et vespere fuisse celebrata, suadente quidem loco alio Iosephi (c. Apion. l. II. c. 5.) *), etsi haud pauca huic opinioni ad-

*) „Legislator — honoribus post Deum colendos non prohibuit viros bonos, quibus nos et Imperatores et pop. Rom. dignitatibus ampliamus. Facimus autem pro eis continua sacrificia; et non solum quotidianis diebns ex impensa communi omnium Iudaeorum talia celebramus: verum cum nullas alias hostias ex cummuni neque pro filiis peragamus, solis Imperatoribus hunc honorem praecipuum pariter exhibemus, quem

versentur: ex ipso tamen illo loco Iosephi solum hoc efficitur: sacrificia ista non nisi pro Iudaeis ac Romanis, eorum praesertim Imperatoribus, nequaquam vero pro universo genere humano, Deo fuisse oblata. Quare aut plane non audiendus est aut aliter intelligendus Philo, qui de victimis Ebraeorum (libr. de victimis, sub init.) affirmat: αἱ μὲν εἰσὶν ὑπὲρ ἅπαντος τοῦ ἔθνους, εἰ δὲ δεῖ τ' ἀληθὲς εἰπεῖν, ὑπὲρ ἅπαντος ἀνθρώπων γένους. — Constat enim inter omnes, quam alieni fuerint a caritate generis humani universitatem complectente Iudaei, qui toties in suspicionem odii generis humani incurrissent. Itaque Philo, πᾶν τῶν Ἰουδαίων ἔθνος in πᾶν ἀνθρώπων γένος transmutans, hoc facere consendus est vel abreptus philosophandi licentia, quam, uti in omnibus fere libris sequutus est, ita in hoc praesertim libro de victimis; vel reverentia in legem Mosaicam ductus, quam sibi persuaserit, quum vere sit divina, integram complecti debere generis humani universitatem; huic enim legi sic intellectae demum inesse ἀληθείαν. — Mosen

---

hominum nulli persoluimus.“ — Observandum autem est de hoc loco omnino, eum sola latina, eaque incerta, versione exhiberi; deinde Iosephum data quavis occasione Romanis eorumque inprimis Imperatoribus nimium adulatum fuisse, corrupta haud raro rerum gestarum veritate. Quare huic loco non tantum auctoritatis tribuere licet. —

autem institutis suis solam gentem iudaicam, quam his ipsis separatam plane a reliquis gentibus voluerit, adstrinxisse, non est, quod copiosius demonstremus. — Quod denique attinet ad locum 1 Maccab. XII, 11. 12., nulla sane inde elici potest caussa idonea, sacrificium iuge ad universitatem generis humani eiusque salutem referendi. — Vocantur quidem Lacedaemonii in his literis a Ionathane scriptis fratres Iudaeorum, quorum memoria in sacrificiis ac publicis precibus recolatur. Sed inde non sequitur, Lacedaemonios tanquam ethnicos a Iudaeis salutatos fuisse fratres, quos aequo hi amore ac socios fidei essent complexi. Fratres potius h. l. sunt, qui communem ab eodem parente trahunt originem. Tales enim se professi erant, ex hac quidem narratione, Lacedaemonii in literis ad Iudaeos datis, propter communem, quam praetenderent, ab Abrahamo originem. Maxime igitur fuisset consentaneum, in communibus precibus et sacris ὑπὲρ παντὸς τοῦ ἔθνους peractis horum etiam meminisse, qui Abrahami posteros se profiterentur, etiamsi omnes reliquas gentes sibi non cognatas ab iisdem excludendas esse existimassent Iudaei. — Sed falsam esse hanc opinionem de cognatione Iudaeorum et Lacedaemoniorum, et fictam utramque epistolam 1 Macc. XII. relatam, prolixius iam docuimus in noviss. diar. theol. Vol. VIII. (p. 424 sqq.). — Itaque lubrico admodum fundamento, aut potius nullo, nititur illa interpretum de vi sacrificii iugis ad totius generis humani salutem, atque derivata inde insigniori similitudine supplicii Servatoris opti-

mi sententia *). — Restat igitur, ut veram rationem atque consilium celebrati illius sacrificii iugis accuratius indagemus. — Primum non erat hoc sacrificium iuge vere ἱλαςικὸν, quale existimatur sacrificium I. C. pro hominibus Deo oblatum: ad delendum enim reatum peccatorum (contra leges ecclesiasticas intellige) ignotorum universi populi annuum in templo offerebatur sacrificium magno illo die expiationis; pro cognitis autem peccatis offerenda Deo erant a singulis singula sacrificia varii quidem generis. Illud igitur sacrificium iuge quanquam esset ὁλοκαύτωμα, hoc tamen non erat e genere ἱλαςικῷ, sed mere καθαρσίῳ et εὐχαριςικῷ. Consecrabatur enim Deo per singulos dies hoc sacrificio iugi et templum et populus universus, remota συμβολικῶς ab utroque quavis impuritate. Deinde grates hoc sacrificio Deo soluebantur pro beneficiis quotidianis populo Israelitico universo exhibitis, teste ipso Philone **). Erant igitur haec sacrificia matutina et vespertina preces symbolicae, quibus tum conciliaretur fauor divinus et templo et populo, tum gratiae agerentur Deo pro

*) Caeterum, qui ingeniosa Theologorum figmenta de typica horum sacrificiorum, aliarumque rerum cum his in V. T. coniunctarum ratione ad Christum, ceu agnum Dei, cognoscere velit, adeat Deylingii observatt. sacr. P. III. p. 254 sq.

**) de victimis (ed. Francof. p. 836): καθ' ἑκάςην μὲν οὖν ἡμέραν δύο ἀμνοὺς ἀνάγειν διείρηται, τὸν μὲν ἅμα τῇ ἕῳ, τὸν δὲ δειλῆς ἑσπέρας, ὑπὲρ

inumeris beneficiis die noctuque in populum Israeliticum collatis. Denique si ad antiquissima tempora atque ad primam sacrificiorum originem redeas, erat hoc sacrificium iuge ex mente aevi pristini loco convivii Deo apparati, prandii quidem et coenae, recte monente **Abarbanele**; tale enim convivium quotidie Diis apparari solebat continuo servandae memoriae caussa, tam ad profitendum gratum populi animum, quam ad servandum numinis fauorem. — Quae si singula a nobis hactenus de sacrificio iugi exposita probe animo pensites, nullam plane Ioanni Baptistae facile intelliges fuisse caussam idoneam, qua adductus Iesum Servatorem, si cogitarit quidem, nomine agni Dei eundem compellans, de morte illius violenta pro salute generis humani perpetienda, cum agno illo sacrificii iugis comparaverit.

Quodsi igitur hoc urgeas, Ioannem Baptisten nomine agni Dei significasse sacrificium morte I. C. Deo oblatum, soli remanent agni sacrificiis *καθαρσίοις* a Iudaeis adhibiti, quibuscum Iesum Servatorem comparare queas. De quo quidem comparationis modo quid iudicandum sit, nunc exploremus. — Quaelibet quidem sacrificia *ἱλαστικὰ*, quibus administratis in lege Mosaica τὸ כַּפֵּר tribuebatur, et ipsa, ali-

---

εὐχαριστίας ἑκάτερον, τὸν μὲν ὑπὲρ τῶν μεθ' ἡμέραν, τὸν δ' ὑπὲρ τῶν νύκτωρ εὐεργεσιῶν, ἃς ἀπαύστως καὶ ἀδιαστάτως τῷ γένει τῶν ἀνθρώπων ὁ θεὸς χορηγεῖ.

quo certe sensu, dici possunt καθαρτικὰ; proprie tamen ea modo sacrificia καθαρτηρίων nomine insigniuntur, quibus Iudaei ab impuritate aliqua civili vel ecclesiastica per se quidem culpa vacua purgarentur. Huius generis fuit sacrificium lustrale puerperarum, quibus ex lege Levit. XII, 6. agni in templo ceu ὁλοκαυτώματα essent offerendi. Tale sacrificium offerre quoque debebant, qui a lepra essent sanati (Levit. XIV, 10.), et Nasiraei, qui funere cognatorum fuissent contaminati (Numer. VI, 12.) *) — Haec autem sacrificia lustralia eo fiebant consilio, ut is, qui impuritatem aliquam, leviticam puta, sibi contraxisset, in ecclesiae iterum reciperetur consortium, quo per istam immunditiem fuisset exclusus, atque cum Deo, ab omni quidem impuritate alienissimo, in gratiam rediret, omnique denique liberaretur poenarum futurarum metu. Erant igitur

*) Vtrisque et leprosis et nasiraeis offerendum quidem simul erat sacrificium לאשם propter reatum culpa aliqua contractum. Quum autem casus modo fortuitus intercessisset, nec peccati commissi conscientia, sacrificium oblatum non proprie erat ἱλαστικὸν; sed tractabatur modo tanquam tale (כחטאת, Levit. XIV, 13) a sacerdotibus propter reatum aliquem admissum. Scilicet cauere sibi sollicite debebant his admoniti exemplis Iudaei a quacunque re, qua impuritatem aliquam contrahere sibi possent. Proprie autem haec sacrificia modo erant καθάρσια. — Plura de his vid. in Ven. Pauli Commentar. in Ev. Io. p. 133 sq. et in nov. diario theolog. P. X. p. 911 sq.

haec sacrificia καθαρτικὰ sollemnia recuperatae puritatis ecclesiasticae et civilis symbola. — Quae si referas ad nomen agni Dei, quo Ioannes Baptistes Iesum loco nostro compellavit, hac quidem agni sacrificio καθαρτικῷ oblati imagine, negari plane non potest, commode adumbrari potuisse mortem I. C. cruentam. Saepius etiam redit haec imago ἀρνίου ἐσφαγμένου de Iesu Servatore in Apocalypsi Ioannea. Nec plane aliena est haec notio sacrificii καθαρσίου a loco 1 Petr. I, 19., ubi Christus diserte adpellatur ἀμνὸς ἄμωμος καὶ ἄσπιλος; etsi, nostra quidem sententia, haud indigeat ille locus illustratione a sacrificiis καθαρτικοῖς repetita, quippe quo solummodo agatur de vindicatione e servitute Iudaicarum religionum et opinionum in libertatem christianam. — Sed videant Theologi isti, qui sacrificii notionem in formula ἀμνὸς τ. θεοῦ acriter adeo urgent, quid hac sacrificii καθαρτικοῦ imagine, quae sola ipsis remanet, pro sua de ratione mortis I. C. ἱλαστικῇ et vicaria opinione proficiant. Ioannes enim, si quidem nomine agni Dei supplicium I. C. depicturus nonnisi ad agnos illos sacrificio lustrali oblatos respexit (alios vero agnos ex alio sacrificiorum genere eum spectare plane non potuisse, supra docuimus), hanc modo sententiam de morte I. C. tenuisse censendus est: Iesum Christum morte sua cruenta futurum esse solenne et recuperatae puritatis et restituti fauoris divini symbolum. — At hoc sensu verborum admisso nullum plane vis supplicii I. C. ἱλαστικῆς et vicariae, quam quidem h. l. anquisivere Theologi, vestigium

huic formulae Ioanneae, ἰδὲ ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ, impressum esse adparet; neque vero posset foecundior quisque sensus exsculpi ex addito τοῦ Θεοῦ, si vel maxime significaret Deo acceptum, vel a Deo ipso destinatum, quum potius denotet Deo consecratum. — Verumenimuero ne de hac quidem Iesu Christi cum agno sacrificii lustralis comparatione cogitasse videtur Ioannes Baptista, quum illum salutasset ἀμνὸν τοῦ Θεοῦ. Hanc enim si mente concepisset imaginem, praeceperit animo necesse est futuram mortem I. C. cruentam; a qua vero praevidenda vel adeo speranda quam alienus fuerit Ioannes una cum discipulis suis, in primo iam meletemate exposuimus.

Quae quum ita sint, nonnisi innocentiae, mansuetudinis et patientiae imaginem, quam prae caeteris animalibus agnos referre constat, Ioannem Baptisten acclamatione ista exprimere voluisse, statuamus necesse est. Viros autem probos, pios, mansuetos et malorum haud impatientes hac agni describi imagine, omnium sermone tritum est, et dudum monuere, qui de verborum significatibus scriberent. Ita enim Hesychius observat, ἀμνοὶ τοὺς τρόπους, πρᾶοι καὶ μαλακοί. Idemque monet Suidas: ἀμνοὶ τοὺς τρόπους, ἀντὶ τοῦ πραεῖς, εὐηθεῖς. ἁπλοῖ ὡς οἱ κρίοι, ἢ μαλακοί. Quid quod in ipso ἐτύμῳ τοῦ ἀμνὸς quaerunt hanc agnorum virtutem, qui observante Etym. M., hoc vocabulum derivant ab ἀ priv. et μένος, ira; unde ἀμνὸς sit i. q. placidus et innoxius. Atque si τῷ ἀμνὸς iungitur Θεοῦ, hac verborum compositione mansue-

tudinem et patientiam significari cum summa in Deum pietate coniunctam, qua quis se totum Deo consecrat, quae ex instituto divino sibi peragenda sint, diligenter observat, et, quaecunque sibi mala volente Deo accidunt, patienter tolerat, nil sibi dat, sed omnia Deo; hoc ipsum usu certe et re ipsa ita liquet, ut exemplis vel argumentis, quibus magis firmetur, plane non egeat. — Atque haec ipsa est sententia, quam Ioannes verbis: ἰδὲ ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ, nostro quidem sensu, subiectam esse voluit. Nec sollicitassent profecto interpretes planum hunc sensum et cuiuis facile obvium, nisi sequentia verba: ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, ampliorem et graviorem sensum formulae ἀμνὸς τοῦ θεοῦ suadere imo postulare existimassent. Quam parum autem amplior iste verborum sensus istis interpretibus successerit, ex iis, quae prolixe nunc exposuimus, facile intelligitur. — Sed cardo rei omnino vertitur in sequentibus verbis: ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, quorum quidem verum ac genuinum sensum proxima occasione, iuvante Deo, sumus indagaturi.

P. P. ipso Paschatos die. A. R. S. MDCCCIX.

Meletema III.

Exposita uberius in praecedente meletem. II. prima effati Ioannei (Io. I, 29.) parte (ἰδὲ

ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ), pergimus nunc in illustrando hoc loco ad explicandam alteram oraculi partem: ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου. Quorum autem verborum sensum quo rectius constituamus, hoc inprimis nobis agendum videtur, ut primum genuinam verbi graeci αἴρειν notionem sollicite indagemus, deinde exploremus, quid sit αἴρειν τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, apposite potissimum ad sententiarum h. l. nexum, quo accuratius haec formula respondeat notioni ἀμνοῦ τοῦ θεοῦ, eidemque ex Ioannis quidem Baptistae sententia ad Iesum, Servatorem, relatae atque in prolusione proxime praecedente fusius discussae. Quod quidem negotium quo felicius succedat, eruendus ante omnia nobis videtur usus verbi αἴρειν Alexandrinus atque ab usu eiusdem apud alios scriptores graecos obvio distinguendus, ut luculentius adpareat error a plerisque interpretibus hucusque commissus, qui vulgarem quidem verborum explicationem *) ex usu hebraico verbi נשא exsculpere studuerunt **).

Primum igitur observandum est, respondere quidem τὸ Αἴρειν in vers. Alexandr. verbo,

*) vid. meletem. I.

**) Multus iam fuit in refutanda hac vulgari Theologorum sententia Ven. Paullus, in locc. meletem. I. a nobis excitatis, atque usum pure graecum ab usu Alexandrino proba distinxit. Sed liceat nobis alio haec ordine ac plenius, additis etiam novis nonnullis a nobis observatis, nunc persequi.

hebr. נשא, sed non perfecte; graeci enim verbi vis Alexandrina non est eiusdem ambitus, ac verbi hebraici potestas. — Verbo נשא duplex quidem subest significatio: primum Auferre, Removere, Tollere (ex utraque quidem huius verbi vi: amovere et euehere — sursum tollere); deinde Ferre, Portare. E posteriori hac significatione verbum נשא eandem vim habet cum alio verbo hebr. סבל. Sed nuspiam in versione Alexandrina αἴρει extat pro hebr. סבל; nec adhibetur pro נשא, ubi hoc ferre, Portare significat, atque eandem potestatem habet cum verb. סבל; tum enim τῷ נשא in vers. Alexandr. respondet τὸ φέρειν. Αἴρειν potius in iis modo vers. Alex. locis occurrit, ubi נשא in textu hebraico vim auferendi habet, idemque est ac ἀφαιρεῖν. Id quod clare docent loca a Trommio et Biblio excitata omnia ac singula. — Idemque valet, si נשא cum עון, פשע, חטא rel. per accusativum construitur. Tum demum enim versio Alexandrina habet αἴρειν τ. ἁμαρτίαν, si verbo נשא notio auferendi subiecta est. Quare formula αἴρειν τ. ἁμαρτίαν duplicem modo significatum in versione Alexandrina sibi adiunctum habet: 1) Remittere peccata (auferre reatum eorum) v. c. 1 Sam. XV, 25. Cui aequipollet ἀφαιρεῖν, Exod. XXXIV, 7. Num. XIV, 18. 2) Abolere, amovere peccata; quo sensu ἐξαίρειν occurrit Exod. XXVIII, 38. et ἀφαιρεῖν, Levit. X, 17. — Interdum autem נשא cum עון seu פשע vel etiam cum nomine personae aut loci ita coniungitur, ut hoc nomen partic. ל praefixam sibi habeat: tum נשא significat Indulgere, Parcere, v. c. Gen. XVIII,

26. — Nonnunquam colligitur utraque verbi נשא construendi ratio in eadem notione universa, e. c. Genes. L, 17., ubi in eodem commate נשא פשע et נשא לפשע de eadem re dicitur. Attamen non eadem has formulas ratione reddit versio Alexandrina; priorem potius transfert: ἀφιέναι (non αἴρειν) τ. ἀδικίαν, posteriorem autem δέξασθαι τ. ἀδικίαν. Similiter Num. XIV, 19. כשאתה לעם redditur ad sensum: ἵλεως ἐγένου; et Ps. XCVIII. (hebr. IC.) verba: נשא היית להם transferuntur: εὐίλατος ἐγίνου αὐτοῖς. — In uno tamen loco (1 Sam. XXV, 27.) formula נשא לפשע ab interprete Alexandrino redditur per αἶρειν τὸ ἀνόμημα; quoniam hoc saltem sententiarum nexu notio indulgendi congruit cum notione remittendi et auferendi reatum. — Quae quum ita sint, certe inde colligimus, neque verbum נשא cum עון, פשע rel. coniunctum semper significare Remittere peccata h. e. eorum auferre reatum *); nec αἶρειν τ. ἁμαρτίαν ubique in vers. Alexandr. solam hanc sibi adiunctam habere significationem. Multo minus autem αἶρειν τ. ἁμαρτίαν, ex usu quidem versionis Alexandrinae, significat peccata ferre, eorum reatum in se suscipere ac poenas luere. Nusquam enim αἶρειν, quod supra iam monuimus, ab interprete Alexandrino adhibebatur pro hebr. נשא, ubi hoc verbum eandem vim habet cum

---

*) Errat igitur Hackspanius, hoc sumens in Not. philol. theol. P. III. p. 389 sqq. et, qui eum sequitur, Ven. Schleusner in Lexic. in N. T. ad voc. αἴρω.

altero hebr. סבל, et Ferre, Portare significat. — Egregie igitur falluntur, qui ex usu loquendi hebraico in N. T. solemni, quod τὸ αἴρειν respondeat τῷ נשא, hoc autem saepius sit i. q. סבל, ferre, portare, iure suo colligere putant, verbis Ioannis Baptistae: ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τ. κόσμου significari victimam piacularem a Christo ipso Patri in corpore suo pro peccatis universi generis humani oblatam *). — Cui accedit, hanc formulam αἴρειν τ. ἁμαρτ. praeter locum nostrum semel duntaxat, et quidem apud eundem scriptorem, Ioannem nempe, qui h. l. effatum aliquod Ioannis Baptistae refert, redire, in prima quidem Ioannis epist. c. III, 5., atque, ita iubente universa orationis serie, eandem habere auferendi, non ferendi, vim ac potestatem. Quod enim v. 5. dicitur: ἐκεῖνος ἐφανερώθη ἵνα τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν ἄρῃ, v. 8. aliis quidem verbis in eandem sententiam exprimitur: εἰς τοῦτο ἐφανερώθη ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, ἵνα λύσῃ τὰ ἔργα τοῦ διαβόλου. Τὰ ἔργα τ. διαβόλου autem sunt peccata, quibus vita humana contaminatur. Sub initium enim huius commatis inquit Apostolus: ὁ ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν, ἐκ τοῦ διαβόλου ἐστίν· ὅτι ἀπ' ἀρχῆς ὁ διάβολος ἁμαρτάνει. Atque tum proxime sequuntur verba supra excitata: εἰς τοῦτο γὰρ ἐφαν. ὁ υ. τ. θ., ἵνα λύσῃ τ. ἔργ. τ. διαβ. Itaque λύειν τ. ἔργα τ. διαβόλου sine dubio significat Removere, tollere peccata. Eadem igitur sententia et for-

*) Vide sis vulgarem hanc sensus horum verborum notationem in meletem. I, a nobis expositam.

mulae αἴρειν τ. ἁμαρτίας subiecta sit necesse est. Vnde intelligimus, retineri a Ioanne, Apostolo, in hac formula usum Alexandrinum, nec illam referendam esse ad notionem victimae piacularis, quae ferat peccata mundi. Parum enim proficias, si cum ven. Schleusnero (in Lexic. in N. T. sub voc. αἴρειν) statuere velis, hac formula αἴρειν τὰς ἁμαρτίας significari peccata in se suscepta tollere. Congruunt quidem nonnunquam in voc. αἴρειν notiones sursum tollendi et auferendi. Verum notio princeps etiam tum est Tollere; neque profecto apta esset notio adiuncta suscipiendi et ferendi peccata in agno sacrificio oblato *). Vbi autem haec notio peccata in se suscipiendi et ferendi regnat, atque in textu hebr. סבל et נשא extat, nusquam, quod caput rei est, in vers. Alexandr. adhibetur verbum αἴρειν, sed ubique vel φέρειν, vel λαμβάνειν, vel etiam ὑπέχειν, in ipsis etiam locis a Ven. Schleusnero laudatis, v. c. Levit. XVI, 22. XX, 19. XXIV, 15. Thren. V, 7. Ezech. XVIII, 20. Formula vero αἴρειν τὰς ἁμαρτίας adhibetur in vers. Alexandr. duntaxat de peccatis vel remittendis, vel removendis et abolendis.

Attamen haud inficiamur, verbo αἴρειν in N. T. libris nonnunqum inhaerere et ipsam notionem ferendi, v. c. in formula αἴρειν τὸν σταῦρον αὐτοῦ **), sed ex usu aliorum graecorum,

*) vid. meletem. II.

**) Quam quidem formulam in Evangeliis saepius

non ex usu Alexandrino; qua de re postea uberius disseremus. Sed hactenus agebatur tum de usu huius verbi Alexandrino, quem nunquam non urgere solebant Theologi, tum de sensu totius formulae ἄιρειν τ. ἁμαρτίαν bis modo in universo N. T. obviae apud eundem quidem auctorem, Ioannem Apostolum. Atque hanc ipsam formulam in altero loco Ioanneo (1 Io. III, 5.) solam notionem auferendi, non ferendi et in se recipiendi, subiectam sibi habere, supra iam evicimus. — Nil igitur profecit b. Storr (in Promtuario Flattiano Tom. II. p. 202.) excitando loco 1 Maccab. XIII, 17., ubi ἆραι τὴν ἐχθρὰν πρὸς τὸν λαὸν omnino significat inimicitiam populi ferre et quasi in se suscipere, h. e. odium irati populi in se concitare. Nequaquam enim negamus, verbum ἄιρειν apud graecos et ipsam ferendi notionem habere sibi subiectam. Sed quaerebatur primum de usu verbi ἄιρειν Alexandrino, qui hanc verbi notionem plane repudiat. — Nec reputavit vir doctissimus, qualis loci nostri cum illo loco 1 Maccab. XIII, 27. collati sensus ex his a se observatis resultet, aptissimus ille quidem, sed consilio suo plane contrarius. In illo enim loco Maccab. ἆραι τὴν ἐχθρὰν πρὸς τ. λαὸν est iram et odium populi experiri. Quocum si conferas loci Ioannei verba: ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, atque haec ad modum illius loci explices, Iesus a Ioanne Baptista dicitur im-

---

redeuntem egregie illustratam vid. in b. Fischeri doctissimo libro de vitiis Lexicorum N. T. p. 372 sqq.

probitatem hominum variis quidem vitae calamitatibus experturus, et agni instar patienter toleraturus. Egregius sane verborum sensus, quem et ipse praetulerim! Sed b. Storr notionem victimae piacularis e loco nostro cum antiquioribus Theologis exsculpere studuit: quae quam parum apta sit illi loco e libri 1 Maccab. petito, plane adparet. Nam ἆραι τὴν ἔχθραν πρὸς τ. λαὸν ibi manifeste non est poenas populi propter inimicitias et odia promeritas in se quasi suscipere et luere (quem quidem sensum in loco Iohannis quaesivit b. Storr); sed potius ipsas illas inimicitias et odia populi experiri atque gravis instar oneris in se suscipere ac ferre. Sed satis de his! —

Pergimus, ne quicquam, quod ad rem pertineat, praetermittamus, ad usum verbi αἴρω apud auctores profanos, qui varius sane est et multiplex. — In Stephaniano thesauro linguae graecae significatus huius verbi notantur sequentes: Tollo i. e. Atollo, Sursum tollo, Eueho, Subueho. — Augeo, Amplifico. — Capio, Sumo. — Affero, Porto, Gesto, Aufero. — Moveo i. e. Soluo, Proficiscor, Abeo. — Quae de variis τοῦ Αἴρεσθαι significatibus copiose disserit Henric. Stephanus, etsi sint iis, quae ex illo thesauro, omissis quidem auctorum graecorum locis, huc transtulimus, valde cognata, ad rem nostram, quum de sola formula αἴρειν τ. ἁμαρτίαν τ. κόσμου rectius explicanda simus solliciti, proprie non pertinent. — Quomodo autem variae hae eiusdem verbi notiones inter se cohaereant, breviter ac bene illustrat Lennep,

vir celeberrimus, his verbis *): „Αἴρω. Est a simpliciori ἄρω **), quod notat subleuando vel motu vibratorio, in altum tollo: de quo suo loco. [Quae autem ibi (p. 168.) ad verbum ἄρω dicta huc pertinent, quo sequentia melius intelligantur, hic interserere liceat. „Propria verbi ἄρειν notio posita est in vi et „impetu, quo aliquid aliorsum moveatur, et „admoveatur alteri; unde notiones omnes, quae „huic verbo adsignantur, eiusque derivatis, re„petendae sunt."] — Inde αἴρω sonat tollo, attollo, eveho: praeterea notiones accepit capiendi ***), adferendi, auferendi, de medio tollendi, evertendi, abeundi, solvendi nauem, castra movendi. Dein, altius translatum, idem sonat quod amplificare, exaggerare; ac tandem de animo adhibetur, idemque est quod animo concipere, uti in αἱρεῖν θάρσος, cui opponitur αἴρειν δειλίαν." — Quibus et illa respondent, quae habet Hesychius †). „Αἴρει. ἐγείρει. αὔξει. κουφίζει. βαστάζει. κατὰ κράτος λαμβάνει"

*) vid. I. D. A. a Lennep Etymologicum linguae graecae ed. Ever. Scheidii, P. I. p. 79.

**) Plerumqne αἴρω derivatur ab ἀείρω. Sic Etymolog. M. habet: Αἴρω ἀπὸ τοῦ ἀείρω κατὰ κρᾶσιν τοῦ ἀ ἐ εἰς ἀ μακρόν. In quo adstipulantur Hesychius et Phavorinus.

***) de qua significatione τοῦ αἱρεῖν venatica vid. Iul. Pollucis Onomasticum ed. Hemsterhusii, p. 479.

†) vid. Hesychii Lexicon, ed. Alberti, Vol. I, p. 170. et de ἀείρω p. 107.

quod postremum autem, monente Küstero, pertinet ad αἱρεῖ. Sed salva nobis res videtur; ἀγρεῖν enim de captura venatica dici, notum est, inprimis e Iul. Pollucis Onomast. l. c.]. Similia refert Hesychius ad voc. Ἀείρω. v. c. Ἀεῖραι. βαστάσαι. ἆραι. — Ἀείρας. ἐγείρας. κουφίσας. — Αεῖρε. φέρε. πρόσφερε. De quibus singulis conferantur notae cel. Alberti his glossis subiectae. — In eundem modum iisdem fere verbis Phavorinus (in dictionario) variam τοῦ αἴρειν et ἀείρειν vim ac potestatem illustrat, quae hic repetere non attinet. — Addimus modo ex Io. Zonarae Lexico (ed. Ven. Tittmanni p. 53.) glossam hanc: Ἀείρας· κουφίσας ἐπάρας. βαστάσας. — Quibus sollicite inter se collatis primariam notionem verbi Αἴρειν facile intelligimus esse Tollere, Elevare (Heben); quae et ipsa deinceps in duplicem aliam abiit: alteram quidem — Tollere, Amovere (Wegheben, Wegschaffen); alteram vero — Sursum tollere vel ad ferendum et portandum, vel ad auferendum. Vnde reliquae notiones verbi αἴρειν sive propriae sive impropriae sponte deinceps enatae sunt. Ex hoc igitur usu huius verbi pure graeco certa omnino est et explorata notio ferendi et portandi, quam versionis quidem Alexandrinae consuetudo ignorat. Itaque lubenter concedimus, hanc verbi potestatem in libris etiam N. T. usu venire posse; nec refragamur, si quis ex hac vi verbi αἴρειν formulam αἴρειν τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου illustrare velit.

Ne quid autem temere aut cupide arripere videamur, ubi singula potius ab omni parte

accurate sint ponderanda, duo potissimum hac in re attendenda mihi videntur: primum quidem quinam varii possint ex multiplici illa verbi αἴρειν potestate recte erui sensus formulae αἴρειν τὴν ἁμαρτίαν τινός, si eam quidem per se spectes; alterum vero, quinam sensus, collati quidem cum vera agni Dei h. l. commemorati notione, relata quippe ad Iesum, Servatorem, atque in praecedente meletemate copiose examinata, loco nostro conveniant, quive minus. Tum demum certius statui poterit de vero huius loci sensu: qua quidem via ac ratione neglecta in re gravi et difficili vel plane haeremus, vel falsa et inania sequimur, vel incerti vagamur ad hanc vel illam quidem partem pertracti, nec unquam praeclaram illam iustae interpretationis metam attingimus. — Quod ad priorem quaestionem attinet, e duplici potestate verbi αἴρειν binae resultant classes, ad quas redigi varii formulae αἴρειν τὴν ἁμαρτίαν τινός significatus possunt; haec enim formula ad peccata alterius refertur vel auferenda vel ferenda et sustinenda. I. Peccata alterius auferuntur vel tollendis consectariis peccatorum, aut iam commissorum, aut (futurorum tum αἴρειν τ. ἁμαρτ. τινός est Remittere peccata, reatum eorum tollere); vel tollendis ipsis peccatis, aut e conspectu quasi Dei (tum αἴρειν τ. ἁμαρτ. τινός est, ex antiqua quidem cogitandi sentiendique consuetudine, tegere peccata; quod, remota verborum imagine, idem est, quod Remittere peccata, reditque ad primam formulae vim); vel ne committantur in posterum (tum haec formula significat Emendare hominis pravitatem, eiusque abolere vitiositatem). — II.

neris humani, sublatae omnino dici possent poenae peccatorum per Iesum Christum eiusque praesertim mortem salutarem. At agni ratio, quo quidem nomine Iesus h. l. a Ioanne Baptista compellatur, hunc sensum, hoc saltem loco, haud permittit, si ritus sacrificiales Iudaeorum h. l. spectasse dicitur Ioannes. Agnos enim nunquam victimae piacularis loco, sed ceu sacrificia καθαρτικὰ apud Iudaeos Deo oblatos fuisse constat Sed ne καθάρσιον quidem sacrificium morte I. C. cruenta Deo oblatum, quod quidem tanquam symbolum remotae impuritatis et recuperatae gratiae divinae facile admitti posset, respexisse Ioannem Baptisten, quum funestum I. C. supplicium animo *haud* praeceperit, supra docuimus. — Restat igitur e priori hac classe altera modo notio *sublatae* ipsius vitiositatis hominum. Itaque diceretur Iesus a Ioanne Baptista sublaturus peccata, *ne* amplius committantur, abolenda nempe hominum vitiositate ope doctrinae suae salutaris hominumque animos emendaturae. Eatenus omnino compellari poterat Iesus ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου. Sed impeditur ex altera parte haec formulam αἴρειν τ. ἁμαρτ. h. l. explicandi ratio, per se quidem facilis et expedita, observato nexu, quo cum nomine Iesu ἀμνὸς τ. θεοῦ proxime cohaeret. Hac enim agni imagine depingi a Ioanne scimus innocentiam, mansuetudinem et patientiam Iesu Servatoris. Quid autem eximia haec virtus Christi in subeundis calamitatibus inprimis conspicua praestiterit ad doctrinae suae salutaris rationem, qua, emendatis quidem animis, deleatur eorum vitiositas, non facile intelligitur. Neque velimus eum

Ven. Paullo nexum sententiarum in opinata imbecillitate quaerere, qua Iesus cum agno hunc in modum comparetur: „Iesus, etsi imbecillis admodum videtur nec gerendis rebus gravibus satis idoneus, sustinebit tamen grave aggredi opus homines doctrina sua salutari emendandi, tollendique eorum vitiositatem. Etenim, etsi egregie hoc modo sententias loco nostro invicem necti haud infitiemur, non facile tamen quisquam, nisi alia explicandi causa addat, sola agni adpellatione imbecillitatis imaginem expresserit: innocentiae contra, mansuetudinis et patientiae notam in agno invenerit quisque. Quare, si sublatae ipsius vitiositatis notionem in explicanda formula ἄιρειν τ. ἁμαρτίαν praeferre velis, statuas necesse est, quum Iesus a Ioanne Baptista compelletur Agnus Dei, hoc singulatim dici, nec cohaerere cogitando cum sequente formula: ἄιρειν τ. ἁμαρτ. τ. κόσμου, duas potius sententias singulares his verbis significari has: „Iesum esse virum optimum, pium ac mansuetum (agni instar), qui se totum Deo eiusque consiliis consecret; hunc autem virum magna quoque et egregia esse praestiturum, doctrina nempe saluberrima homines emendaturum atque eorum vitiositatem de medio sublaturum.“ — Sed veremur, ne dirimendis hac via sententiis loco nostro arctissime nexis haec una e priori classe residua formulam explicandi ratio, etsi per se quidem plana, perspicua atque utroque adeo usu Graecorum, et profanorum et sacrorum, suffulta, ipso denique Ioannis, Apostoli, testimonio (1 Io. III, 5.) adiuta, iustis harum rerum arbitris displi-

ceat. — Itaque praeferenda esse videtur altera sensus notatio, quam solam e classe posteriore remanere supra vidimus, qua αἴρειν τὴν ἁμαρτίαν τινὸς prauitatem alienam patienter ferre significat. Haec enim verbi αἴρειν potestas, etsi usu Alexandrino et ipsius Ioannis (1 Io. III, 5.) destituatur, firmatur tamen et consuetudine Graecorum et ipso aliquo loco e libris V. T. apocryphis (1 Maccab. XIII, 17.), commendaturque h. l. inprimis tam facilitate sensus quam nexus illius cum vera agni Dei notione arctissimi evidentia.

Quae quum ita sint, facillimum sane et aptissimum huius loci sensum, eumque et singularium sententiarum potestate copiose supra expositae et iustae earum inter se connexioni quammaxime accommodatum censemus hunc: „Hic est vir egregius Deoque sacer," qui pra„vitatem hominum per vitam suam graviter „quidem etsi innocens experietur, sed agni „instar mala sibi inflicta patienti et mansueto „animo substinebit." — Ἁμαρτίαν enim h. l. non peculiare aliquod peccatum significare, sed pravam omnino indolem; atque voc. κόσμος, hoc quidem loco, hocque sententiarum nexu, neque rerum universitatem, neque universum genus humanum denotari, sed ex usu Ioanni solemni populum Iudaicum, non est quod prolixius demonstremus.

Verum enimvero quum in hoc meletemate, ne propriae meditationis ordo immixtis alienis interrumperetur, nullam aliarum opinionum exegeticarum habuissemus rationem, sed

solum nostrum sequuti essemus meditandi modum, haud paucos, quibus aliena sedet sententia, facile praevidemus nisi plane dissensuros, tamen valde haesitaturos. Quare nobis animus est, in sequente meletemate IVto eoque ultimo, volente Deo, non modo aliorum interpretum, tam antiquiorum, Patrum praesertim, quos vocant, quam recentiorum curas cum nostris comparare, atque nonnulla luculentius illustrare; verum etiam de ratione narrationis Ioannis, Apostoli, ad ipsum effatum Ioannis Baptistae, duce praesertim b. Herdero *), nonnihil disserere, atque in eam potissimum descendere quaestionem, utrum forte τὸ αἴρειν τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου ex mente et consilio Ioannis, Evangelistae, aliud quid significet, ac ex ore Ioannis, Baptistae significare potuisset. Solum enim hoc posterius, quid Ioannes Baptistes, his verbis significare potuerit, in hoc ipso meletemate spectavimus, grammaticae atque historicae interpretationis leges unice sequuti; sed in sequente meletemate, ne quid, quod ad rem pertinere videatur, reticeamus, ad illustrandum hunc locum Criticae etiam sublimioris, quam vocant, rationem habebimus.

P. P. ipso Paschatos die, A. R. S. MDCCCX.

---

*) in libello: von Gottes Sohne, p. 125 sq.

Meletema IV.

In exponenda vi formulae αἴρειν τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου in loco illustri Io. I, 29. obviae quum in praecedente prolusione solius interpretationis grammaticae et historicae, additis quidem quoque loco iustis rerum argumentis, leges sequuti essemus, ut, quid de genuino huius loci sensu vere statuendum sit, eo luculentius adpareat, aliorum h. l. interpretandi periculorum fere prorsus incurii: hoc ultimo tandem in h. l. meletemate, ne quid, quod nosse intersit, silentio praetermittamus, primo loco commemorandi sunt potiores aliorum interpretum, sive antiquiorum sive recentiorum, labores, collati quidem, etsi breviter, cum iis, quae in tribus superioribus meletematibus tum ex linguae graecae rationibus, tum ex usu sacrificiorum, tum denique ex ipso Ioannis Baptistae ingenio copiose (nonnullis forte lectoribus prolixe) monuimus.

In referenda hac formula αἴρειν τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου ad sacrificii notionem omnes quidem consentiunt, quotquot nobis supersunt, antiquiores ecclesiae graecae et latinae doctores, etsi in constituenda propria vi verbi αἴρειν h. l. iidem inter se differunt. — Origenes in Commentar. in Ioh. ad h. l. (ed. Huetii Col. p. 141 sq.). Christum cum agno sacrificii iugis a Ioanne comparari existimans τὸ αἴρειν ad auferenda peccata totius mundi refert, quod ex oratione contexta (p. 146. ed. Huet.) clare patet. Ipsam autem Iesu, ceu agni, immolationem factam esse tum ad puros redden-

dos homines, tum ad redimendos eos a potestate diaboli, hisce significat verbis (p. 142.): Οὗτος δὴ ὁ ἀμνὸς σφαγεὶς καθάρσιον γεγένηται, κατὰ τινὰς ἀποῤῥήτους λόγους τοῦ ὅλου κόσμου, ὑπὲρ οὗ κατὰ τὴν τοῦ πατρὸς φιλανθρωπίαν καὶ τὴν σφαγὴν ἀνεδέξατο, ὠνούμενος τῷ ἑαυτοῦ αἵματι ἀπὸ τοῦ ταῖς ἁμαρτίαις ἡμᾶς πιπρασκομένους ἀγοράσαντος *). — Cyrillus Alexandrinus in Comment. in Ioh. (Opp. T. IV. ed. Aubert. p. 114.) notionem agni ex loco Es. LIII. haustam esse putat, atque formulam αἴρειν τ. ἁμαρτ. τ. κόσμου refert ad abolitionem peccati et mortis omnium hominum per mortem I. C., hancque sententiam multis sane verbis, nec iis bene cohaerentibus, l. c. exponit, quorum nonnulla tantum, quum reliqua eiusdem fere tenoris sint et argumenti, ad perspiciendam Cyrilli sententiam, huc transscribere libet. „Ὁ πάλαι δι' αἰνίγματος ζωγραφούμενος ὁ ἀληθινὸς ἀμνὸς, τὸ ἄμωμον ἱερεῖον. ὑπὲρ πάντων ἄγεται πρὸς σφαγὴν, ἵνα τοῦ κόσμου τὴν ἁμαρτίαν ἐλάσῃ, ἵνα τὸν τῆς οἰκουμένης ὀλοθρευτὴν ἀνατρέψῃ, ἵνα καταργήσῃ τὸν θάνατον ὑπὲρ πάντων ἀποθανὼν, ἵνα λύσῃ τὴν ἐφ' ἡμῖν κατάραν — — —

Chrysostomus, qui et ipse (Homil. XVII. in Ioh. Opp. T. VIII. ed. Montfauc. p. 97 sqq.) Ioannem Baptist. h. l. ad Es. LIII. atque ad agnos in V. T. tollendi reatus pecca-

*) In egregia dissert. b. Doederlini de redemtione a potestate diaboli hic locus Origenis a viro celeberrimo praetermissus supplendus est.

torum causa sacrificio oblatos respexisse putat, locum nostrum breviter sic exponit: Ἀμνὸν δὲ αὐτὸν καλεῖ τῆς προφητείας ἀναμιμνήσκων Ἰουδαίοις τοῦ Ησαΐου καὶ τῆς σκιᾶς τῆς κατὰ τὸν Μωσέα, ἵν' ἀπὸ τοῦ τύπου μᾶλλον αὐτοὺς προσαγάγηται πρὸς τὴν ἀλήθειαν. ἐκεῖνος μὲν οὖν ὁ ἀμνὸς οὐδενὸς καθάπαξ ἁμαρτίαν ἔλαβεν· οὗτος δὲ τῆς οἰκουμένης ἁπάσης. Κινδυνεύουσαν γὰρ αὐτὴν ἀπολέσθαι, ταχέως αὐτὴν ἀπήλλαξε τῆς ὀργῆς τοῦ θεοῦ. — Praeterea duplicem Chrysostomus sermoni suo in *h. l.* immiscet coniecturam haud probabilem. Primum haec verba ἴδε ὁ ἀμνὸς τ. θεοῦ κ. τ. λ. Ioannem Baptisten Iesu eo consilio acclamasse putat, ne quis suspicaretur, Iesum in poenitentiam et remissionem propriorum peccatorum aqua a se fuisse ablutum; nam, qui ita purus sit, ut aliorum possit peccata abluere, eum profecto non, ut sua confiteretur peccata, accessisse, sed ut admirando illi praeconi, Ioanni, occasionem praeberet sui praedicandi et celebrandi. Quam Chrysostomi opinionem et Theophylactus suo more repetit. — Sed aptius sane huic acclamationi, si hoc quidem consilium sibi proposuisset Ioannes, locus fuisset in ipso baptismo Iesu, quam postea. — Deinde male urget formam praesentis temporis in voc. αἴρων (p. 105.) his verbis: Οὐκ εἶπεν· ὁ ληψόμενος ἢ ὁ ἄρας· ἀλλ' ὁ αἴρων τὰς ἁμαρτίας τοῦ κόσμου, ὡς ἀεὶ τοῦτο ποιοῦντος αὐτοῦ· οὐ γὰρ τότε μόνον ἔλαβεν, ὅτε ἔπαθεν, ἀλλ' ἐξ ἐκείνου μέχρι τοῦ παρόντος αἴρει τὰς ἁμαρτίας, οὐκ ἀεὶ σταυρούμενος· μίαν γὰρ ὑπὲρ ἁμαρτιῶν προσήνεγκε θυσίαν, ἀλλ' ἀεὶ καθαίρων διὰ τῆς μιᾶς ἐκείνης." — At solemne fuisse vatibus divinis futura tamquam praesentia et cogitare et describere, quis est, qui

nesciat? Quis igitur in hac praesentis temporis forma ἔμφασιν quaerat? Quare mirari subit, Erasmum, Chemnitium, Baumgartenium aliosque in hac ἐμφάσεων notatione Chrysostomo nil cunctatos accessisse. — Theophylactus, quaecunque ex Chrysostomo delibavimus atque in eo notavimus, et ipse habet. In articulo ὁ (ὁ ἀμνὸς) maiorem aliquam vim quaerens verba sic reddit: Ille est verus agnus a Mose figuratus et ab Esaia praedictus (ὁ ἀληθινὸς ἀμνὸς ὁ παρὰ Μωσῇ τυπούμενος καὶ παρὰ Ἡσαΐου κηρυττόμενος οὗτος ἐστί). Imo vrget singularem numerum in voc. ἁμαρτίαν, et quaerit, cur non potius dictum sit ἁμαρτίας? Causam sibi invenisse videtur in eo, quod ἁμαρτία vel καθολικῶς dicta sit, vel quod ἁμαρτία proprie inobedientiam, peccatum illud mundi significet (ἡ ἁμαρτία τοῦ κόσμου ἡ παρακοὴ ἦν, ἣν ἐκ μέσου ἦρεν ὁ κύριος). — Sed quid efficitur in interpretando eiusmodi coniecturis, quibus nihil sane firmi ac certi inest? — Vestigia horum antecessorum presse sequitur Euthymius Zigabenus (in Commentar. in IV. Evangel. T. III. ed Matthaei, p. 47 sq.) ad h. l., qui tam typicam rationem agni tenet, quam τὸ αἴρειν τ. ἁμαρτίαν τ. κόσμου in violenta morte Iesu quaerit; αἴρειν tamen per ἀφαίρειν (auferre) explicat. Ita enim locum nostrum circumscribendo illustrat: Ἀμνὸν αὐτὸν προσηγόρευσεν, ἀναμιμνήσκων αὐτοὺς τῆς τε τοῦ νόμου σκιᾶς καὶ τῆς Ἡσαΐου προφητείας, καὶ λέγων· ἰδοὺ ὁ ἀμνὸς, ὁ ἐν τῷ νόμῳ σκιαγραφούμενος καὶ ὑπὸ Ἡσαΐου καταγγελλόμενος· εἶτα προστίθησι καὶ ἐξαίρετον αὐτοῦ, ὅτι ὁ παρὰ θεοῦ πεμφθεὶς εἰς σφαγὴν ὑπὲρ σωτηρίας τῶν ἀνθρώπων. — Ἢ ὁ θεῖος, διὰ τὴν ἐν αὐτῷ

θεότητα *). — Ad verba: ὁ αἴρων τ. ἁμαρτ. τ. κοσμ. haec notat Euthymius: ὁ μὲν γὰρ ἀμνὸς τοῦ νόμου θυόμενος ἁμαρτίαν ἑνὸς γένους ἀφῄρει τοῦ Ἰσραηλιτικοῦ· ὡς τύπος καὶ προχάραγμα καὶ σκιὰ τῆς ἀληθείας· ὁ δὲ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ σφαγιασθεὶς τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου παντὸς ἀφαιρεῖ, καὶ καθαίρει τοὺς ἐν τῷ κόσμῳ, ὡς ἀληθεία. ἐκεῖνος μὲν γὰρ ἄλογος, οὗτος δὲ λογικὸς, καὶ οὐ τοῦτο μόνον, ἀλλὰ καὶ θεῖος. — Εἰπὼν δὲ, ὅτι ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, ἔλυσε τὴν προειρημένην ὑποψίαν· ὁ γὰρ τὰς τῶν ἄλλων ἀνθρώπων ἁμαρτίας ἀφαιρῶν, εὔδηλον, ὅτι οὐκ ἔχει ἁμαρτίας. — Inter antiquiores ecclesiae latinae doctores auctoritate eminet Augustinus, qui vero in sua expositione Evang. Ioannis (ed. Colon. Opp. Tom. IX.) pauca modo ad h. l. observat. Recte quidem agni imaginem ad innocentiae notionem refert, acriter simul disputans contra Pelagianos; sed alteram formulam αἴρειν τ. ἁμ. τ. κ. leuiter modo attingit. Pauca igitur sufficient ex hoc commentario decerpta ad cognoscendum Viri ingenium. Omnes ex illa traduce et ex illa propagine, de qua cantat gemens David: ego in iniquitate conceptus sum, et in peccato mater mea in utero me aluit. Solus ergo ille agnus, qui non sic venit. Non in iniquitate conceptus est, quia non de mortalitate conceptus est. Nec eum in peccatis mater eius

*) Dubius igitur haesit Euthymius in constituenda notione genitivi θεοῦ. Prius sine dubio facilius est posteriori; sed verum sensum voc. τοῦ θεοῦ h. l. tamen non vidit Euthymius; denotat enim Deo consecratum, seu acceptum.

in utero aluit, quem virgo concepit, virgo peperit, quia fide concepit, fide suscepit. Ergo ecce agnus Dei. Non habet istam traducem de Adam, carnem tantum sumsit de Adam, peccatum non assumsit. Qui non assumsit de nostra massa peccatum, ipse est, qui tollit nostrum peccatum. Ecce agnus Dei, ecce *) qui tollit peccatum mundi etc. Satis de hoc interprete, sagacissimo quidem, sed artis recte interpretandi imperitissimo! —

Has veterum ecclesiae doctorum, quos Patres vocant, de sensu loci nostri sententias hactenus recensitas si inter se conferas singulas, eas facile intelliges, etsi tam in cognoscenda causa imaginis agni de Iesu Christo h. l. adhibitae, utrum ex Es. LIII, 7. an ab agnis sacrificio oblatis repetendae, quam in explicanda formula τοῦ αἴρειν τ. ἁμαρτ. τ. κοσμ. paululum inter se differant, in eo tamen consentire omnes, quod hac acclamatione Ioannis Baptistae significetur mors I. C. cruenta eaque ἱλαςικὴ ad salutem hominibus, sublatis eorum peccatis, a Deo procurandam. Quare mirum non est, in tanta veterum ecclesiae doctorum auctoritate tantaque vi traditionis exegeticae et dogmaticae posteriores etiam S. S. interpretes ipsius adeo ecclesiae evangelicae quam plurimos tam inter se, si Socinianos atque nonnullos recentioris aevi theologos exceperis, quam

*) De repetito hoc Ecce in utroque membro, vide sis, quae monuimus in meletem. II.

cum antiquioribus istis ecclesiae christianae doctoribus in summa quidem rei supra tradita amice conspirarè, licet in singulis in varias iidem partes abeant. — Plerique enim formulam αἴρειν τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου referunt ad mortem I. C. expiatoriam atque satisfactionem vicariam, quatenus nimirum Iesus, servator, supplicio crucis adfectus victimae instar graue peccatorum totius mundi onus in se susceptum portando sustulerit. Hanc formulae notionem urgent inprimis Chemnitius, Dorscheus, Deylingius, Wolfius, Heumannus, Maius, Baumgartenius, Semlerus, Lightfoot, alii, (quos vide in Koecheri analectis in IV. Euangel.) atque provocant, quo hunc sensum verborum h. l. defendant, non modo ad plura loca scriptorum profanorum, quibus haec potestas τοῦ αἴρειν (ferre, portare) constet (qualia haud pauca congessit Henric. Maius in observationibus sacris, Libr. III, p. 53 sq.), verum etiam ad ipsum usum vers. Alexandr., quem quidem negauimus in prolus. III. Heumannus autem ad h. l. plura e vers. Alexandr. exempla attulit, ex quibus hanc verbi αἴρειν potestatem exsculpere studet. Nec negari potest, plura adesse loca S. S., quibus τὸ αἴρειν aeque ac נשא Ferre, Portare significet, sed ad auferendum (v. c. Matth. 4, 6. et Luc. IV, 12. coll. Ps. XCI (O. XC.) 12. Exod. XXV, 14. 27. 1 Sam. XIV, 1. XVII, 7. Idemque valet de hirco emissario, Levit. XVI, 22., quod non quadrat ad agnos sacrificio oblatos). Nequaquam vero eo sensu, quo ferre peccata idem sit, quod poenas peccatorum luere, τὸ αἴρειν τὰς ἁμαρτίας apud τοὺς ὁ occurrit. Perpe-

ram enim locus Levit. X, 17. huc refertur, ubi τὸ αἴρειν τῷ נשא respondens nil nisi Auferre significat. Contra vero Levit. V, 1., ubi ונשא עונו vere est: poenam peccati luet, versio Alexandrina habet: λήψεται τὴν ἁμαρτίαν. Idemque occurrit Levit. XIX, 17. Ezech. XVIII, 20., atque Thren. V, 7. τῷ סבל respondet ὑπέχειν apud τοὺς Ο'. Itaque haud favet usus versionis Alexandrinae huic Theologorum de sensu loci nostri sententiae, quam vero, si formulam h. l. per se spectes, ab usu purae graecitatis omnino admitti, in meletem. III. iam concessimus. — Male autem b. Rambach (Instit. hermen. sacr. L. IV. c. VII. v. 15.) tres τοῦ αἴρειν significationes tollendi, ferendi et auferendi coniunctas h. l. esse vult, addita quidem causa hac: „spiritum sanctum „per Ioannem nihil adiecisse, quo ampla hu„ius vocis significatio restringatur." Nam, ut taceamus, ipsa agni imagine iam circumscribi h. l. notionem τοῦ αἴρειν, profecto non licet plures eiusdem verbi in eodem loco significationes admittere, si iustas interpretandi leges sequi velis, nisi in ipsa rei descriptae natura plures isti significatus arcte inter se sint coniuncti: repudianda potius est et procul profliganda ab interpretatione talis S. S. foecunditas, quae supremae legi hermeneuticae de sensu nonnisi unico repugnat. —

Sed transeamus nunc ad varietatem opinionum theologicarum, saluo quidem in summa rei eorundem consensu. — Alii cum Patribus nonnullis cogitant h. l. de tollendis et auferendis peccatis, non proprie portandis;

sed peccata significare putant poenas peccatorum, quas loco hominum luerit I. C. morte sua cruenta. Quae quidem sententia eodem redit cum vulgari supra exposita *), licet non iisdem, nec tamen nullis, difficultatibus prematur. — Aliam vim formulae αἴρειν τ. ἁμαρτ., qua condonare peccata significat, aeque ac hebr. נשא חטאת 1 Sam. XV, 25. XXV, 28., quod Ioh. XLII, 9. λύειν τ. ἁμαρτ. dicitur, probat Io. Drusius in illustrando loco nostro **), sed parum apte ad imaginem agni, qui condonare peccata dici nequit; neque profecto intelligeretur, quid sibi Ioannes Baptist. voluerit tali acclamatione, ita quidem intellecta, nec loco, nec tempori, nec ipsi personae commoda. — Lampe (in Commentar. in Ev. Io. T. I. ad h. l.) et inprimis I. H. Maius (in Observ. sacr. P. III. p. 55.) ex significatione τ. αἴρειν, in altum tollere, sensum huic loco aptum exsculpere allaborarunt; Iesum, servatorem, enim peccata nostra quasi in crucem sustulisse, coll. 1 Petr. II, 24., affixae instar tabellae causam supplicii significantis. — At, sumto hoc verborum sensu ad imaginem agni, nunquam in crucem acti, parum apto, Ioannes, Baptistes, censendus esset h. l. non tan-

*) Cf. I. A. Danzii diss. de λύτρῳ, §. XXXI. in Meuschenii N. T. ex Talmude illustr. p. 887.

**) v. I. Drusii Annotation. in totum I. C. testamentum (Amst. 1633. ad h. l. p. 119. — vel Critic. Angl. Tom. VI, p. 1152.

tum mortem I. C. violentam omnino, verum etiam ipsum crucis supplicium praevidisse! — Similiter haerent interpretes in voc. ἁμαρτίαν, ac in diversa abeunt. Alii cum Zegero ex auctoritate nonnullorum codd. vers. antehieronym. apud Sabaterium *) peccata (ἁμαρτίας), non peccatum (ἁμαρτίαν) legi iusserunt. Sed manifeste pugnat haec lectio contra fidem et auctoritatem codd. graecorum omnium, patrum et versionum (nam et vers. antehieronymiana habet peccatum secundum cod. Veronensem et alios codd.); orta igitur esse videtur ista lectio ex glossa antiqua. Alii retinent quidem lectionem veram, sed cum Thoma Aquinate singularem numerum ad peccatum originale referunt. Quod Thomae Aqu. commentum cohaeret cum sententia Soholasticorum: Iesum Christum nonnisi peccati originalis poenas dedisse; quae vero quisque male factis meruisset, ipsi reseruari perferenda vel satisfactionibus vel purgatorii flammis. — Beza autem aliique, qui et ipsi ἁμαρτίαν peccatum originale s. labem illam naturalem intelligi volunt, peccata actualia, quae vocant, ita statuendo non excludunt, spectant modo labem illam congenitam tamquam radicem omnium peccatorum, et peccata actualia ceu fructus illius. — Plerique autem theologi cum Erasmo et Grotio ἁμαρτίαν per enallagen numeri ἐμφατικῶς et collective dictam esse existimant, atque intelligendam peccatorum universitatem

*) vid. Semleri paraphr. Ev. Ioannis, P. I. append. p. 12. not. 61.

vel corpus pcccati, (collato, male quidem, loco Rom. VI, 12.); vitiorum omnium colluviem, vim ac tyrannidem *). — Posse hac ratione explicari ἁμαρτίαν, nemo negaverit, quum haud desint in S. S. huius loquendi modi exempla; debere autem nos ἁμαρτίαν h. l. ita intelligere, ac si scriptum sit ἁμαρτίας, minus recte, etsi speciose, colligitur ex loco parallelo 1 Ioh. III, 5., ubi Ioannes alteram formulam αἴρειν τὰς ἁμαρτίας adhibeat; nam hoc quidem loco non agitur de effato aliquo Ioannis Apostoli, sed de oraculo Ioannis Baptistae. Maiorem autem veri speciem prae se ferret hoc argumentum, si verba: ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, non essent Ioannis Baptistae, sed Ioannis Euangelistae; qua de re paullo inferius dicendi locus erit. Male autem et immerito damnantur ab his theologis Dammius aliique recentioris aevi interpretes **), qui ἁμαρτίαν putant dictam esse a Ioanne in gentis Iudaicae in Christum impietatem. Ἁμαρτίαν enim saepius in N. T. libris significare vitiositatem s. vitiosam hominum indolem, certum est, modo conferas Io. VIII, 21. 1 Cor. XV, 26. 1 Io. I, 7. 8. — Quod denique attinet ad notionem τοῦ κόσ-

*) Conferri in hanc rem merentur commentarii Wolfii, Bengelii, Lampii, Heumanni, aliorumque, praeter antiquiores interpretes in Criticis sacris.

**) Damm et Bahrdt in verss. vernaculis N. T. Paulus in Commentar. in Commentar. in Evang. Ioannis, P. I. p. 137. et Herder in libello: von Gottes Sohn p. 126.

μου, interpretes plerique, si Praedestinatianos, quos vocant, exceperis, qui, v. c. Lampe ad h. l., inepte quidem et opinionibus in interpretando nimium indulgentes, solos praedestinatos hoc vocabulo significari sibi persuaserunt *), omnes omnino homines, sine ullo discrimine (πάντας ἀνθρώπους Rom. V 18. VIII, 32. 2 Cor. V, 15. 1 Tim. II, 6.), sive Iudaeos sive Ethnicos, hoc vocabulo κόσμος significari statuunt. Quam formulae vim ac potestatem licet ex usu librorum N. T. lubentes concedamus, Iudaeos tamen κατ' ἐξοχὴν in Evangelio praesertim Ioannis hoc insigniri nomine constat (coll. capp. XIV - XVI.); quod dudum monuere Tellerus et Schleusnerus in Lexicis N. T. —

Quibus inter se collatis singulis ac examinatis maximum sane regnare in summa quidem rei facile intelligimus consensum plerorumque interpretum tam inter se ipsos, quam cum Patribus, graecis praesertim, atque in levioribus tantum et ad causam ipsam, in qua cardo rei vertitur, haud pertinentibus aliquem eornm indercedere dissensum. Quod quidem, si auctoritatem virorum gravissimorum atque

---

*) Ex quorum numero tamen eximendi sunt Calvinus ipse et Cocceius, qui in commentariis asperiorem hanc, ipsi licet Praedestinatiani, κόσμον explicandi rationem haud inierunt, et Conr. Ikenius (dissert. philol. theologic. Vol. I. p. 433 sq.), qui, ne sive affirmando sive negando offenderet, κόσμον indefinite homines significare censuit.

in ecclesia nostra laudatissimorum in interpretando sequi liceat, vulgarem explicandi nostri rationem firmissime corroborare videtur. Verum enimvero si conferas ea ac mente reuoluas, quae in antecedente meletemate III. de vi ac potestate formulae αἴρειν τὴν ἁμαρτίαν, apposite quidem ad imaginem agni et ad ipsam Ioannis Baptistae personam copiose disseruimus, haud pauca profecto invenies attentione interpretis quammaxime digna, quae vulgares isti interpretes plane non attenderunt. Primum enim non viderunt discrimen usus vers. Alexandrinae et pure graeci in verbo αἴρειν, inprimis in formula loquendi composita αἴρειν τ. ἁμαρτ., imo portandi peccata notionem extorserunt ex usu Ebr. verbi נשׂא, (qui eam plane non fert), ut inde efficerent, Iesum, servatorem, h. l. describi ab Ioanne Baptista ceu victimam piacularem pro peccatis universi generis humani Deo oblatam; quum potius formûla αἴρειν ἁμαρτίαν in versione Alexandrina solam peccatum auferendi vim habeat. Quare plane non erat, quod Theologi, severioris quidem formulae, damnarent recentiores illos interpretes, Dammium, Bahrdtium, Tellerum, Loefflerum, Paulum, Stolzium, Zieglerum, qui cum Grotio, praeeuntibus quidem Socino et Crellio, auferendi notionem h. l. praeferrent *), atque potissimum de auferendis peccatis ipsis, doctrina quidem

*) Quorum libros et commentationes huc pertinentes vide in meletem. I.

et exemplo Christi, corrigendis hominum moribus, coercendis eorum vitiis, excitando virtutis studio atque tollendis hac ratione peccatis eorumque poenis Ioannem Baptisten adhibita ista formula (αἴρειν τ. ἁμαρτ. τ. κόσμου) cogitasse sibi persuaderent; quamquam, nostra quidem sententia, alius his verbis sensus subiiciendus sit, quem in meletem. III. (p. 15.) iam exposuimus. — Deinde non attenderunt isti interpretes, qui agni imagine, coniuncta quidem cum formula αἴρειν τὴν ἁμαρτίαν τ. κόσμου, descriptam h. l. vellent mortem I. C. ἱλαστικὴν, agnos sacrificales apud Iudaeos non fuisse e genere sacrificiorum ἱλαστικῶν, sed mere καθαρτικῶν; id quod data opera in meletem. II, docuimus. Neque tamen licet aliam formulae αἴρειν τ. ἁμαρτίαν τ. κόσμ. h. l. admittere significationem, nisi quae accurate conveniat agni imagini, qua Iesus h. l. depingitur. — Denique, Ioannem Baptisten hac acclamatione funestum I. C. supplicium significasse, ut certum omnique dubio carens vulgo sumitur, quod tamen, quam dubium sit, quibusque de causis addubitare liceat, etiamsi revelationem supernaturalem, qua mens Ioannis quoad fata I. C. coelitus perfusa et collustrata fuerit, admittas, in primo iam meletem. satis monuimus *). — Quae quum ita sint, neque

*) Multis autem omnino premi difficultatibus Ioannis Baptistae historiam, si, quae de eo in Evangeliis narrantur, tam inter se quam cum

temere neque cupide agere videntur interpretes, qui, spreta hac antiquiorum ecclesiae doctorum auctoritate, aliam eamque certiorem interpretandi h. l. viam ingrediuntur, qua sensum opportuniorem inveniant atque linguae graecae rationibus, et verborum sententiarumque inter se cohaerentiae, et ipsi Ioannis Baptistae personae ac ingenio, et universae denique historiae evangelicae tenori accommodatiorem, qualem quidem nos ipsi in meletem. III. tentavimus, additis ubique causis idoneis, quibus adducti et fere adacti hanc, nec aliam, interpretandi rationem praeferendam esse censeamus, concesso nimirum hoc, quod plerumque ceu verum certumque sumitur, universam hanc sententiam, quam textus profert: Ἴδε ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ, ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, ex ipso ore Ioannis Baptistae, nec ex solo calamo et ingenio Ioannis Evangelistae profluxisse. —

Enimvero haud desunt in sermonibus Iesu ab Ioanne narratis vestigia proprii ingenii ac idiomatis Ioannei, quum oratio Iesu e reliquis Evangeliis cognita admodum differat ab ea sententiarum verborumque conformatione, quam nobis exhibet Evangelium Ioannis, quaeque

---

Iosephi narrationibus conferantur, docte ac subtiliter exposuit Ven. Ammon in progr. Erlangensi (1809.): de doctrina et morte Iohannis Baptistae. Optandum sane est, ut haud desit, qui ingenii vires in componendis his ἐναντιοφαινομένοις cum laude periclitetur. —

tota composita esse videtur ad ingenium Ioannis Apostoli in prima eiusdem epistola satis conspicuum. Vnde suspicio haud iniusta orta est, Ioannem in consignandis memoriter sermonibus Iesu idem sibi permisisse, quod Graeci etiam et Romani a fide historica haud alienum duxissent, atque sententias Iesu suis verbis suoque modo lectoribus proposuisse. Quid igitur, si Ioannes Evangelista eadem libertate usus fuerit in expromendo h. l. Ioannis Baptistae de Iesu Christo enunciato? Tum sane duplex incideret quaestio: altera, quid Ioannes Baptista eloquutus fuerit, altera, qualem sententiam Ioannes Evangelista his verbis exprimere voluerit? Quod ad priorem quaestionem attinet, quid Ioannes, Baptistes, si aliter dixisset, vere dixerit, nunc quidem definiri plane non potest, merisque adeo coniecturis, iisque inanibus, latus aperitur campus; atque hoc duntaxat ut certum statuere possis, nisi velis Ioanni, Evangelistae, omnem temere denegare fidem, simile quid eorum verborum, quae nunc leguntur, certe enunciasse Ioannem Baptisten. At, quod caput rei est, quicquid contra dixerint critices sublimioris amici, Ioannem, Evangelistam, ne brevissimum quidem Ioannis Baptistae, cuius et ipse fuisset discipulus, enunciatum memoria tenuisse, vel aliud pro arbitrio substituisse, mihi saltem a vero longe abludere videtur. Memoria enim Ioannem Evangelistam eo usque laborasse, quis credat? Nec fidem ac religionem quisquam a partium studio alienus ei denegaverit. — Itaque si de eruendo vero h. l. sensu sollicitus aliud sen-

sisse Baptistam, Evangelistam aliud, tibi persuaseris, atque velis crisin subtiliorem, quo suus cuique sensus constet, nec tribuatur Baptistae, quod Evangelistae sit, cum ratione exercere, ne quid vel temere statuas, vel quod cum fide et auctoritate Ioannis Evangelistae pugnet, duplex modo via putet, qua ad metam propositam pertingere queas. Altera haec est, ut sumas, Ioannem Baptistam iisdem quidem verbis (etsi aramaeo idiomate) usum fuisse, quae textus habet, sed alio eadem sensu excepisse, vel saltem alium iisdem postea subiecisse (quod et v. 15. factum fuisse videtur) Ioannem Evangelisten: altera vero, ut statuas, Ioannem Baptistam simplici acclamandi formula usum fuisse hac: ἰδὲ ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ, quae et ipsa et sola redeat v. 36.; sed Ioannem Evangelistam addidisse commentandi causa verba: ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτ. τ. κόσμου. Priorem viam inierunt Herderus et Bauerus *), sed tali modo, ut eos, etsi in summa quidem rei, discriminando nimirum utriusque Ioannis sensu, libenter iisdem adsentiamur, sequi haud possimus, eorum quidem memores, quae in meletem. II. et III. de his formulis Ioanneis fuse monuimus. — Recte quidem statuit Herderus, imagine agni Ioannem Baptistam describere voluisse innocentiam et mansuetudinem

*) Herderus in libro: von Gottes Sohn, der Welt Heiland, nach Ioannes Evangelium (1797) p. 125 seqq. et Bauerus in libro: Biblische Theologie des Neuen Testaments, Vol. II. (1801.) p. 174 sq.

esu; nec inepte sumit, hanc acclamationem
mul admirationis Ioannis Bapt. testem fuisse,
uod is, quem antea (Matth. III, 10 — 12.)
everum, steriles arbores securi praecisurum,
gne flammisque improbos exstincturum, ac ta-
em praesertim futurum animo finxerit, οὗ τὸ
τύον ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ, καὶ διακαθαριεῖ τὴν ἅλωνα
ὑτοῦ, καὶ συνάξει τὸν σῖτον αὐτοῦ εἰς τὴν ἀποθήκην,
ὸ δὲ ἄχυρον κατακαύσει πυρὶ ἀσβέστῳ (Matth. III,
2.), — quod is, inquam, quum se spectan-
um nunc praeberet, patientiae ac mansuetu-
inis speciem manifeste fronte gereret, qua vi-
ositatem populi, graui hoc onere fere oppres-
is, sit perpessurus. — Recte denique Her-
erus existimat, his Ioannis Baptistae verbis
oannem Evangelistam, institutione Iesu, opti-
i magistri, ac ipso illius supplicio melius
loctum, sublimiorem deinde sensum tribuis-
e. — Sed in eo errasse nobis videtur Her-
erus, quod crederet, ipsum funestum I. C.
upplicium invidia Iudaeorum ei concitatum
raevidisse Ioannem Baptistam; hoc enim, si
sum quidem Messiam illum, diu a Iudaeis
espectatum, iudicarit Ioannes, aegre sumi
ocuimus in meletem. I. Praeterea optan-
um fuisset, Herderum accuratius lecto-
es monuisse de sublimiori illo sensu, quem
oannem Evangelistam his verbis tribuisse cre-
eret. — Bauerus autem (l. c.) putat, Ioan-
em Ap. cogitasse de agno ceu sacrificio pia-
ulari bis quotidie pro populo Deo oblato.
ed falso haec sumi (nisi Apostolum manifesti
rebus sacris Iudaeorum erroris accusare ve-
nus), quum agni nunquam e genere sacrifi-
orum ἱλαστικῶν apud Iudaeos fuissent, in me-

letem. II. evicimus. — Itaque, si hac via ab Herdero trita consistere velis, nec tamen pugnare contra ea, quae in antecedentibus meletematibus I. II. et III. evicisse nobis videmur, statuas necesse est: Ioannem Baptistam cogitasse hoc oraculo de patientia ac mansuetudine Iesu, qua agni instar mala ab hominum pravitate sibi inflicta toleraturus sit ac perpessurus (vid. meletem. III.;) Ioannem vero Apostolum ita intellexisse hocce oraculum, ut significatam putaret mortem cruentam, quam Iesus Christus Deo consecratus agni sacrificalis instar (nulla quidem ratione habita discriminis sacrificiorum, utrum ἱλαστικῶν an καθαρσιῶν) innocenter ac patienter perpessus sit, ad abolendam vitiositatem hominum, instaurandamque sanctitatem vitae, instituto nempe foedere novo sanguine I. C. sancito αἵματι τῆς καινῆς διαθήκης Matth. XXVI, 28.) — Atque haec est via ac ratio, quae nobis potissimum placet. Sic enim nihil tribuitur Ioanni Baptistae, quod non ex sui loci ac temporis rationibus dicere potuerit, nec denegatur Ioanni Apostolo, quod accurate conveniat cum ipsius ingenio ac loquendi more. Per totam enim apocalypsin (quae vulgo ei tribuitur) Iesus Christus ut ἀρνίον repraesentatur, et quidem ἐσφαγμένον (Apocal. V, 6. 12. XIII, 8.), atque saepius fit mentio τοῦ αἵματος τοῦ ἀρνίου (Apoc. VII, 14. XII, 11.). Atque in unico isto loco, quo formula αἴρειν τ. ἁμαρτ. redit, 1 Io. III, 5., haec modo usurpatur de auferendis, non ferendis, per Iesum Christum peccatis hominum (coll. meletem. III, p. 6.). Quare nec alia, nisi haec formulae vis ac po-

testas, ex sensu quidem ipsius Ioannis, Apostoli, ita iubente parallelismi S. S. lege, hoc loco nostro admittenda est. Hac igitur via suum cuique Ioanni, et Baptistae et Evangelistae, tribuitur. —

Altera κρίσεως sublimioris via, qua Ioanni Baptistae prius modo h. l. membrum, ἴδε ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ, vindicatur, posterius autem, ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, ab Ioanne Evangelista, ἐπεξηγητικῶς additum censetur, commendatur quidem a loco parallelo v. 36., sed neque necessitatem huius viae, neque rationem ἐπεξηγήσεως ipsam clare nos perspicere fatemur; nisi dicas, posteriori membro Ioannem Evangelistam significare voluisse, agni imaginem non modo referendam esse ad innocentiam et mansuetudinem Iesu Servatoris, verum etiam ad mortem illius cruentam, qua sustulerit vitiositatem hominum. Hoc si sumis, in eum tamen modum explicanda est h. l. formula αἴρειν τ. ἁμαρτ. τ κόσμου, ut loco παραλλήλῳ 1 Io. III, 5. ex asse respondeat. Quod si feceris, nihil sane differt haec via a priori, si sensum ipsius Apostoli spectes; denegatur modo hac via Ioanni Baptistae effatum, quod commodo sane sensu haud caret, si Baptistae quidem vindicetur. Quare mittenda nobis videtur posterior haec ratio critica, ac prior praeferenda, quippe quae nihil temere resecet, nil fidei et auctoritati Ioannis Apostoli deroget, omnemque dubitationem, quam comparatio loci paralleli 1 Io. III, 5. contra nostram locum interpretandi rationem, ex sensu quidem Ioannis Baptistae (in meletem. III.) concitare pos-

sit, animo eximat atque sensum adeo exegeticum aeque ac criticum acuat ac firmet. — Quibus expositis quum nihil sanè, maioris quidem momenti, quod ad locum hunc gravem Io. I, 29. illustrandum pertineat, nobis relictum esse videatur, finem huic commentario nunc imponimus.

P. P. ipso Paschatos die. A. R. S. MDCCCXI.

XII.

Programmata II. pentecostalia.

Quo argumentandi genere usus sit auctor ep. ad Ebraeos C. V. v. 5. 6.

Ienae, MDCCCXIV et MDCCCXV.

Quaestio prior.

Iesum Christum, Servatorem optimum, cum sacerdotibus Ebraeorum, inprimisque cum Aarone, comparaturus Auctor epistolae ad Ebraeos, quum demonstrare vellet, Iesum Christum verum esse sacerdotem summum atque a

)eo ipso institutum Cap. V. v. 4 — 6. ita ar-
umentatur: Καὶ οὐχ ἑαυτῷ τις λαμβάνει τὴν τι-
ὴν, ἀλλὰ καλούμενος ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, καθάπερ καὶ
άρων. Οὕτω καὶ ὁ χριςὸς οὐχ ἑαυτὸν ἐδόξασε γενη-
ῆναι ἀρχιερέα, ἀλλ' ὁ λαλήσας πρὸς αὐτόν· υἱός μου
 σὺ, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε. Καθὼς καὶ ἐν ἑτέ-
ῳ λέγει· σὺ ἱερεὺς εἰς τὸν αἰῶνα, κατὰ τὴν τάξιν
ελχισεδὲκ *). — Quemadmodum igitur nemo
acerdotum ebraeorum — ita argumentabatur
uctor — impune sacerdotii munus proprio
usu sibi arrogare poterat, sed ille solus hoc
nunere fruebatur legitime, qui esset a Deo ip-
o, sive nominatim, sive intercedente alio
nandato divino, ad obeundam provinciam sa-
erdotalem evocatus: ita et Christus, quamvis
d capessendum munus sacerdotale maxime es-
et idoneus (c. IV, 14 — V, 3.), hoc tamen
aud temere sibi arrogavit, nec violenter ad

*) Omissionem artic. ὁ ante καλούμενος et ἀάρων in textu vulgari non est, quod iis excusemus, qui, duce Griesbachio, vel auctoritatem anti-quissimorum testium utriusque recensionis, et Alexandrinae et Occidentalis, h. l. sequuntur, vel consuetudinem librariorum neglectum sae-pius ab Apostolis articulum, ubi ipsis visum fuerit, textui inserendi recte attendunt. — Neque illustrare copiosius singulas loquendi formulas hoc segmento obvias hoc quidem lo-co attinet, ubi nexum potius sententiarum et argumentandi rationem curatius inquirere, quam curas interpretum in singulas phrases, easque maximam partem per se iam intellectu faciles, repetere animus est. Nec tamen deerit occa-sio graviora nonnulla de sensu verborum suo loco observandi.

se rapuit splendidam summi sacerdotis provinciam; sed ab eo potius, h. e. Deo ipso, hanc dignitatem accepit, qui eum his verbis olim compellasset: tu es filius meus; hodie (hoc tempore) genui te (Ps. II, 7.): quemadmodum etiam ille ipse Deus alio loco s. psalmo (ἐν ἑτέρῳ sc. τόπῳ s. ψάλμῳ) Iesum Messiam sic salutat: perpetuus esto, s. es, sacerdos ad morem s. exemplum Melchisedeci (Ps. CX, 4.). —

At enimvero auctor epistolae demonstraturus, Christum summi sacerdotii munus sibi haud arrogasse, sed a Deo potius sibi demandatum accepisse, quo tandem iure provocare poterat ad verba illa psalmi secundi: υἱός μου εἶ σὺ, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε, tanquam ad firmum sententiae probandae praesidium, quibus tamen, etiamsi vel maxime ad Messiam sint referenda, nullum plane vestigium sacerdotii in Messiam collati inest *)? Hanc igitur nexus sententiarum obscuritatem mirum non est doctissimos interpretes hucusque male vexasse eorumque ingenia ita exercuisse, ut in varia ac diversa sententiarum, argutarum haud raro et contortarum, divortia abirent. Quae haud abs re esse existimavimus, ut ad sensus veri-

---

*) Hanc argumentationis difficultatem recte observatam Theophylactus his verbis ad h. l. exposuit: Δοκεῖ δὲ ἀνάρμοστος εἶναι ἡ ἐκ τοῦ δευτέρου ψαλμοῦ προφητεία πρὸς τὸ προκειμένον· προύκειτο μὲν γὰρ δήπουθεν ἀποδειχθῆναι θεοπρόβλητον ἀρχιερέα τὸν χριστὸν· αὕτη δὲ ἡ μαρτυρία τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς γεγεννῆσθαι δηλοῖ.

tatem propius tandem accèderemus, singula potiora saltem, interpretum pericula, quibus sententiarum nexum explicare studerent, accuratius expendere, optimumque quod videretur, idoneis stabilire argumentis. Incidimus autem collatis sacrorum interpretum commentariis in decem, vel adeo duodecim varios difficultatis rei enodandae modos, quorum quidem nonnulli eius sunt generis, ut, longius si iis immorari vellemus, iustam vix effugeremus reprehensionis notam; alii contra vel maioris sunt momenti, vel aliorum saltem virorum doctorum adsensum tulerunt. — Itaque breviter modo attingere fas est opinionem Th. Bezae, Franc. Iunii, Piscatoris, Gomari aliorumque, qui causam allegati ab auctore epist. Psalmi secundi atque nervum probandi in commate eiusdem octavo, eoque h. l. non excitato (αἴτησαι παῤ ἐμοῦ, καὶ δώσω σοὶ ἔθνη κ. τ. λ.) quaerunt. — Quanquam vero Apostolis frequens est, Rabbinorum more integrum aliquem V. T. locum allegare, etiamsi causa allegationis in aliqua modo illius parte insit; nunquam ii tamen argumenta petunt ex locis plane omissis, nec loca V. T. allegant, quibus vis probandi nulla inest, propter solum nexum cum sequentibus, iisque, etsi ad rem probandam maxime faciant, nihilo secius prorsus neglectis. Absonum enim foret, ubi sis V. T. oracula ad probandum allegaturus, loca ex tua ipsius mente nil probantia in medium proferre, ea contra, et proxime quidem sequentia, quae proprie vim habeant, quaeque vere intenderis, praeterire. Itaque auctor ep. ad Ebr., si causam rei probandae in Psalmi secundi versu

octavo quaesivisset, allegaturus quidem fuisset nexus causa versum praecedentem septimum, sed simul addidisset octavum, unde argumentum rei peteret. — Quare nec audiendus est Abr. Calovius, qui (in bibl. illustr. ad h. l.) auctorem ep. praeter versum octavum etiam ad primum eiusdem psalmi respexisse putat. — Auctor ep. enim non allegat psalmum secundum omnino, cuius modo hanc, modo illam partem ad rem suam transferat, sed unum tantum illius locum (v. 7.) ad probandum adfert: Υἱός μου εἶ σύ· ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε. In hoc igitur ipso loco, non in aliis, antecedentibus vel consequentibus, eiusdem psalmi commatibus, iisque plane non allegatis, vis probandi quaerenda est. — Idem vitium commisit Theophylactus, sibi persuadens, locum allegatum Ps. II, 7. (υἱός μου εἶ σὺ κ. τ. λ.) ex auctoris consilio cohaerere cum altero loco allegato Ps. CX, 4. (σὺ ἱερεὺς ε. τ. α. κ. τ. λ.) ope proxime antecedentis v. 3. eiusque h. l. non allegati, ex versione quidem Alexandrina: ἐκ γαστρὸς πρὸ ἑωσφόρου γεγέννηκά σε (hebr. מרחם משחר לך טל ילדתך). Hunc enim in modum rationes subducit Theophylactus: Quod a Deo natus sit filius Dei, id maximam fuisse praeparationem ad hoc, ut a Deo etiam ordinatus sit; quare Ps. CX. post verba: ἐκ γαστρὸς πρὸ ἑωσφόρου γεγέννηκά σε, quae eiusdem fere tenoris sint cum Ps. II, 7., sequi verba h. l. post Ps. II, 7. υἱός μου εἶ σὺ, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε, excitata: σὺ ἱερεὺς εἰς τὸν αἰῶνα, κατὰ τὴν τάξιν μελχισεδὲκ: coniungere igitur auctorem epistolae, quae in utroque Psalmo dicantur de generatione filii, perinde ac si dixerit: ne exi-

stimes de alio quopiam dici, tu es sacerdos in aeternum, nisi de eo, ad quem Deus dixit (Ps. II.): tu es filius meus, hodie te genui; nam Ps. CX. proxime ante illa verba (v. 4): σὺ ἱερεὺς εἰς τὸν αἰῶνα κ. τ. λ. illum ipsum Deum pronuntiasse: ἐκ γαςρὸς πρὸ ἑωσφόρου ἐγέννησά σε. Vnde intelligi, existimat Theophylactus, collato nempe loco Ps. CX, 3. h. l. quidem ab auctore omisso, sententiarum nexum eo contineri, ut demonstretur, eundem esse filium Dei ab aeterno genitum cum sacerdote summo N. T. a Deo ipso constituto; hanc ipsam enim aeternam generationem filii Dei optime praeparasse sacerdotium summum a Deo in Christum collatum. — Etiamsi autem, quo brevitati studeamus, plane praetermittamus, quaecunque contra antiquam, eamque dudum profligatam explicationem loci Ps. II, 7. de aeterna generatione filii Dei, qua tota Theophylacti argumentandi ratio nititur, a prudentioribus S. S. interpretibus recte essent observata, nec quicquam moneamus contra versionem alexandrinam verborum (Ps. CX, 3.): מרחם משחר לך טל ילדתך — ἐκ γαςρὸς πρὸ ἑωσφόρου γεγέννηκά σε (male quidem resectis vocc. לך טל), quam a Theophylacto cum plerisque reliquis Patribus graecis receptam I. D. Michaeli etiam (in Collegio critico in psalmos XVI, XL et CX) atque Danovio (in theol. dogmat. instit. p. 180 sq.) placuisse miramur: hoc certe Theophylacto concedi nequit, auctorem ep. ad Ebr. argumentationis suae principia atque nexus locorum a se allegatorum (Ps. II, 7. et CX, 4.) causas duxisse a loco plane non allegato (Ps. CX, 3.); nec denique largiri possumus Theo-

phylacto, demonstrare voluisse auctorem epistolae, Christum, qui a Deo ipso sacerdos summus constitutus sit, eundem plane fuisse cum illo filio Dei ab aeterno genito. Id potius egit auctor (quod initium v. 5. clare docet), ut demonstret, Iesum Christum non proprio ausu sibi arrogasse sacerdotii dignitatem, eam potius a Deo ipso collatam accepisse. Quare Theophylacti ratio difficultatem nexus explicandi admitti plane non potest. — Nec maiori attentione digna nobis videtur sententia Andr. Hyperii, viri caeteroquin clarissimi, (in Commentar. in ep. a Ebr. ad h. l.), qui allegationis Ps. II. causam in eo quaerit, quod Christus a Deo ipso, non intercedente ulla opera humana, vocatus fuerit ad obeundam summi sacerdotii dignitatem, quo ipso vocatio Christi differat a vocatione Aaronis. Nam non agitur hoc loco de diversitate, sed de convenientia utriusque vocationis Aaronis et Christi ex locis V. T. probanda, quo inde elucescat, Christum non minus vocatum fuisse a Deo ad munus sacerdotale, quam Aaronem. — Missis igitur hisce interpretamentis levioribus pergimus ad ea, quae gravioris momenti esse videntur, ad certas quidem singula classes redacta, — ita tamen, ut ab iis, quae a veri specie longius absint, progrediamur ad ea, quae maiori specie gaudent, addita sub finem nostra sententia de ratione nexus orationis h. l. rectius constituenda, et de causa allegationis Psalmi II. ex Rabbinorum placitis planius exponenda. —

Ad primam classem referendi sunt Caie-

anus, Dorschaeus (in Commentariis ad
. l.) atque Calovius (in bibl. illustr. ad h.
), qui vero et ipse plures allegandi causas
um aliis interpretibus communes adfert atque
ıvicem iungit. Hi nimirum, loco Ps. II, 7.
e aeterna filii Dei generatione eiusque demon-
tratione in N. T. facta cum plerisque anti-
uioribus interpretibus intellecto, nexum sen-
ntiarum ita informant: Iesum dignitatem
ıcerdotalem sibi non arrogasse, hoc quidem
ıde iam colligi posse, quod Deus Ps. II, 7.
eclaret, se velle demonstrare, Messiam esse
lium suum, seu, quod idem sit, se gene-
ısse Messiam secundum divinam illius natu-
ım; vere autem Deum demonstrasse, Christum
ɔllato sacerdotio suum esse filium, hoc ex
ɔ intelligi, quod secundum ius antiquum
braeorum in familia patriarchali receptum pri-
ıogenito ius sacerdotii competiisset (Gen.
LIX, 3.), quod ipsum ad reliquos etiam sa-
ɜrdotes Ebraeos transiisset, adsumtos illos
uidem in vicem primogenitorum. Quodsi igi-
ır Deus, existimant hi interpretes, Christum
.ium suum κατ' ἐξοχὴν, seu primogenitum in
lo loco excitato Ps. II, 7. declarasset, ex hoc
ıso capite eundem simul ad sacerdotium in
milia divina capessendum destinasse atque
ocasse; id quod clarius adpareat ex altero
co v. 6. allegato Ps. CX, 4. σὺ ἱερεὺς εἰς τ.
ῶνα κ. τ. λ.: itaque arcte cohaerere utrum-
ıe locum e Psalmis allegatum, ad eandem
ıidem Messiae, ceu filii primogeniti, imo uni-
nniti, personam relatum. — Ita hi inter-
retes! — At, missa nunc brevitatis causa
lsa loci Ps. II, 7. interpretatione in hac ne-

xus notatione fundamenti loco substrata, paululum subsistamus in universa argumentationis expositione, quam absonam esse demonstrasse sufficiet. Ex hac enim argumentandi ratione a Calovio aliisque textui nostro obtrusa aequo iure colligi possit, omnes sacerdotes veteris oeconomiae, quae familiam divinam repraesentasset, fuisse tum essentiales ac aeternos Dei filios, tum adeo primogenitos. Et si vel maxime statuantur tam sacerdotes V. T. quam Iesus, ceu Messias, adoptionis quasi iure filii Dei et fuisse et adpellari posse; neque tamen erant neque adpellari possunt omnes, hi sacerdotes V. T. primogeniti Dei filii; atqui solis primogenitis ius sacerdotii in familia patriarchali competebat. Sed ne probari quidem ullo modo potest, sacerdotes V. T. filiorum Dei, nedum primogenitorum, nomine venisse; nec ullum denique extat mandatum divinum, ad solos primogenitos pertinere iura pontificatus. — Quae quum ita sint, nihil sane ex more isto patriarchali ad illustrandum locum nostrum adfertur praesidii, praesertim quum auctor epistolae sit demonstraturus, singulari prorsus nec cum sacerdotibus veteris oeconomiae Iudaicae communi Iesum Christnm fuisse sacerdotem summum. —

Secundae classi adsignamus Io. Andr. Cramerum, (in libro: Erklärung d. Briefs an die Hebräer, ad h. l.) qui per consequentiam modo, non directe, probationem sententiae ab auctore epistolae ex allegato Psalmi secundi loco instituti putat, hoc fere modo: Iesum Christum, qua filium Dei aeternum, ta-

lis esse naturae, quae non permittat, ut non annuente Deo ullam sibi dignitatem arroget; voluntatem enim filii Dei aeterni et unigeniti ita consentire debere cum voluntate Patris, ut nihil plane velle aut contendere queat, quod a voluntate Patris coelestis sit alienum, ideoque nec adpetere summum sacerdotium, nisi hoc sibi sit a Patre decretum, seu, quod idem est, nisi ad obeundum hoc munus Pater eum vocaverit; Patrem enim et Filium in S. S. Trinitate, quum eundem Deum summum constituant, idem modo velle posse, atque ab aeterna illa Filii generatione universam eiusdem rationem ad Patrem hominesque pendere; itaque Iesum Messiam, quem Deus Pater tam in psalmo secundo, quam clara voce de coelo delapsa, eaque bis repetita, nec non per resuscitationem e mortuis pro filio suo declarasset, talem pontificatum, qualem vere gesserit, rite administrare h. e. perfectam satisfactionem vicariam praestare haud potuisse, nisi qua filius Dei unigenitus cum Deo Patre arctissime fuisset coniunctus atque ab eo ad obeundum munus sacerdotale evocatus. Quare, hac admissa sententiarum serie, existimat Cramerus, probe invicem cohaerere utrumque locum e Psalmis allegatum, nec minus cum ipsa sententia ab auctore epistol. proposita, eaque ex his locis psalmorum comprobanda, amice conspirare. —

Verum vehementer dubitamus, an Cramerus in hac argumenti expositione nostra quidem aetate multos habeat sibi adsentientes.

Primum enim nemo facile cordatiorum interpretum Ps. II, 7. aeternam filii Dei s. λόγου generationem ex essentia Patris describi hodienum sibi persuaserit. Deinde et in N. T. libris locum Ps. II, 7. ad Messiam modo referri, atque nomine filii Dei solam Messiae, non λόγου naturam ac dignitatem Iudaeorum more significari, optimi interpretes uno ore profitentur omnes; neque adeo desunt nostra aetate viri docti, qui formulam Athanasianam, quam loco nostro substernit Cramerus, plene ac perfecte in N. T. tabulis contineri negent. Vniversam denique argumentandi rationem, quam Cramerus auctori ep. ad Ebr. in ista orationis serie tribuit, quis non videat, nonnisi artificiose ex his verbis exsculpi posse, aut vehementer adeo extorqueri. Etenim in locum verborum auctoris: „Is vocavit Christum ad sa„cerdotium summum, qui ad eum olim loqu„tus erat; tu es filius meus, hodie te ge„nui," — Cramerus has substituit sententias: „Is vocavit Christum, qui eum olim declara„verat pro tali, cuius voluntas accurate cum „sua (Patris) voluntate consentiat, quive adeo „munus non temere sibi arrogasse, sed voca„tus modo a Patre obiisse censendus est." — Talia sane interpretamenta, quibus, quicquid tandem libuerit licentiae theologicae, modo analogiae fidei respondeat et ad eius amussim sollicite conformatum sit, imo contortum, in sacras scripturas inferatur, quis hodienum ferat? —

Pergimus igitur ad tertiam interpretum classem, qui, veluti Erasmus, Estius, Ger-

hardus, Iac. Cappellus, Braunius, Rambachius, Kiesslingius, Baumgartenius, Abreschius, Carpzovius (Helmstad.), Schmidius (Viteb.), Hezelius, alii (in commentariis ad h. l.), id agere auctorem existimant duplici hac allegatione, atque hoc nexu invicem iungi utrumque locum e Psalmis petitum, ut moneantur lectores de infinita gloria eius, qui a Deo ad summum sacerdotium vocatus sit. Infinitam hanc gloriam quaerunt hi interpretes, excepto Hezelio, in aeterna generatione filii Dei, vel saltem demonstratione huius generationis aeterna in N. T. facta, quam auctor epist. allegato loco Ps. II, 7. expressam declarasset. — Iudaei enim splendore cultus Mosaici perculsi quum religioni Mosaicae maiorem multo et insigniorem prae christiana praestantiam hac praesertim de causa, quod haec tam splendido summi sacerdotis Ebraeorum munere careret, tribuissent: hoc inprimis egisse auctorem epistolae censent hi commentatores, ut clare demonstraret, Iesum Christum, religionis nostrae auctorem, non modo honorem summi sacerdotis ac sacrorum praesidis maiori, ac illos pontifices Ebraeorum, iure mereri, sed hoc munere etiam vere, at illustriori multo sensu ac titulo, quam ulli Mosaicae oeconomiae sacerdoti summo tribui possit, eundem defungi; ornatum enim fuisse Iesum, ceu Messiam, a Deo ipso hoc sacerdotis munere, secundum illum locum Ps. CX, 4., ad illustrius quidem Melchisedeci exemplum, atque multo maiori eum dignitate sacerdotali frui, quum ille ipse Ps. II, 7. a

Deo filius suus esset compellatus, quippe qui honos ac titulus nulli unquam e Levitica sacerdotum classe obtigisset; itaque Iesum Christum non tantum vero ac iusto titulo esse sacerdotem summum, ab ipso Deo ad obtinendum hunc locum rite evocatum atque electum; sed illustriori etiam dignitate summi sacerdotii, ad morem nempe et exemplum Melchisedeci ipsi collati, et nomine praesertim ac titulo filii Dei eundem religionis nostrae auctorem multum antecellere Aaroni atque quibuscunque aliis iudaicorum sacrorum summis sacerdotibus. — Ita hi commentatores supra laudati argumentandi rationem modo brevius, modo prolixius exponunt, atque qua summam rei conspirant omnes, etsi in nonnullis aliter alii sentiunt. Quos inter referendus est Iac. Cappellus, qui (in Observation. in N. T. ad h. l.) nexum sententiarum ac neruum probandi in τῷ δοξάζειν quaerit: Deum glorificasse Christum omnino in illo effato Ps. II, 6., sed eum etiam ita glorificasse, ut pro regio sacerdote eundem declararet Ps. CX, 4 — Christ. Frid. Schmidius autem (in Observation. super ep. ad Hebr. ad h. l.) sibi persuasit: Suscepto baptismate Christum ad obeundum Pontificis munus fuisse inauguratum (coll. Exod. XXIX, 4.), repetita quidem voce coelesti: σὺ εἶ ὁ υἱός μου ἀγαπητός (Luc III, 22. coll. Ps. II, 7. — Extorqueri quidem potest ex his loci nostri verbis, haud diffitemur, hic sententiarum sensus nexusque, lubricae praesertim flexibilisque παραφράσεως ope, qua, quicquid libuerit, fingere atque orationi obtrudere licet, nisi religioni nobis ducamus, regulas

negligere recte et accurate interpretandi, quae nos eum presse sequi iubeant verborum sensum, qui in ipsis verbis sententiisque lateat. — Primum igitur teneamus hoc, nullum extare N. T. locum, ex quo pateat, Christum unquam qua sacerdotem nomine filii Dei fuisse insignitum; neque concedere nos posse b. Schmidio, sacro lauacro Christum ad suscipiendum illud ipsum summi sacerdotii munus fuisse inauguratum, quum potius baptismus Christi loco lustrationis παρασκευαστικῆς ad gravissimum doctoris munus cum multis variisque laboribus, molestiis ac aerumnis coniunctum, fuisse censendus sit. — Deinde ille locus Ps. II, 7. plane non eo adducitur consilio (quod ex arctissimo nexu v. 5ti cum praecedente v. 4to luculentissime patet), ut intelligatur, qualis et quantus sacerdos summus sit Iesus Christus, quantumque aliis hominibus hac dignitate inter Iudaeos ornatis praestet, nec ut demonstretur, divinam Christi, ceu filii Dei, naturam in gerendo munere sacerdotali maxime fuisse conspicuam, nec denique, quo iure ac titulo hoc sacerdotium a Deo ipsi collatum sit; sed potius ac unice eo consilio (quod v. 4tus clare docet), ut adpareat, Christum hanc sacerdotii summi dignitatem sibi haud arrogasse, eam potius a Deo ipso accepisse sibi mandatam. Quod quidem qua demum ratione ex illo loco Ps. II, 7. fluat, si aeterna filii Dei generatio, vel eiusdem in nova oeconomia demonstratio ex sententia auctoris ep. ad Ebr. illo loco significata fuerit, plane non intelligitur. Hoc quidem potissimum agitur in his epistolae capitibus, ut demonstretur praestantia Christi

prae sacrorum V. T. administris quibuscunque, ad quam et ipsa natura Christi sublimior pertinere censenda est; sed haec sacerdotii Christi praestantia cap. VII. sequ. demum uberius exponitur. Incipit quidem maior epistolae sectio, qua auctor insignem hanc praestantiam Christi expositurus erat, inde a Cap. IV, 14., sed a limine huius tractationis modo docetur, quod saepius iam monuimus, tum Christum esse sacerdotem, tum sibi non arrogasse hanc dignitatem, quod quidem sacerdotum nulli licuisset, sed a Deo potius illam accepisse; at de praestantia Christi prae aliis μεσίταις eiusque causis posthaec demum in hac epistola agitur. Quae quum ita sint, magnae illi Theologorum ac commentatorum cohorti adiungere nos plane non possumus.

Transeamus igitur ad quartam classem eorum interpretum, qui filium Dei Ps. II, 7. de Messia omnino, ceu rege intelligunt, atque ex hoc sensu verborum, quem et auctorem epistolae tenuisse putant, nexum orationis nostrae eruere student. Sed hi ipsi in constituendo sententiarum loci nostri nexu in varias iterum partes abeunt. Primus hic nobis offertur Peirce Anglus (in paraphrasi huius epist. ad Ebraeos a Io. Dav. Michaele latine reddita), qui post Withbyum cum Sykesio (in paraphras. ad h. l.) hoc studiose agit, ut praesertim ex verbo τελειοῦν (c. II, 10.) demonstret, Christum morte sua dici non posse summi sacerdotis munere fuisse defunctum, hoc demum eum administrasse ad gloriam evectum, postquam in coelum, tamquam Sanctissimum, in-

essus victimam se pro hominibus Deo obtu-
set (c. IV, 14.); mortis enim supplicio ini-
tum eum modo fuisse sustinenda summi sa-
rdotis provincia (c. II, 10.); neque enim in
cra Ebraeorum oeconomia feriendo, sed of-
rendo victimas factum fuisse sacrificium;
ortem igitur Iesu Christi, quum in N. T. ta-
lis sacrificii nomine veniat, ita non adpella-
, quod in his iam terris tamquam sacrifi-
um perfectum Christus morte se violenta ob-
lisset, sed quod in coelo potius hoc suppli-
um tamquam piaculum a filio coelum ingres-
ro Deo Patri esset offerendum. Itaque ex
ic hypothesi illustrant locum nostrum With-
y (in paraphr. ad h. l.) et Peirce (in para-
ir. ad c. I, 5.), atque argumentandi ratio-
em instruunt hoc fere modo: Iesus Christus,
ius Dei s. Messias, morte violenta ad sacer-
otium modo inauguratus, vere autem hoc sa-
rdotio post resurrectionem demum e mortuis
functus, quum a Patre genitus dicatur, si-
ad novam post mortem vitam regeneratus
εννᾶσθαι enim de resurrectione etiam, ceu
ιλιγγενεσία ac secundis quasi natalibus Messiae,
sacris literis usurpari, coll. Actor. XIII, 32.
3.), hoc sane idem esse, ac si a Deo consti-
tus sacerdos dicatur; per resurrectionem
im summo sacerdotio Christum a Deo fuisse
stinatum. Recte igitur excitari, existimant
interpretes, hoc psalmi secundi effatum (υἱός
μου εἶ σὺ, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε) loco nostro,
persuadeatur lectoribus, Christum haud si-
arrogasse sacerdotium, sed a Deo ipso ac-
pisse; per resurrectionem enim, ceu novam
generationem ac secundos quasi natales, sum-

mi sacerdotis provinciam a Deo ipso in Iesum Christum fuisse collatam. Neque morari hanc interpretandi rationem, pergunt hi Angli, quod Christus s. Messias Ps. II. filius Dei propterea adpelletur, quod rex et dominus sit, nostro autem loco illud psalmi secundi oraculum ad sacerdotium Christi referatur; Christum enim sacerdotem fuisse non ex multis, nec ex communi sacerdotum ordine, sed eximiae prorsus ac singularis conditionis dignitatisque, ex classe scilicet Melchisedeci, adeoque regem et sacerdotem simul, regem quippe hominum Deique sacerdotem; itaque haec regis sacerdotisque munera, quae bina nobis videantur, unum Christum ita complexum fuisse, ut quasi in unicum ipsius munus coaluerint regii sacerdotis, atque utramque Christi provinciam tam arcte esse coniunctam, ut, quaecunque Christus regia auctoritate peragat, eorundem peragendorum potestatem idem a Deo constitutus summus obtineat sacerdos. —

At enimvero neque ab interpretandi facilitate neque a veritate sensus commendatur haec Peircii difficultatem loci expediendi ratio. Quamvis enim Christus ex mente auctoris epist. ad Ebr. regia ac sacerdotali dignitate simul gaudeat, utraque igitur in eadem Messiae persona iungatur, altera tamen ab altera, si utramque per se spectes, admodum differt, nec inauguratio Christi regia eadem plane dici potest cum initatione eiusdem sacerdotali. Itaque Messias si ex mente auctoris epist. in isto loco Ps. II, 7. genitus a Deo filius eo sensu adpellatur, quod Deus ipsum in nova sa-

crorum oeconomia regem sit inauguraturus, hoc sane nequit idem censeri, ac si sacerdos in isto loco constitutus diceretur. — Deinde Gignere (ילד) Ps. II, 7. proxime non est Suscitare ex mortuis, sed Inaugurare, quum ad filium ceu regem hoc verbum sit referendum, quamvis sollemnem Christi (Messiae s. regis) declarationem largiamur per resurrectionem illius potissimum fuisse factam (Rom. I, 4). Attamen male ad probandum huc refertur locus Actor. XIII, 32. 33. Nam simplex ἀναςῆσαι h. l. non confundi debet cum ἀναςῆσαι ἐκ νεκρῶν, v. 34. Τὸ ἀναςῆται v. 32. denotat excitare, exhibere, nasci iubere (coll. 3, 26. 7, 37.), atque idem est, quod ἐγείρειν (v. 22. 23.). Apostolus igitur eo consilio, ut demonstret, Deum misso in terras Iesu misisse Messiam, h. e. regem populorumque sospitatorem, excitat locum Ps. II, 7. υἱός μου εἶ σὺ, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε. Cuius quidem loci sola verba ἐγὼ γεγέννηκά σε ad probandam Apostoli sententiam spectant, neglectis reliquis ac nexus tantum causa allegatis loci verbis, hoc fere sensu: ego te constitui regem; rex enim, de quo hic psalmus agit, adpellatur filius Dei: filius autem fit nascendo, uti rex inaugurando. Quare sententia: ego te hodie inauguravi regem, spectata quidem filii imagine, in allegato isto psalmi loco bene sic exprimitur: hodie ego te genui. Recte igitur Apostolus sententiam hanc: Deum Iesum demonstrasse Messiam, expressit verbis psalmi secundi (quem quidem cum Iudaeis sui temporis ad Messiam referre solebat): ego te genui, seu, quod idem est: ego te hodie constitui, s. declaravi regem. — Ad

resurrectionem autem Christi e mortuis spectant demum verba sequentia (v. 34): ὅτι δὲ ἀνέστησεν αὐτὸν ἐκ νεκρῶν, quam ex V. T. libris demonstraturus excitat v. 35 sq. Apostolus Ps. XVI, 10. Errant igitur vehementer, qui putant, Apostolum Act. XIII, 32. 33. quaesivisse in verbis Ps. II, 7. ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε (ילדתיך היום) resurrectionem Christi, novos quasi Christi e morte natales *). — Nec denique, quamvis Christus ex mente auctoris epist. ad Ebr. post resurrectionem in coelis sacerdotium gesserit, ex ipsa illius resurrectione intelligimus, eo consilio Christum a Deo e mortuis fuisse suscitatum, ut esset sacerdos. Messiana quidem Iesu Christi dignitas omnino eluxit ex illius resurrectione, sacerdotalis non itidem. — Quae quum ita sint, cadit Peirciana nexum orationis explicandi ratio, atque supersedere plane possemus examinandis iis, quibus fundamenti quasi loco argumentationem suam superstruxerat Peirce. Attamen ne quidquam ab illo subtiliter dictum relinquamus intactum, paucula ad hanc Peircii hypothesin adhuc monebimus. — Summi sacerdotii munere tum maxime Christum fuisse defunctum, quum sanguinem effusum Deo Patri in sanctissimo coeli loco obtulisset, hanc quidem sedisse auctori epist. ad Ebr. sententiam, non est, quod dubitemus; neque

---

*) Plura de vero loci Actor. XIII, 32 sqq. sensu nexuque sententiarum vid. in Heinrichs Acta Apostolor. perpetua annotatione illustr. (ed. N. T. Kopp. Vol. III.) ad h. l.

negamus, offerendo victimae sanguinem maxime constitisse pontificum ebraeorum provinciam. Attamen, quum summi sacerdotes semel tantum per annum in sanctuarium introiissent, saepius autem, imo quotidie, Hierosolymis facta fuissent sacrificia, inde patet, sacerdotes, imo pontifices, saepius non modo mactasse, sed etiam obtulisse sacrificia (praeter anniversariam illam oblationem in sanctuario factam), Ebr. X, 11. quum sacrificia offerendo demum absoluta essent atque perfecta. Mactationem autem victimae haud pertinuisse ad munus Christi sacerdotale, per se clarum est; alias enim Christus sacerdos se ipse mactasse dicendus esset; quare, si munus Christi sacerdotale ad hunc ipsum tanquam victimam pertinet, hoc offerendo tantum sacrificio, non mactando, se exseruisse censendum est. Sed illa oblatio sacrificii in coelis, tanquam summo sanctuario, in hac epistola ad Ebr. commemorata, eaque ex comparatione Christi cum summo Ebraeorum sacerdote orta, non excludit aliam oblationem victimae in cruce quasi iam factam, Ebr. X, 10. 11. Variis enim in eadem epist. ad Ebr. describi imaginibus eandem Iesu Christi personam modo cum Mose, modo cum sacerdotibus, imo pontificibus Ebraeorum, modo cum ipsis victimis, varii quidem generis, comparatam, quis est, qui nesciat? Itaque una comparatio rei christianae cum sacris Ebraeorum in epist. ad Ebraeos instituta non excludit alteram. Auctorem autem epistolae mortem Iesu Christi non solum considerasse ut sacrificium inaugurando sacerdoti destinatum, sed potissimum ceu sa-

crificium pro salute humana praestitum, ex permultis epistolae locis plane adparet, v. c. c. IX, 15. 26. — Nihil igitur Peirce in rem suam argumentando effecit; nam utrumque uno eodemque sacrificio Christum praestare potuisse, bene iam docuit Zachariae ad Ebr. II, 10. V, 10. — Quod denique ad τελείωσιν Christi, Ebr. II, 10. attinet, quam Peirce admodum urget, quo inde demonstret, Christum morte sua cruenta sacerdotio fuisse initiatum, concedimus quidem, initiationis notionem multis in locis omnino subesse verbo τελειοῦν et τελείωσις; at non concedimus Peircio et, qui eum sequuntur, Semlero, Tellero, Zachariae aliisque, hoc quidem loco (c. II, 10.) hanc ipsam obtinere initiationis significationem. Est quidem τελειοῦν in nonnullis V. T. locis e vers. alexandr. i. q. ἁγιάζειν, coll. Ebr. X, 10.; sed h. l. clare distinguuntur τελειοῦν et ἁγιάζειν; Deus enim dicitur ὁ τελειῶν et Christus ὁ ἁγιάζων, et eadem ratione c. X, 14. ἁγιάζεσθαι distinguitur a τελειοῦσθαι. Est potius h. l. τὸ τελειοῦν i. q. δοξάζειν, εἰς δόξαν ἄγειν, ὑψοῦν, τιμῇ καὶ δόξῃ στεφανοῦν, perfecte beare (Vollenden), et τελειοῦσθαι i. q. εἰς δόξαν εἰσελθεῖν (Luc. XXIV, 26.), ad metam perfectioris felicitatis pervenire (Vollendet werden, zur höhern Vollendung kommen, zum Ziel seiner Bestimmung gelangen etc.). Id quod recte observarunt Morus et Heinrichs ad h. l., et Lang ad Telleri librum: Wörterbuch des N. T. (sub voc. Vollenden.) In alia omnia abeunt contra in definienda τελειώσεως notione Michaelis, Loesner et Blasche, quos videsis ad h. l. Eorum autem opiniones accuratius examinare, non

est huius loci. — Denique non recte attendit Peirce varias rerum umbras ac imagines, quibus totam involutam videmus epistolam ad Ebraeos (de quibus vide Heinrichsii excursus III. et IV. ad ed. epist. ad Ebr. ab ipso illustratae), quas longius saepe petitas et artificiosius confictas atque ad ingenium Ebraeorum quammaxime accommodatas si nimium premas atque secteris anxie, vix elicias veras et proprias notiones his rerum imaginibus substratas. Itaque scite evoluenda demum est ex his imaginum involucris doctrinae christianae veritas; nec istae imagines, varii quidem generis et coloris, habendae sunt pro ipsa rei veritate, si ad usum theologicum transferre velis epistolae ad Ebraeos argumentum. Quibus recte observatis, at a Peircio male neglectis, tota cadit illius hypothesis ab ingenii magis acumine, quam a doctrinae veritate et subtilitate commendabilis. —

Aliam viam nexum harum sententiarum explanandi ingressus est Sykes (in annotatione paraphrasi ep. ad Ebr. subnexa ad h. l.). Recte is quidem psalmum secundum proxime de Davide agere statuit, etsi Iudaei, quos auctor ep. ad Ebr. sequutus sit, cum ad Messiam retulerint; at in explicanda orationis serie novam praeit rationem non admodum probabilem. Auctorem epistolae, ille quidem existimat, id agere, ut demonstret, Christum a Deo destinatum fuisse sacerdotem perpetuum; id quod duplici eum modo evincere studuisse: primum excitando loco Ps. II, 7. ex quo generatim adpareat, futurum esse aliquem, quo

familia Davidis in perpetuum stabiliatur; deinde excitato alio vaticinio, eoque clariore et planiore (Ps. CX.), quo ille speciatim dicatur fore sacerdos perpetuus. Atque hoc sacerdotis munere initiatus erat Christus ex opinione Sykesii, quum resuscitaretur e mortuis. — Sed nec hanc admittere licet explicandi rationem. Perperam enim sumit Sykes, psalmo secundo praedici perennitatem familiae Davidicae per Messiam; nam huius quidem rei nihil sane inest psalmo secundo, atque si quid inesset promissae huius perennitatis, quaerendum hoc potius esset in commate huius psalmi octavo atque sequentibus, iisque h. l. non excitatis, nequaquam autem in septimo commate ab auctore epist. vere excitato; quare si auctor epist. hoc ipsum, quod vult Sykesius, e psalmo secundo voluisset exsculpere, debuisset profecto sequentia allegare commata, nec illum septimum, qui plane non pertinet ad rem propositam. Deinde ex universa orationis serie clare adparet, neutiquam voluisse auctorem epist. ex allegato hoc loco (Ps. II, 7.) efficere perennitatem regni Davidici a Messia sperandam, sed hoc solum, non minus pependisse e voluntate Dei eiusque arbitrio sacerdotium Christi, quam munus reliquorum sacerdotum ebraeorum. Nec id egit auctor hoc quidem segmento, ut Christum evinceret destinatum fuisse a Deo sacerdotem perpetuum, sed ut eum probaret non suo sibi arbitrio munus sacerdotale arrogasse, verum a Deo potius ipso hoc ei fuisse demandatum; perennitatem autem huius sacerdotii Christi infra demum fusius exposuit auctor. Nec fuisse deni-

ue Christum per resurrectionem e mortuis
ıcerdotis munere initiatum, neque ex aucto-
s quidem mente, neque propter locum Actor.
III, 33 seq., supra iam docuimus. Quare
›co nostro nihil plane accedit luminis ab hac
ykesiana interpretandi ratione. — Itaque
ergendum est ad alia, quae maiori veri spe-
ie gaudeant, interpretum, recentiorum prae-
ertim, illustrandi loci nostri tentamina, at-
ue quaerendum, an maior iis a veritate ac
enuina interpretandi subtilitate accedat com-
ıendatio. — Sed ne limites huius scriptio-
is iusto longius excedamus, abrumpendum
st disputationis filum, atque proxima feria-
ım pentecostalium occasione ad finem usque
ertexendum. —

P. P. ipso Pentecostes die.
MDCCCXIV.

Quaestio posterior.

Quaestionem in priori libello propositam,
uonam argumentandi genere usus sit auctor
pist. ad Ebraeos c. V. v. 5. 6. curatius eno-
ıturi pergimus nunc, refutatis iam variis an-
quiorum interpretum opinionibus, ad eas,
uas recentiores potissimum interpretes iniere,
ɛpediendae difficultatis rei vias, easque minus
ıpeditas, penitius cognoscendas rectiusque
:stimandas. Ex quo quidem genere attendan-

da inprimis est atque diiudicanda ea sensus verborum nexusque constituendi ratio, quam Io Dav. Michaelis, Vir celeberrimus, exornavit, tum in notis ad Peircii paraphras. epist. ad Ebraeos, tum in commentario germanico in hanc epist. ad Ebr. ad h. l., praeeuntibus quidem claris N. T. interpretibus Crellio et Schlichtingio (in commentar. ad h. l.), Grotio (in annotationibus in N, T. ad h. l.), Hammondo (in paraphrasi N. T. cum notis ad h. l.) et Limborchio (in commentar. in Act. Ap. et in epist. ad Romanos et Ebraeos ad h. l.) atque sequentibus b. Zachariae (in paraphr. epist. ad Ebr. ad h. l.), b. Storrio (in Erläut. d. Br. an d. Ebr. p. 78. not. k.), I. A. Ernestio, τῷ μακαρίτῃ (in Lection. acad. in epist. ad Hebr. ed. Dindorfii p. 382.), Ven. Heinrichsio (in ed. Kopp. N. T. Vol. VIII. ad h. l.) aliisque. — Hi nimirum interpretes hunc in modum argumentantur. In Iesu Messia aeque ac Melchisedeco, quocum ille comparetur, dignitatem sacerdotalem cum regia arctissime esse coniunctam, neutramque ab altera seiungendam. Auctorem igitur huius epistolae ad Ebraeos, cuius menti utraque Christi provincia, regia pariter atque sacerdotalis, fuisset obversata, quum is demonstrare vellet, Iesum non suo quodam arbitrio sacerdotis partes arripuisse, sed, non secus ac reliquos sacerdotes, a Deo easdem in se collatas accepisse, nexum sententiarum constituisse hunc: „Ille idem Deus, qui regiam dignitatem Iesu Christo, tamquam Messiae, contulit verbis: υἱός μοῦ εἶ σὺ, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε, eundem quoque constituit sacerdotem, pa-

er ac reliquos sacerdotes, his verbis: σὺ ἱε-
ς εἰς τὸν αἰῶνα rel. *) Egregie sic et commo-
cohaerere videntur omnia. —

Verum enimuero si in antecedente oratio-
, qua, quid sibi in hoc epistolae segmento
obandum sumserit, auctor declarasset ipse,
llum prorsus dignitatis regiae Messiae confe-
ndae vestigium detexerimus, haud levis sane
boritur dubitatio, an recte se habeat ingenio-
haec interpretandi ratio; at magis magisque
tur haec suspicio considerato diligentius ar-
issimo commatis quinti nexu cum proxime se-
ıente sexto. Si enim auctor epist. eam sen-
ntiarum seriem, quam isti interpretes huic
gmento inferunt, exponere voluisset, alia pro-

*) Causam coniunctionis utriusque loci allegati Ps. II, 7. et CX, 4. Crellius et Limborchius, qui eandem praeiuere interpretandi rationem, potissimum in eo quaerendam esse putarunt, quod sacerdotium Servatoris morte inchoatum resurrectione eiusdem, ad quam verba Ps. II, 7. ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε, docente Paullo Actor. XIII, 33., referenda essent, perfecte fuerit consummatum. — Sed ex resurrectione Christi haud intelligitur eiusdem sacerdotium, nec ullibi dicitur in S. S. Iesus Christus suscitatus esse e mortuis, ut esset sacerdos. Nec denique locus Actor. XIII, 33. de resurrectione Christi intelligendus est, neque Apostolus locum Ps. II, 7. ad resurrectionem I. C. retulisse atque accommodasse censendus; id quod abunde satis docuisse nobis videmur in priore quaestione.

fecto verborum structura ille usus fuisset, hunc fere in modum: Ἀλλ' ὁ λαλήσας πρὸς αὐτόν υἱός μου εἶ σὺ — — ΟΥΤΟΣ (loco καθὼς) καὶ ἐν ἑτέρῳ λέγει· σὺ ἱερεὺς εἰς τὸν αἰῶνα κ. τ. λ. Sed ita non habent verba auctoris. Illud potius καθὼς καὶ, v. 6., quo utrumque comma, quintum et sextum, arctissime invicem iungitur, claro demonstrat, non simile tantum, sed idem prorsus argumentum commate quinto, vel definite vel generatim, iam fuisse expressum, quod commate sexto exponitur. Quum autem dignitas regia et sacerdotalis, si utramque per se spectes, maxime a se invicem differant, quanquam in eadem Messiae persona concurrant: concedere plane non possumus, commate quinto dignitatem regiam, et comm. sexto sacerdotalem ab auctore fuisse significatam; sed comma quintum aeque ac sextum solius sacerdotalis muneris oblationem, vel definite, vel generatim modo, exprimat necesse est. — Unde facile adparet, quare illi verborum interpretationi cel. I. D. Michaelis, Zachariae, aliorumque, quantumvis docte et ingeniose exornatae subscribere plane non possimus. —

Melius igitur sibi hac in re consulere videntur, qui, veluti Owenus (in commentario ad h. l.) et I. H. D. Moldenhawer (in libro: Erläuterungen der schweren Stellen des N. T. P. III. ad h. l.) dignitatem summi sacerdotii notione filii Dei Ps. II, 7. iam comprehensam putant. Nam filium Dei statuunt hi interpretes significare Messiam, ad veri autem Messiae dignitatem pertinere etiam sacerdotii administrationem; Messiam enim, seu Christum,

esse Iesum, quatenus salutem procuraverit hominum morte sua salutari, seu, quod idem sit, suscepta sacerdotii provincia *). — Sed hanc vim probandi a notione filii Dei petitam extorquent modo hi interpretes artificiose concludendo e vulgaribus muneris I. C. Messiani notionibus, ad easque notionem filii Dei Ps. II, 7. temere conformando. Conficienda potius est res omnis ex usu loquendi N. T. et e consuetudine Apostolorum hunc locum Ps. II, 7. excitandi, quippe qui notionem filii Dei, si rem iudicare licet e vulgari triplicis muneris Christi discrimine, referunt quidem ad munus Christi regium et propheticum, non autem ad sacerdotale, minime omnium ad solum hoc munus sacerdotale designandum. Rectius autem dicitur υἱὸς τοῦ θεοῦ esse dilectus a Deo; qualis potissimum erat Messias ex mente Iudaeorum. Quam filii Dei notionem si recte tenemus, nos

*) Idem sentire videtur Semlerus ad Sykesianae paraphras. ep. ad Ebr. vers. germanicam ad h. l. Ita enim disserit not. 461. (p. 347.) „Der Zusammenhang ist wohl noch leichter: Gott hat den Messias bestellt und verordnet, er soll Urheber geistlicher und unaufhörlicher Wohlfahrt seyn. Priester schafften sonst dem Volke die Sicherheit, daſs Gott ihre leibliche Wohlfahrt nun wieder befördern werde. Der Messias muſste also von Gott zu einem vollkommnen, geistlichen Hohenpriester bestellt seyn.„ Eodem modo pergit not. 463. (p. 350.) »Es ist der Sache nach einerley: Geistlicher König, geistlicher vollkommener Priester.„

plane non tangit argumentum, quod Abreschius, qui filium Dei pro nomine naturae habet, atque nomen muneris hac formula innui negat, e commate octavo ad h. l. haud sine veri specie repetit. Scilicet ita argumentatur Abreschius: Si verborum: καίπερ ὢν υἱὸς, ἔμαθεν, ἀφ' ὧν ἔπαθε, τὴν ὑπακοὴν, hic sensus sit: Christus quamquam esset rex atque Messias, tamen ex iis, quae passus est, didicit, quid esset obedire Deo; commodo sane sensu haec verba prorsus carere, quasi vero, qui sit munere Messias, non ea debeat perpeti, quae sint necessaria ad salutem hominum efficiendam, quum tamen haec ipsa παθήματα proprie pertineant ad munus Messiae christiani. — Sed hoc argumentum eos modo ferit, qui formulam υἱὸς θεοῦ pro συνωνύμῳ Messiae habent. Sin autem hanc formulam attributum modo Messiae atque titulum honoris, quem vocant (dilectus a Deo, Liebling Gottes), ex usu loquendi Iudaeorum significare statuimus, sensum haec verba v. 8. praebent valde commodum hunc: Christus quamvis esset apprime dilectus a Deo (carissimi instar filii), gravia tamen multa ac molesta, imo atrocia supplicia ipsi erant perpetienda, ut disceret, qua filius, quid sit obedire Deo, qua patri (h. e. quam obedientiam filius praestare debeat patri).

Proxime accedit ad interpretandi rationem Michaelis, Zachariae, aliorumque is loci nostri illustrandi modus, quem inprimis commendavit auctoritas cel. Mori, quem deinde sequuti sunt b. Rosenmüllerus et Dindorfius. Verbis enim: ἀλλ' ὁ λαλήσας πρὸς αὐτὸν,

υἱός μου εἶ σὺ, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε, solam Dei Patris descriptionem contineri hi interpretes existimant *). Quamobrem Morus in elegantissima epist. ad Ebr. versione, commate quinto ita reddito: „So hat sich auch Christus „die Würde eines Hohenpriesters nicht eigen„mächtig angemaſset; sondern sie von dem „erhalten, der zu ihm gesagt hatte: Du bist „mein Sohn, heute habe ich dich gezeuget"; ad verba von dem, der etc. addidit notam: „Von Gott, seinem Vater, der ihn zum Herrn über Alles bestimmt hatte, hat er sie erhal-

*) Observandum tamen est, praeiuisse iam in constituendo hoc loci sensu nexuque Carpzovium, Helmstadiensem, et Imman. Hoffmannum, Tubingensem Theologum. Ille enim in exercitat. sacris in epist ad Hebraeos ex Philone Alex. ad h. l. verba ita reddit: „Sic neque Christus sibimet ipsi pontificatum vindicavit, sed illum Deus Pater ad hoc sacerdotium vocavit." — Idemque addit: „Innuit (sc. Auctor ep ad Ebr) Christum ab eodem vocatum esse ad pontificatum, a quo esset genitus, et a quo dictum ei esset ΥΙΟ'C μου εἶ σὺ, ε. σ. γ. σ, i. e. a Deo Patre." — Hoffmannus autem in demonstratione evangelica, Tom. II. p. 92, ita disserit: „Iam ut Paullus respondeat, quis hunc honorem sacerdotii in Christum contulerit, duos allegat Psalmos, nim. II. et CX. Primum itaque allegatum docet, Deum, eum ipsum, qui pro filio suo Christum declaraverit, sacerdotem quoque ipsum constituisse; ut hic locus plane ad explicationem sive descriptionem subiecti in propositione Paullina adductus sit, nec ultra quicquam probare hic debeat: alterum deinceps allegatum de praedicato, seu ipsa collatione sacerdotii loquitur."

ten." — Atque Rosenmüllerus (in Scholiis in N. T. Tom. V. ad h. l.) observat: „Locum Ps. II, 7. repetit, ut ostendat, Christum „ab eodem vocatum esse ad pontificatum, a „quo esset pro filio, vel summo rege declara„tus, i. e. a. Patre." — Dindorfius denique ad I. A. Ernesti lectiones academicas in epist. ad Ebr. ad h. l. addit (p. 382.): „Pro eo autem: Deus illi hunc honorem impertiit, „quod praecedenti versui addendum videtur, „dixit scriptor: qui illi dixerat: Tu es filius „meus, ego hodie te genui, uno verbo eius pa„ter. Ergo non Christus sibi vindicavit mu„nus, sed Pater illi hoc demandavit." — Idem sub finem additamenti ad h. l. (p. 388.) breviter consilium ac sensum auctoris his verbis declarat: „Vocavit ergo idem Deus Iesum fi„lium suum ad pontificatum, qui eum voluit „esse Messiam et dominum summum; idem „constituit eum pontificem, et voluit eum mo„ri pro genere humano." — Consentiunt igitur hi interpretes, in his verbis comm. quinti solam contineri descriptionem Patris Iesu Christi, nec referendum esse locum Ps. II, 7. e consilio Auctoris ad ipsum pontificatum a Deo Christo oblatum. —

Multa tamen, nec ea contemnenda, obstare videntur huic sensus notationi. — Primum enim, hunc si exprimere auctor voluisset sensum, vel scripturus fuisset pro λέγει, v. 6. participium λέγων, quod responderet τῷ λαλήσας, admissa ellipsi: οὗτος ἐδόξασεν αὐτὸν, ut textus ita haberet: Οὕτω καὶ ὁ Χριστὸς οὐχ ἑαυτὸν ἐδόξασε γενηθῆναι ἀρχιερέα, ἀλλ' ὁ λαλήσας πρὸς αὐτόν· υἱός

μου εἶ σὺ, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε, καθὼς καὶ ἐν ἑτέρῳ λέγων· σὺ ἱερεὺς εἰς τὸν αἰῶνα, κατὰ τὴν τάξιν μελχισεδὲκ — addita ex contexta oratione apodosi hac: οὗτος ἐδόξασεν αὐτόν; vel v. 6. pro καθὼς καὶ scribere debuisset: ΟΥΤΩΣ καὶ, vel saltem vocula καὶ omissa καθὼς simpliciter. Illud καὶ enim v. 6. argumentum illi, quod v. 6. continetur, simile commate quinto iam obvium esse manifesto indicat. — Redundare quidem nonnunquam videri in N. T. libris haud diffitemur particulam καὶ post καθὼς, v. c. 1 Thessal. IV, 13. Ephes. IV, 17. — Sed qui accuratius eiusmodi quaestiones grammaticas tractare solent interpretes, pleonasmum plane non alio sensu admittunt, nisi hoc: Salvo sensu generali omitti potuisse hoc vel illo loco hanc particulam καὶ post καθὼς; an vero ex ipsius Apostoli sententia, valde dubitamus; ex hac enim haec vocula καὶ post καθὼς particulae latinae Etiam ubique respondere solet. — Deinde concedimus quidem, ne morosiores videamur in respuenda ea, quam b. Morus iniit, hunc locum explicandi ratione, aut ignari eorum argumentorum, quibus haec defendi possit verborum interpretatio, vel saltem excusari — ex Paulli Apostoli more, qui singulas sententias ac periodos ope particularum ὡς, ὥστε, καθὼς, εἴπερ, καθάπερ rel. iungere plerumque soleat, particulam καθὼς v. 6. loco γὰρ ab auctore epist. ita positam statui posse, ut sententia: καθὼς καὶ ἐν ἑτέρῳ λέγει, perfecte aequipolleat alteri: λέγει γὰρ ἐν ἑτέρῳ κ. τ. λ. Quo quidem particulae καθὼς usu h. l. admisso non idem significatur hac vocula argumentum v. 6. contineri, quod iam v. 5. sit ab auctore

epist. tractatum; sed in solo commate sexto inest probatio sententiae: Christum a Deo ipso constitutum fuisse pontificem, eaque e Ps. CX. repetita; neque contrariari dici potest arctissima commatum quinti et sexti connexio isti b. Mori aliorumque sententiae, qua unice Dei, tanquam Patris I. C., descriptio ex Ps. Ps. II, 7. depromta comm. quinto contineri existimetur, quam ipsa rei propositae probatio commate demum sexto ex Ps. CX. sequatur. — At vero omnem hanc disputationem satis speciosam penitus infringi censemus sola observatione exegetica hac: particulam καθὼς, cum καὶ quidem iunctam, in nullo N. T. loco (comparavimus autem, duce quidem Er. Schmidio in ταμεῖω, omnia) particulae γὰρ respondere, sed solam comparandi et confirmandi ea, quae ante dicta fuerint, vim habere. Id quod loco nostro (v. 6.) etiam τὸ: ἐν ἑτέρῳ potissimum arguit, quippe quod alium, similis quidem argumenti locum, e V. T. tabulis repetitum, eumque in oratione proxime praegressa allegatum innuit.

Quae quum ita sint, earumque quas hactenus recensuimus, nulla hunc locum explicandi ratio, firmis, nostro quidem sensu, munita sit praesidiis, novam profecto tentare licet loci explanandi nexusque sententiarum illustrandi viam, qua forte argumenti difficultas expediatur facilius. — Recte iam observarunt interpretes nonnulli, veluti Iacab. Cappellus, Io. Camero, Arth. Ashl. Sykes, contineri v. 5. demonstrationem sententiae generalem, specialem autem v. 6., etsi in modo, quo hanc

observationem ad illustranda duo e Psalmis allegata adplicarent, nostra quidem sententia, valde erraverint. — Iac. Capellus (in Observation. in Nov. Test. ad h. l.) ita hac de re disserit: „Paulus duo sibi proposuerat pro„banda: 1. Christum a Patre glorificatum. „Eo pertinet secundi Psalmi citatio. 2. Sic „glorificatum, ut fieret Pontifex. Eo pertinet „Ps. CX. versu sequente laudatus.“ — Recte quidem Iac. Cappellus ita declarando sententiarum nexu ad λαλήσας mente suppleuda esse ex praecedente oratione praecipit: ἐδόξασεν αὐτόν. Bene enim iam observavit Ioach. Camerarius (in libro multae frugis, at nostra aetate a multis, qui interpretes N. T. dici cupiunt, male neglecto: Notatio figurarum orationis et mutatae simplicis elocutionis in apostolicis scriptis etc. ad h. l.) ad verba: ἐδόξασε γεννηθ.: „συλληπτικῶς haec dicuntur μετ' ἐλλείψεως, ὁ Χριστὸς οὐκ ἐδόξασεν ἑαυτὸν τοῦ γενηθῆναι ἀρχιερέα, ἀλλ' ὁ λαλήσας θεὸς ἐδόξασεν αὐτόν. Non ipse sibi eam gloriam sumsit, ut fieret pontifex, sed hunc affecit illa gloria is, qui de eo locutus fuerat, Deus.“ — At in eo erravit Iac. Cappellus, quod illud δοξάζειν ad illustrationem Christi omnino referret, nec id, quod verbo δοξάζειν additum est, γενηθῆναι ἀρχιερέα probe attenderet. — In eundem modum contendit Io. Camero (in praelect. in selectiora loca Nov. Test. s. in myrothecio evangelico rel.) ad h. l.: „Non continetur his „verbis institutio Christi in munere mediatorio „aut pontificali, sed declaratio, quod filius „sit, et a quo ad munus suum vocatus sit, „nempe a Patre, ac proinde illud non usurpas-

„se. De sacerdotio autem agit sequens testi-„monium." — Sed ita argumentando non clare satis significat Io. Camero, in quanam commatis quinti parte quaerenda sit generalis sententiae demonstratio: utrum in munere Christi generatim spectato, ad quod sacerdotalis etiam ratio speciatim pertineat; an in filii Dei notione? At de sacerdotali Christi munere proprie hoc loco agitur, quod non sibi ipse arrogaverit, sed a Deo collatum acceperit; nec in notione filii Dei continetur muneris sacerdotalis ratio. Sed si Camero commate quinto generalem hanc expressam esse notionem existimaverit (de quo tamen dubitamus): Christum, quicquid praeclari habeat, hoc accepisse a Deo, ceu Patre, propius sane ad veritatem accessisse nobis videtur. — Denique Sykesius, de cuius sententia supra fusius disputavimus, generalem quidem promissionem Ps. II, 7 sq. factam commate quinto contineri statuit; quod autem hanc promissionem ad perennitatem familiae Davidicae retulerit, admodum eum errasse, supra docuimus. —

Acutius vidit atque subtilius penetravit in verum sententiarum nexum Guilielm. Surenhusius in libro fere aureo βίβλος καταλλαγῆς inscripto (Amstelod. 1713.), quem si recentiores interpretes diligentius consuluissent, quas iniere impeditiores locum nostrum explicandi vias, confidimus, prorsus deseruissent. Vir enim ille doctissimus, cui admodum familiaris esset literarum ebraicarum atque talmudicarum cognitio, omnem loci nostri difficultatem, eamque ex argumentationis obscuritate

ortam, facile superavit comparando argumentandi genere loco nostro adhibito, eoque a plerisque interpretibus haud intellecto, cum consuetudine Iudaeorum, inprimis Talmudistarum, loca Vet. Test. allegandi et ad rem praesentem accommodandi. In quo quidem locum nostrum illustrandi genere universo non possumus non cum Surenhusio consentire, in singulis licet nonnullis, praesertim iis, quae ad sensum loci allegati P. II, 7. pertinent, ab eodem nobis sit discedendum. Quo vero Surenhusii ratio lectoribus nostris fiat clarior, verba ipsa, paululum quidem ubi res postularet, contracta, huc transcribere haud abs re ducimus. Sunt vero haec: „Christum non minus quam Aaronem ad summum pontificatum a Deo vocatum fuisse, Apostolus ex duobus Scipturae locis probat, quorum unus hisce verbis comprehenditur, Ps. II, 7. בני אתה [אני] היום ילדתיך, υἱός μου εἶ σύ, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε. — — Paulus hac in parte veterum Hebraeorum doctores imitatus fuit, qui interdum in veritate rei demonstranda unum alterumve locum Scripturae praemittere solent, ex quo rei veritas subobscure tantum, et postea alium addere, ex quo ea perspicue et efficaciter probatur, sicuti constat ex thesi nostra XII. de modis allegandi scripturas sacras *).

*) Haec thesis XII. sic habet: „Interdum locus aliquis ex scripturis sacris ad rem probandam allegari solet, sive per allegoriam, sive per simplicem probationem, ex quo res non satis

Quando igitur Paulus Ps. II. adducit, is id non facit eo scopo, ut inde probet, Christum ad summum pontificatum a Patre suo vocatum fuisse, sed quod is nullum honorem sibi arrogaverit, verum eum a Patre oblatum acceperit, sicuti etiam erat honor filii Dei, cum summus ille pontificatus inter alios etiam ex summis esset honoribus. Non enim dicit Apostolus, quod Christus se ipsum non constituerit, sed, quod is se ipsum non glorificaverit, sive gloriam tribuerit; cum itaque declaratio illa Patris de suo filio plurimum faciat ad filii gloriam, proinde verba Ps. II. recte adducta sunt. Praeterea, cum Apostolus ostensurus esset Christum non secundum ordinem Aaronis, sed Melchisedeci summum pontificem constitutum esse, hinc Ps. II., in quo de aeterna generatione filii agitur, recte allegatur, et ex nativitate atque origine Christi probatur, illum ad aeternum pontificatum fuisse idoneum, ita ut in Ps. II. fundamentum sternatur ad ea, quae in Ps. CX. dicuntur, confirmanda. Circa mo-

---

efficaciter probari potest propter verborum obscuritatem, nisi locus allegatus cum aliis comparetur et illustretur. Sic in Berachot fol. 5. col. 1. adducitur Iob. V, 7. ובני רשף יגביהו עוף (et scintillae prunarum alte volant): at vero cum hicce locus non satis probet id, de quo quaeritur, hinc alia, quae magis stringunt, subiunguntur, ut Deuter. XXXII, 24. ex quo probatur, voce רשף intelligi castigationes Dei. Porro cum ex Ps. XXXIX, 3. non satis luculenter probaretur, per טוב (bonum) intelligi תורה (legem), additur alter locus Prov. IV, 2. —

dum allegandi notandum est, quod Apostolus posteriora commatis 7. Ps. secundi verba tantum decerpat, posterioribus [lege: prioribus] transmissis, veteribus namque Hebraeorum doctoribus in more positum erat, tot duntaxat verba allegare, quot ad rem probandam erant necessaria, quemadmodum docet thesis nostra IV. et VIII. de modis allegandi scripturas sacras." — Hactenus Surenhusius. — Vix effugerit lectores nostros, multa hic esse a Surenhusio dicta, praesertim in locum Ps. II, 7. eiusque sensum, quo usus fuerit in rem suam auctor epistolae ad Ebraeos, quae supra essent a nobis improbata. Quare duntaxat ea in rem nostram convertere nobis licet, quae scite monuit Surenhusius, eaque supra expressioribus literarum formis a nobis distincta, de more Rabbinorum plura loca Vet. Test. iunctim allegandi atque ex iis tum generatim tum speciatim argumentandi. Quem quidem allegandi morem si recte loco nostro illustrando adhibeamus, novam omnino atque insignem lucem affundi posse argumentandi generi, quo usus sit auctor in loco hoc obscuro, nobis est persuasissimum.

Itaque tandem ad eam pergimus loci huius obscuri rectius explicandi illustrandique rationem, quae, reiectis quidem reliquis periculis exegeticis, nobis maxime placet, quum et consuetudini doctorum iudaicorum magis conveniat, sitque sententiarum nexui aptissima. — Auctor epist. ad Ebraeos locum Ps. II. 7. non eo consilio excitasse nobis videtur, ut Messiae vel regiam vel sacerdotalem digni-

tatem a Deo ipsi collatam inde demonstraret, sed ut generatim duntaxat efficeretur, Christum ad munera sua, quae demum cunque illa sint, a Patre fuisse evocatum, neque sibi illa arrogasse. Vere quidem demonstraturus erat Auctor eptst., quod supra docuimus, Christum non sibi arrogasse summi sacerdotis provinciam, sed a Deo ipso potius accepisse hosce honores. Hoc ipsum autem quo probaret, praemisit Rabbinorum more locum Vet. Foed., ex quo generatim modo pateret, Christum, quod obierit munus, qualecunque illud esset, non sibi ipsi, sed Deo debere; deinde vero aliud V. T. oraculum adiecit, quod clare et definite doceret, summi sacerdotis partes ipsi a Deo fuisse collatas. Sollemne enim erat Iudaeis (docente Surenhusio in βίβλῳ καταλλαγῆς, de modis allegandi, Thes. XII, p 50.), in allegandis S. S. oraculis ad firmandam sententiam aliquam ea praemittere loca, quae rem subobscure tantum vel simpliciter significent, aliaque deinde addere V. T. loca, quae rem luculentius pleniusque exponant. — Itaque nervus probandi simpliciter quaerendus est in verbis: ἐγὼ γεγέννηκά σε. — (Mihi debes origines tuas), iisdemque Rabbinorum more generatim intellectis: „Mihi debes, quod „es, quodque vales, naturam tuam atque con„ditionem omnem.“ — Quo effato, e consilio quidem auctoris epist. illud, nulla nexus sententiarum ratione habita, in rem suam allegantis, haud definiebatur ipsa conditio et dignitas Christi Deo debita, utrum regia sit, an sacerdotalis. Demonstrant modo haec verba psalmi secundi, ex eo certe sensu, quo

auctor epist. illa excitabat, simpliciter ac universe: Christum ratione muneris sui, quodcunque illud sit, a Deo pendere. Itaque verba antecedentia: υἱός μου εἶ σὺ, quod ad sensum, si consilium allegandi spectes, hoc loco plane redundant, aeque ac Ebr. I, 5., inuersa quidem ratione, eiusdem oraculi verba posteriora, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε, quippe quae ad probandum non attinent, sed tantum nexus et memoriae causa allegantur. Solent enim scriptores librorum Nov. Foed. Iudaeorum more *) loca Vet. Test., quorum pauca modo verba probando vere inserviunt, allegare integra, tum propter nexum orationis, tum vero, unde depromptae sint breves istae sententiae, ne lectores lateat. — Demonstrata igitur ex loco Ps. II, 7. sententia generali hac: Christum ratione muneris sui Deo esse obnoxium, transit auctor epist. ad sacerdotium Christi ex alio loco Vet. Test. (Ps. CX, 4.) compro-

*) Conferri in hanc rem merentur, quae Surenhusius disseruit in βίβλῳ καταλλαγῆς p. 54 sq. thes. XIX. de modis allegandi S. S. „Aliquando plura verba, inquit, in una serie allegari solent, cum tamen rei probatio ex uno „vel altero verbo petatur." — Quod illustrat deinceps Surenhusius pluribus locis Thalmudicis et nonnullis notis Maimonidis et Bartenorae; atque ad extremum addit: „Sic etiam „Apostolus Paulus ad Hebr. cap. XI, 8. ex Ps. „VIII. ex unica voce כל sive πάντα, et Hebr. „VII, 17. Ps. CX, 4. ex unica voce לעולם, „εἰς τὸν αἰῶνα, rem conficit. Confer Cap. „V, 7."

bandum. Quare pergit v. 6: καθὼς καὶ ἐν ἑτέρῳ λέγει· σὺ ἱερεὺς εἰς τὸν αἰῶνα, κατὰ τὴν τάξιν μελχισεδέκ In quo quidem allegato primum notandum est, ad instituendam rei propositae probationem ipsam modo pertinere prima loci allegati verba: σὺ ἱερεὺς, reliqua vero εἰς τὸν αἰῶνα, κατὰ τὴν τάξιν μελχισεδὲκ, hoc quidem loco abundare, solius contextus causa allegata (de quo quidem allegandi genere iam supra ad comma quintum satis monuimus), at infra demum (cap. VII.) accuratius explicanda fusiusque ad Christum adplicanda. Deinde probe observandum est, hoc allegatum ex Ps. CX. ne sufficere quidem ad plene demonstrandum id, quod auctor epist. demonstrare sibi proposuisset, nisi in subsidium adhibeatur illud, quod commate proxime praecedente quinto ex Ps. II. iam esset demonstratum. Demonstraturus enim erat auctor epist. comm. quinto: Christum sibi haud arrogasse summi sacerdotii dignitatem, collatam sibi potius eam a Deo ipso accepisse; at ex Ps. CX, 4. hoc tantum probari poterat: Christum esse sacerdotem, non autem hoc: Christum hoc sacerdotium a Deo accepisse. Hoc demum patescit, si primum allegatum ex Ps. II, 7. cum altero ex Ps. CX, 4. petito ita iunxeris, ut cum auctore epist. illi effato sensum generalem subiicias hunc: „quicquid Messias habeat, hoc „Deo deberi.“ Ex utroque igitur loco arcte iuncto intelligitur demum veritas sententiae ab auctore epist. adsertae: Deum Christo sacerdotium tribuisse. Quod si attenderis, facile intelliges et necessitatem utrumque locum ad confirmandam sententiae propositae veritatem

coniungendi, et veram ac genuinam causam allegandi utrumque, quum neuter seorsim spectatus id demonstret, quod auctor epist. docere vellet. Nam alter locus Ps. II, 7. generatim modo, e sententia quidem auctoris, innuit: Christum in quacunque re Deo esse obnoxium; alter vero ex Ps. CX. petitus docet duntaxat hoc: Christum esse sacerdotem. Sed utrumque locum si conferas atque in unum quasi colligas, resultat hoc: Sacerdotium collatum ipsi esse a Deo, nec sibi ipsi hoc arrogasse Christum. Id ipsum autem est, quod probare voluit auctor ep. comm. quinto. Quam auctoris argumentationem si ad formam artis redegeris, talis ea foret: Messias in quacunque re pendet a Deo, patre suo (Ps. II, 7.). Atqui Messias est sacerdos (Ps. CX, 4.); Ergo etiam, qua sacerdos, pendet a Deo, nec sacerdotium illud sibi arrogasse censendus est. — Sic omnia in hac argumentatione amice conspirant, atque uterque V. T. locus, ex Ps. II. et CX. petitus, in eundem finem ab auctore epist. productus adparet.

Nec alienum esse hunc modum allegandi V. T. oracula, ex iisque argumentandi a more ingenioque Paullino, duo praesertim loca, ad quae ipse Surenhusius (l. c.) nos ablegat, commonstrant, ut plura alia eiusdem generis taceamus. — Primus locus est Rom. X, 6 — 11., quo Apostolus naturam et praestantiam fidei commendaturus primum lectores remittit comm. 6. ad oraculum Deuteron. XXX, 12., idque ab omni quidem sententiarum ne-

xu quasi auulsum ad Christum, eiusque resurrectionem e mortuis atque adscensionem ad coelos accommodat, ut proposito exemplo naturam fidei illustret, quae his de rebus dubitare nos haud patiatur. Deinde addit Apostolus aliud argumentum ex alio eiusdem pericopae loco, Deuter. XXX, 14. petitum, ut doctrinam christianam facili negotio, nempe sola fide parandam et ore profitendam commendet, transferendo, qui Rabbinorum mos est, isto loco, qui haud dubie spectat doctrinam (ῥῆμα) de legibus Mosaicis, ad doctrinam de fide Iesu habenda. Quum autem illud oraculum Deuteron. XXX, 12. 14. subobscure tantum Apostolo fidem innuere videretur, nec ulla expressa fieret fidei mentio, tandem producit in medium alium locum (Ies. XXVIII, 16.), quo expresse ὁ πιστεύων commemoratur (πᾶς ὁ πιστεύων ἐπ' αὐτῷ οὐ καταισχυνθήσεται), neque h. l. respuit Rabbinorum morem arbitrario adiiciendi vocabula, quae in textu non habentur; addit enim, imo premit voc. πᾶς (πᾶς ὁ πιστεύων), quod neque in textu ebraico, neque in versione alexandrina extat. — Sequitur igitur Apostolus h. l. morem Iudaeorum, loca V. T., quae rem subobscurius significant, praemittendi, quae clarius, ad extremum collocandi, atque ita argumentandi, ut singula loca allegata a nobis iunctim sint comprehendenda, si vim probandi, quam spectasset Apostolus, plane intelligere velimus. — Alter locus, quo simili ratione Apostolus argumentatur, est 1 Cor. IX, 9 — 14. Id vero hic agit, ut demonstret, sibi aeque ac aliis doctoribus christianis licere, victum ab iis petere,

quibus doctrinam evangelicam impertiant. Quod primum probandi caussa illustrat variis similibus e vita communi petitis, v. 7. Tum pergit sententiae veritatem confirmaturus ad argumentum e lege aliqua Mosaica depromtum (Deuteron. XXV, 4.), qua iubentur Iudaei, caveant sibi bovi trituranti camum iniicere. Sed subobscure modo, non clare ac luculenter, firmatur hac lege sententia Apostoli, argumentando a minori ad maius: si Deus hac lege boum curam gerat, hoc multo magis valere de hominibus, qui salutem aliorum procurent (v. 10.), omniumque maxime de Apostolis; quare recte disserit Paullus v. 11: ἐι ἡμεῖς ὑμῖν τὰ πνευματικὰ ἐσπείραμεν, μέγα ἐι ἡμεῖς ὑμῶν τὰ σαρκικὰ θερίσομεν; Recte quidem procedit haecce argumentatio; sed proprie tamen agit illa lex Mosaica de bobus, non de hominibus aut adeo doctoribus, qui alios doctrina divina imbuunt. Quare tandem Apostolus progreditur v. 13., quo firmius stabiliat sententiam, ad aliam legem Mosaicam (Numer. XVIII. et Deuter. XVIII.), qua sacerdotibus Ebraeorum, qui sacris operentur, clare et expressis verbis conceditur, e sacris victum habere, iisque, qui altari adsideant, bonorum illius reddi participes. — Itaque Apostolus hoc etiam loco, sententiae suae veritatem corroboraturus, in oraculis V. T. allegandis pergit ab obscurioribus ad planiora et luculentiora. Atque nunc demum rationes ita subducit comm. 14: Οὕτω καὶ ὁ κύριος διέταξε τοῖς τὸ εὐαγγέλιον καταγγέλλουσιν, ἐκ τοῦ εὐαγγελίου ζῆν. — Haec exempla sufficiant ad probandum, Paullum, Apostolum,

eadem usum fuisse argumentandi atque loca V. T. allegandi ratione apud Iudaeos maxime frequentata, quam auctor ep. ad Ebr. cap. V, 5. 6., nostra quidem sententia, sequutus fuisse censendus sit.

Quae quum ita sint, hic, quem nunc copiose exposuimus, sententiarum sensus nexusque, quum sit et naturali verborum vi ac structurae aptior, et consilio auctoris epistolae convenientior, et consuetudini Iudaeorum loca Vet. Test. allegandi, ex iisque argumentandi accommodatior, neque ab ipso more ac ingenio Paullino alienus, reliquis omnibus locum hunc difficillimum explicandi nexumque sententiarum constituendi modis supra a nobis examinatis longe praeferendus nobis esse videtur.

P. P. ipso Pentecostes die.
MDCCCXV.

XIII.

Programmata II. pentecostalia, quibus in αὐθεντίαν epistolae Publii Lentuli ad Senatum Romanum de Iesu Christo scriptae inquiritur.

I e n a e,
MDCCCXIX et MDCCCXXII.

Particula I.

Fabulam de Publii Lentuli epistola ad

Senatores Romanos de Iesu Christi miraculis, eius vultu externoque habitu dudum explosam denuo ad examen revocare superfluum plane videri possit et fere ineptum *), nisi exemplar huius epistolae Lentuli nuper in bibliotheca Vaticana repertum multorum admirationem, inprimis Angli cuiusdam (in diario: the British monitor) excitasset, eosque in falsam opinionem novae alicuius rei, eiusque notatu dignissimae, nunc demum detectae, anteaque plane incognitae, male induxisset **). Habetur autem, quod ante hos centum annos iam

*) Iam Sec. XV. Laurentius Valla (in declamat. contra donationem Constantini M. diserte enunciat: „Epistola nomine Lentuli improbe ementita est; atque L. Ellies du Pin Sec. XVII. hanc epistolam in egregio libro: Nouvelle bibliotheque des auteurs ecclesiastiques, Vol. I. p. m. 23. ed. Paris. 1699. 4. paucis verbis repellit his: „Il n'est pas besoin, de montrer la fausseté d'une Lettre, attribuée à Lentulus écrite au Senat et au peuple de Rome touchant les actions de Iesus Christ: la supposition en est evidente.“

**) Qua de re diarium Vimariense Oppositionsblatt dictum N 253. anni 1818. p. 2021. haec habet: „Der British Monitor bringt ein sehr merkwürdiges Actenstück zur öffentlichen Kunde, d. h. einen Brief des Statthalters von Judäa, Publius Lentulus an den Römischen Senat, welcher sich unter den Manuscripten des Vatican befinden soll, und bey dem Stillschweigen der Römischen Geschichtschreiber Tacitus und Suetonius über Iesus Christus von doppeltem Interesse ist. Folgendes ist der Inhalt

testatus est I. A. Fabricius *), haec epistola Lentuli in multis bibliothecis Angliae, Galliae, Italiae, (praesertim in bibliotheca Vaticana et Patavina) et Germaniae, inprimis in bibliotheca Augustana (teste Antonio Reisero) et Ienensi **). Typis etiam saepius repetita est

---

des Briefes: Es befindet sich gegenwärtig in Iudäa ein Mann von seltenen Tugenden, der sich selbst Iesus Christus nennt. Die Ausländer halten ihn für einen Propheten, aber seine Anhänger verehren ihn als den Sohn des unsterblichen Gottes etc." —

*) Vid. Io. Alb. Fabricii cod. apocryph. Nov. Test. Vol. I. p. 302. — Adde: Io. Reiskii exercitatt. histor. de imaginibus Iesu Christi, Ien. 1672. ed. 2. 1685. 4. p. 153.

**) Descripsit hoc Ienense exemplar Mstum epistolae Lentuli atque typis mandavit Io. Christoph. Mylius, biblioth. Ien. praefectus, in Memorabil. bibliothec. academ. Ienensis (Ien. 1746. 8.) p. 301 sq. Scriptum erat hoc epistolae exemplum in charta rubra literis aureis atque additum libro membranaceo Msto pretiosissimo, continenti aliquot Evangelia festivalia atque elegantissimis Lucae Cranachii picturis distincto. Picta autem I. C. imago, eaque ad Lentuli descriptionem accurate expressa, inserta cernitur exteriori ligaturae voluminis atque vitro obducta cum lamis quibusdam argenteis inauratis. Quam Servatoris imaginem antiquam eamque venustissimam Leo X., Pontifex Romanus, Friderico Sapienti, Electori Saxon., quondam dono dedisse dicitur. Amissum autem vel ablatum ex hoc codice membranaceo ante sexaginta, et quod excurrit, an-

haec Lentuli epistola, discrepantibus quidem inter se nonnullis lectionibus. Harum epistolae editionum eas modo recensere sufficiat, quibus ipse haec scribens utor. Primum exhibetur in Historia ecclesiastica Centuriatorum Magdeburgensium, (Basil. 1559. fol.) Centur. I. l. 1. p. 344., eaque accurate typis repetita (retentis etiam erroribus typographicis) Norimbergae (cura Baumgartenii, deinde Semleri) 1757. 4. Vol. I. p. 368. Quocum Centur. Magdeb. textu plane convenit apographum huius epistolae Lentuli in Michael. Neandri apocryphis, iis quidem graecae eiusdem versioni Catechismi Lutheri additis (Basil. MDLXVII.) p. 410 sq. — Deinde recepit hanc epistolam Io. Iac. Grynaeus in Monumenta S. Patrum orthodoxographa (Basil. 1569. fol.) p. 1. epistol. orthodoxograph. theol. latinorum. — Aliud, idque duplex, huius epistolae Lentuli exemplum exhibet Io. Reiskius in exercitatt. histor. de imaginibus Iesu Christi rel. (Ien. 1685. 4.) p. 152 sq.; alterum ex Msto Ienensi supra descripto expressum, alterum ex Orthodoxographis repetitum *). — Porro, quod

nos fuisse hoc epistolae exemplar merito dolemus; aliud tamen adhuc extat in biblioth. acad. Ienensi huius epistole exemplum codici Msto LXXX. insertum. Cf. Mylii Libr. cit. p. 347.

*) Quibus ex Orthodoxographis hanc epistolam etiam repetiit b. Io. Bened. Carpzovius (Theologus Helmstadiensis) in programmate: de oris et corporis Iesu Christi forma Pseudo-Lentu-

iam supra monitum est, Io. Christoph Mylius, Mstum illud Ienense typis accurate exprimendum curavit in Memorabil. bibliothecae academicae Ienensis p. 302 sq. — In linguam adeo persicam translata est haec epistola, auctore Hieronymo Xaverio in historia Christi *); atque tam latina, quam germanica lingua tum Norimbergae, tum Erfuti dudum in vulgus prodiisse hanc Lentuli epistolam, testantur Reiskius et Fabricius ll. cc. Denique haec epistola, etsi non sub Lentuli nomine, atque

li, Iohannis Damasceni ac Nicephori prosopographiae; obiter Neo-Zopyrorum Christi icones inducuntur. Helmst. 1777. 4. Quem libellum mihi nunc non esse ad manus, valde doleo.

*) Ipse quidem Hieronym. Xavier S. I. legatus Pontif. Rom., hanc historiam Christi multis fabulis contaminatam lingua Lusitanica composuit, quam vero Abdel Senarin Kasem in linguam persicam transtulit. Quam versionem manuscriptam quum Ludov. de Dieu a Iac. Golio accepisset, decrevit illam latine cum animadversionibus iuris publici facere, ut pateret, qualis doctrina christiana propagaretur ab iis, qui a Pontifice Romano ad gentes profanas mitterentur. Ita in lucem publicam prodiit: Historia Christi, persice conscripta simulque multis modis contaminata a Hieronymo Xavier, latine reddita et animadversionibus notata a Ludovico de Dieu, Lugd. Batav. 1629. 4. Quem in librum vide Nachrichten von einer Hallischen Bibliothek T. V. p. 474. sq. et I. G. Walchii biblioth. theologic. selectam Vol. III. p. 405.

rbis ab initio paululum mutatis reperitur in
litione opusculorum Anselmi Cantuariensis
ne loco et anno, in 4. *) — Nihil igitur
ovi, vel eximii aut memoria digni in lucem
rotraxerunt, qui hanc epistolam Lentuli ex

---

*) Hic liber inscribitur: Opuscula beati Anselmi Archiepiscopi Cantuariensis ordinis sancti Benedicti. Videtur typis excusus, quantum quidem ex forma literarum coniicere licet, Parisiis circa finem Sec. XV. vel initium Sec. XVI. (vid. Hambergeri zuverlässige Nachrichten von d. vornehmsten Schriftstellern Th. IV. p. 40. et Mylii memorabilia biblioth. acad. Ienensis p. 303). In qua opusculorum Anselmi editione haec narratio de Christo verbis Pseudo-Lentuli expressa extat in ultima pagina. Adiectis enim in hac ed. libris II. de imagine mundi (qui autem non sunt neque Anselmi, neque Eadmeri; quare desunt in editione operum Anselmi Gerberoniana: sed Honorii Augustodunensis, in cuius operum editionem tam Heroldianam quam Schottianam rectius recepti sunt) leguntur duo tractatus breves ita inscripti: 1) Invocatio matris virginis Mariae simul et filii eius; 2) Ex gestis Anselmi colliguntur forma et mores beatae Mariae et eius unici filii Iesu. In quo posteriori tractatu descriptio Iesu, eaque non separata a laudibus Mariae matris, nec sub nomine Lentuli, his verbis incipit: „Sed filius eius unigenitus erat homo magnae virtutis, nominatus Iesus Chhristus, qui a gentibus dicebatur propheta veritatis, quem eius discipuli vocaverunt filium Dei. Suscitavit mortuos, et sanavit omnes languores, homo quidem procerus, mediocris et spectabilis. Vultum habuit venerabilem,

apographo Vaticano, accurate, maximam quidem partem, cum Msto illo Ienensi consentiente, tyis exscribendam curarent *). Suppositam enim Lentulo fuisse hanc epistolam atque falsa continere, dudum docuere viri docti, Reiskius, Varenius, Cocus **), alii. — Quae quidem singula etsi haud ignota sint viris doctioribus atque historiarum, inprimis ecclesiasticarum gnaris, nostrae tamen aetati, quae credendi magis, quam dubitandi libidine laborare atque ad superstitionem, ignorantiae et testem et comitem adeo proclivis esse videtur, ut mirabilia quaevis sectetur atque sola vi imaginandi correpta lectione quarumque fabularum, modo religionem spirent, ac fictarum Sanctorum vitarum mirifice delectetur, plane conveniens atque accommodatum esse

---

quem intuentes possunt et diligere et formidare etc.“ — In reliquis ad verbum convenit cum qaeteris apographis epistolae Pseudo-Lentuli. —

*) Quod factum esse videmus (ni fallimur, e diario Britannico: the British monitor) in diario Vimariensi: Oppositionsblatt, N. 229. A. 1818.

**) Io. Reiskius in libr. laudato, de imaginibus Iesu Christi (Ien. 1685. 4.) p. 155 — 166. — Augustus Varienius (Theol. Rostoch.) in Rationario Theologico de scriptoribus ecclesiasticis, (Rostoch. 1669. 4.) p. 158 — 60. — Robertus Cocus in Censura quorundam scriptorum, ed. Gebh. Theod. Meieri (Helmstad. 1683. 8.) p. 2. sq.

existimamus; ut, quum novis modo illa inhians a lectione librorum antiquorum, quorum haud raro ne nomina quidem norit, prorsus abhorreat, antiqua illa in memoriam et revocentur et denuo examinentur. Quare in hac ipsa re, de qua quaeritur, satius esse videtur, ne superstitio in dies proh dolor gliscens et crescens nova inde incrementa capiat, repetito quidem epistolae Lentuli argumento, in γνησιότητα illius ita inquirere, ut, fictam eam esse et prorsus commentitiam, cuique legenti plane adpareat. — Itaque primum epistolam ipsam ita recensere iuvat, ut textum illius ex Orthodoxographis, qui optimus nobis esse videtur, repetamus, subiectis quidem ex reliquis libris variis lectionibus (tali enim habitu haec epistola nondum prodiit) atque annexa sub finem Ludovici de Dieu versione latina translationis huius epistolae persicae ab Hieronymo Xaverio procuratae; deindé argumentum epistolae sigillatim ita percensebimus, ut nullius eam fidei esse, sed totam Lentulo illi suppositam, certis argumentis plane constet. —

Primum igitur hic exhibemus textum epistolae ex Orthodoxographis cum variis lectionibus ex tribus foliis Mstis, Ienensi Imo et IIdo, et Vaticano, et duobus libris editis, nempe Centur. Magdeb. et editione opusc. Anselmi. Textum enim, quem exhibent Mich. Neandri apocrypha, quum ne verbulo quidem differat a tenore epistolae in Centur. Magdeb., singulatim recensere nihil attinet. —

Lentulus
Hierosolymitanorum Praeses S. P. Q. Romano S. *)

Apparuit temporibus nostris et adhuc est homo magnae virtutis, nominatus Christus Iesus, qui dicitur a gentibus propheta veritatis,

---

a) Ms. Ien. 1. praefaminis loco sic habet: „Temporibus Octaviani Caesaris Publius Lentulus, Proconsul in partibus Iudaeae et Herodis regis, senatoribus Romanis hanc epistolam scripsisse fertur, quae postea ab Eutropio reperta est in annalibus Romanorum.“ — Ms. Ien. 2. autem ita praefatur: „Epistola reperta in annalibus urbis Romanorum, quae missa fuit Senatui per quendam Lentulum, qui tunc erat offic. IV. imperator romani populi, in Iudaeae partibus morabatur, quam super conditionibus Christi scripsit. Cum moris erat, quas ex universis mundi partibus compererat et provinciis senatui scribere novitates occurrentes.“ — In Ms· Vatic. praemittuntur haec: Quidam Lentulus Romanus, dum esset Officialis in provincia Iudaeae pro Romanis tempore Tiberii Imperatoris, et Christum videret eiusque magnalia opera, praedicationes, infinita miracula, et alia stupenda de ipso notaret, scripsit Senatoribus Romanis sic.“ — Denique in Centur. Magdeb. inscriptio haec est: „Lentuli epistola ad Imperatorem Tiberium (quo differt hoc apographum a reliquis, quae ad Senatum Roman. hanc epistolam scriptam esse effantur), quae apud Eutropium in annalibus Senatorum Romanorum extat.“

quem eius discipuli vocant filium Dei, b) suscitans mortuos et sanans languores. c) Homo quidem staturae procerae, d) spectabilis, vultum habens venerabilem, quem intuentes possunt e) et diligere et formidare: Capillos vero circinos et crispos aliquantum caeruliores et fulgentiores, f) ab humeris volitantes, g) dis-

---

b) Ita et Ms. Ien. 2. habet: sed. Ms. Ien. 1. voc. temporibus addit: istis; Ms. Vatic. pro: nostris legit: istis, et omittit Christus. In Centur. Magdeb. pro: temporibus nostris legitur: his temporibus. Ed. Anselm. verbis nonnullis sub initium differre, docet nota * p. 633.

c) Mst. Ien. 1. et Centur. Magd. habent: omnes languores. Ms. Vatic. autem legit: languentes.

d) Ita et habent Cent. Magd. Sed Ms. Ien. 1. et 2. et Vatic. atque ed. Anselm. legunt: Statura procerus, mediocris.

e) Ante voc. possunt habet Ms. Ien. 1. facile.

f) Ms. Ien. 1. admodum differt: „Capillos habens coloris nucis avellanae praematurae et planos usque ad aures, ab auribus vero circinos, crispos aliquantulum caeruliores et fulgentiores.“ — Cum hoc textu Ms. Ien. 1. consonat tam Ms. Ien. 2. quam Ms. Vatic. Eandem lectionem tuentur Centur. Magd. et ed. Anselm. Differt modo textus Cent. Magd. vitio typographico (eoque in ed. Norimb. non correcto): cuntanos pro: circinos, et: subgemiores pro: fulgentiores:

g) Omnes reliqui, quos novi, testes, Ms. Ien. 1.

crimen habens in medio capitis iuxta morem Nazarenorum: h) frontem planam et serenissimam, i) cum facie sine ruga (ac) macula aliqua, quam rubor moderatus venustat. Nasi et oris nulla prorsus est reprehensio, barbam habens k) copiosam et rubram, l) capillorum colore, m) non longam, sed bifurcatam n) oculis

---

et 2. Ms. Vatic. Cent. Magd. et ed. Anselm. legunt: ventilantes (non: volitantes).

h) Pro lectione Nazarenorum, qua consentiunt cum textu in Orthodoxographis tria Msta, habet utraque editio in Centur. Magdeb. et in opusc. Anselmi Nazaraeorum.

i) Errore calami Ms. Ien. 2. habet: frontem plenam; et Ms. Vatic. frontem planum et serenissimum.

k) Ms. vatic. legit: habet; et ed. Anselm. habuit.

l) Tria Msta legunt una cum duabus edd. impuberem, (non: rubram, quam lectionem sola habent Orthodoxographa).

m) Ms. Ien. 1. et 2. una cum Cent. Magdeb. legunt: capillis concolorem; Ms. Vatic. autem capillis coloratam. Sed ed. Anselm. prorsus omittit.

n) Ms. Ien. 1. et Ms. Vatic. atque edd. Centur. Magd. et Anselm. addunt: in medio, ante voc. bifurcatam. Sed Ms. Ien. 2. errore calami habet: biformicatam. Omnes autem testes praeter Orthodoxographa, nempe Ms. Ien. 1. et 2. et Vatic., nec non edd. Centur. Magdeb. et An-

ıriis et claris existentibus. o) p) In increpaone terribilis, in admonitione placidus q) et nabilis, hilaris servata gravitate, qui nunuam visus est r) ridere, flere autem saepe s).

---

selm. habent post: bifurcatam, verba haec: Aspectum habet simplicem et maturum.

o) Ms. Ien. 1. et 2. ac ed. Anselm. ante voc. variis inserunt: glaucis. Ed. Cent. Magd. modo habet: oculis claris existentibus; et Ms. Vatic. pro: oculis variis legit: oculis honestis.

p) Post voc. existentibus habet solum Ms. Ien. 1. „Nasi et oris nulla prorsus est reprehensio, „quem rubor moderatus venustat.“ Sed cum textu nostro ex Orthodoxographis petito, qui has sententias supra post verba: macula aliqua, ita ponit: „quam rubor moderatus venustat. „Nasi et oris nulla prorsus est reprehen„sio,“ accurate consentiunt Ms. Ien. 2. et Vatic. nec non ed. Centur. Magdeb. et Anselm.

q) Placidus etiam habet Ms. Ien. 2. sed Ms. Ien. 1. et Vatic. nec non edd. Cent. Magd. et Anselm. habent: blandus. —

r) Solae Cent. Magd. ponunt visus est post saepe in fine periodi. Omnes reliqui testes consentiunt in situ verbi ante ridere.

s) Hoc saepe modo est in editionibus epistolae in Orthodoxogr. Cent. Magd. et opp. Anselm., non autem in Ms. Ien. 1. et 2. ac Vatic. — Hi testes Ien. habent: sic. Hoc autem (sic) pertinet ad sequens: in statura, quod interpunctio in Ms. Ien. 2. docet; claudit enim sententiam verbis: flere autem (sc. visus est). Male igitur Mylius l. c. τὸ sic mutat in saepe, (v.

Sic in statura corporis propagatus t), manus habens et membra u) visu delectabilia, in eloquio v) gravis, rarus x) et modestus, speciosus inter filios hominum. Valete y) z).

Hieronymus Xavier autem, societatis Iesu sodalis, in Historia Iesu persice conscri-

---

Memorabilia bibl. Ien. p. 303.), nixus auctoritate ed. Anselm. Sed haec ed. caret τῷ Sic, aeque ac Centur. Magdeb.

t) Ms. Ien. 1. et Vatic. et edd. Cent. Magd. et Anselm. addunt: et rectus. Ms. Ien. 2. autem habet: et rectas manus habens; quae lectio parum idonea orta videtur e praecedente meliore: et rectus, manus habens etc.

u) Reliqui testes omnes, tam Mss. Ien. 1. et 2. et Vatic. atque edd. Cent. Magdeb. et Anselm. legunt: brachia.

v) Rectius libri reliqui Ms. Ien. 1. et 2. et Vatic. atque edd. Cent. Magd. et Anselm. pro: eloquio legunt: colloquio.

x) Pro: rarus, sola ed. Anselm. habet: rectus; reliqui testes comprobant lectionem aptiorem: rarus.

y) Hoc Valete deest in reliquis Mss. et edd.

z) Solum Ms. Ien. 2. habet clausulam singularem hanc: „Explicit epistola de Columpna anno „Domini MCCCCXXI. reperta in annalibus Ro„mae in libro antiquissimo in Capitolio doctis-

pta *), postquam epistolam Pilati ad Tiberium, eamque non minus fictam et suppositam exhibuerat, epistolam Lentuli adiunxit, his quidem verbis e versione latina Ludov. de Dieu: „Alius ille, Lentulus nomine, qui „ante Pilatum administrationem istius urbis ha„buit, Senatui scripsit:

„Hoc tempore vir apparuit, et adhuc vi„vit, vir praeditus potentia magna, nomen „eius Iesus Christus: homines eum prophetam „potentem dicunt, discipuli eius filium Dei „vocant. Mortuos vivificat et aegros ab om„nis generis aegritudinibus et morbis sanat. „Vir est altae staturae proportionate, et con„spectus vultus eius cum serveritate, et plenus „efficacia, ut spectatores amare eum possint, „et rursus timere. Pili capitis eius vinei co„loris usque ad fundamentum aurium **), si-

---

„simo Domino Patriarchae Constantinopoli„tano.“ —

*) Edita haec historia Iesu persica est cum latina versione a Ludovico de Dieu Lugd. Batav. cIↃIↃcxxxix. 4. Epistola Lentuli inserta est persice et latine p 532 sq. Accurate (correcta modo interpunctione) hunc locum ex hac latina versione repetiit Io. Albertus Fabricius in Cod. apocryph. Nov. Test. Vol. I. p. 301 sq.

**) Illustrandi causa Ludov. de Dieu ad marginem notavit, hoc fundamento aurium intelligi cavitatem post aures.

„ne radiatione, et erecti, et a fundamento au-
„rium usque ad humeros contorti ac lucidi,
„et ab humeris deorsum pendentes, bifido ver-
„tice dispositi in morem Nazaraeorum. Frons
„plana et pura, facies eius sine macula, quam
„rubor quidam temperatus ornat. Adspectus
„eius ingenuus et gratus *). Nasus et os eius
„nullo modo reprehensibilia. Barba eius mul-
„ta, et colore pilorum capitis bifurcata: ocu-
„li eius coerulei et extreme lucidi. In repre-
„hendendo et obiurgando formidabilis, in do-
„cendo et exhortando blandae linguae et ama-
„bilis. Gratia miranda vultus cum gravitate.
„Vel semel eum ridentem nemo vidit, sed
„flentem imo. Protracta statura corporis, ma-
„nus eius rectae et erectae, brachia eius dele-
„ctabilia. In loquendo ponderans et gravis,
„et parcus loquela. Pulcherrimus vultu inter
„homines satos."

Quibus praemissis iam pergamus ad cognoscendam γνησιότητα huius epistolae. — Primum suspicionem movet magna inscriptionis in variis harum literarum exemplis diversitas; cui accedit singularum inscriptionum ex historia illorum temporum absurditas et manifesta falsitas. Exemplum Ienense primum habet: „temporibus Octaviani Caesaris Publium „Lentulum Proconsulem in partibus Iudaeae „et Herodis Senatoribus Romanis hanc episto-

---

*) Lud. de Dieu itidem adnotat ad marginem: vocem persicam, quam gratus reddiderit, proprie significare i. q. Coctus.

„lam scripsisse, quae postea ab Eutropio „in annalibus Romanorum reperta sit." Quem quidem huius exempli titulum cum ipsa Iesu Christi historia prorsus pugnare, ex loco notissimo Luc. III, 1. clare adparet. Christus enim imperante Tiberio, non Octaviano Augusto, munus suum adiit, Procuratoris (non Proconsulis) provinciam tum gerente in Iudaea Pontio Pilato. Qua de re, nec non de Eutropio, cuius sub finem mentio fit, infra fusius agetur. — Temporis quidem rationi accommodatius in Mst. Vaticano dicitur tempore Tiberii Imperatoris Lentulus quidam Romanus, isque Officialis *) in provincia Iudaeae pro Romanis, scripsisse Senatoribus Romanis. Senatoribus autem res in provinciis Caesaris gestas a Procuratoribas perscribendas haud fuisse, sed Caesari, historia docet; atque Pontium Pilatum, non Lentulum quendam tum temporis Procuratorem Romanum in Iudaea fuisse, eadem historia illius temporis clamat. — Mire sonat inscriptio huius epistolae in Orthodoxographis: Lentulus Hierosolymitanorum Praeses S. P. Q. Romano S., quasi Hierosolymitanis singularis Praefectus Romanus

*) Officialis Lentulus h. l. dicitur, non e significatu vocis pure latino, (non enim innuere voluit scriptor, Lentulum fuisse ministrum magistratus, s. apparitorem); sed sensu ecclesiastico, quo Officialis erat iudex episcopalis. Itaque e latinitate sequioris aevi Lentulus dicebatur Officialis, quatenus ferebatur fuisse iudex Romanus in provincia Iudaeae.

praefuisset; quum unus idémque Procurator Romanus universae Iudaeae, non solis Hierosolymis, praeesset, isque literas daret ad Caesarem, non ad Senatum populumque Romanum. Postquam enim auctore Augusto Caesare nova erat divisio provinciarum facta, aliis, iisque pacatis, populo Romano relictis, aliis, iisque potentioribus et praesidio armatis, Caesareae administrationi subiectis; Syria una cum Iudaea vindicabatur Caesari. Res enim ab Augusto ita est constituta, ut, quae provinciae antea, libera republica, consulares fuissent, atque a Proconsulibus administratae, eae nunc Caesaris essent, atque a Legatis Caesaris, (qui neque Proconsules, neque Praetores dicerentur) viris plerumque Consularibus, regerentur; aliae autem, praetoriae inprimis ante dictae, Senatus et populi essent atque a Proconsule administrarentur; tertium denique provinciarum genus esset minorum, quae Caesari relictae ab equestris ordinis, post etiam inferioris, viris Procuratorum nomine regerentur, qualem Iudaeam fuisse ex ipsis N. T. libris constat. Id quod ex Strabonis L. XVII. et Dionis Cassii L. LIII. post Casaubonum aliosque accurate docuit I. A. Ernesti *). Denique augetur admodum suscipio falsitatis varia fontium, ex quibus hausta sit huius epistolae cognitio, significatione. Nam in Ms. Ienensi I. dicitur haec epistola Lentuli

*) Vide sis Ernestii excurs. ad Suetonii vitam Augusti c. XLVII.

reperta esse ab Eutropio in annalibus Romanis. Sed in Centur. Magdeb. inscriptio significat, hanc epistolam extare apud Eutropium in annalibus Senatorum Romanorum. Itaque ex altera inscriptione reperit modo Eutropius hanc epistolam in annalibus Romanis, quam ex altera recepit Eutropius in suos ipsius annales Senatorum Romanorum. — Prima igitur quaestio incidit haec: quisnam fuerit hic Eutropius, cui debeamus huius epistolae notitiam? Quam si penitius disquisiverimus, omni utramque inscriptionem fide carere, facile intelligemus. — Plerumque cogitant de Eutropio, breviarii Romanae historiae ad Valentem Augustum auctore notissimo; sed valde errant *); nam in nulla Eutropii editione, cu-

*) Quem errorem perperam admisit Mich. Neander, vir doctissimus, in Apocryphis, versioni graecae Catechismi Lutheri annexis (1567.) p. 410 sq., ubi ad epistolam Lentuli, e Centuriis Magdeb. repetitam, not. b. male observat haec: „Extat haec epistola apud Eutropium in Annalibus Romanorum Senatorum" (!!) „Eutropius autem monachus fuit ac presbyter (falli hic Neandrum cum aliis, infra docebitur), qui claruit anno Domini 370. Scripsit tum alia, tum insigne volumen (si interpolata demseris, perquam tenue), „quo Romana historia universa describitur, ex diversorum autorum monumentis collecta." (Ex his clare adparet, bonum Neandrum male confudisse Eutropii historiam Romanam cum Pauli Diaconi historia miscella, „quam Oporinus Basileae in 8. excudit (1559.) cum doctissimis in eam Glareani scholiis." (Quam editionem Opori-

iuscunque classis et generis sit, extat haec Pseudo-Lentuli epistola. Norunt autem harum rerum periti, tres potissimum editionum Eutropii constitui classes; corruptissimam quidem in Pauli Warnefridi (sc. filii), vulgo Diaconi, historia miscella, quam vocant; corruptam inepta eiusdem Pauli sedulitate, praesertim ex Pauli Orosii historiarum libris VII.; denique emendatam et repurgatam post medium saeculum decimum sextum per Vinetum primum, deinde alios, ope potissimum Paeanii μεταφράσεως graecae puriorumque codicum, praesertim Burdegalensis et Fuldensis *). —

nianam Neandrum oculis plane non usurpasse nec pervolvisse inde patet, quod haec editio Eutropii historiam Rom a Vineto iam emaculatam sistit, in qua nullum huius epistolae Lentuli vestigium adparet).

*) Pauli Warnefridi sc. filii (clari scriptoris Sec. VIII.) historiam miscellam, quam ille conscripserat iussu Adelbergae (Trittenhemius eam adpellat Adelburgam), Desiderii filiae, ex Eutropii, aliorumque historiae augustae scriptorum, Orosii praesertim, historiis male consarcinatam Eutropii nomen ementitam fuisse, constat ex ed Frobeniana, Basil. MDXXXII, quae hunc titulum in fronte gerit: „Eutropii insigne volumen, quo Romana historia universa describitur, ex diversorum auctorum monumentis collecta etc. Totum Volumen describitur XXIV. libris; sed ad librum XII. demum observatur, hunc cum sequentibus additum esse a Paulo Diacono, quasi antecedentes libri XI. (plerumque autem Eutropii epitome hist. Rom. in X. libros dispescitur) ad solum Eu-

:d sollicite rimanti mihi et comparanti varias
.s Eutropii recensiones nullus in enarratis
bus ab Augusto et Tiberio gestis occurrit
cus, qui hanc epistolam Lentuli exhibe-

---

tropium pertineant, quamvis maxime sint interpolati. Et primus liber inscribitur in hac editione: Eutropii de gestis Romanorum. Quam editionem historiae miscellae sequebatur Pithoeana (Basil. MDLXIX. 8.) sub tit: Historiae miscellae a Paulo Aquileiensi Diacono primum collectae, post etiam a Landulpho Sagaci auctae etc. Hanc excepit editio Canisiana (Ingolstad. MDCIII. 8.), emendatior autem in Muratorii Scriptor. rer. Italic. T. I. P. I. — Sed reliquae etiam editiones ante medium Sec. XVI. Eutropium exhibent per Paulum Warnefridi admodum interpolatum, in iis praesertim locis, quibus res christianae narrantur, etsi non adeo auctum et amplificatum, ac in historia miscella. Atque hoc non modo factum est in libris, qui Eutropium seorsim exhibent, verum etiam in collectis historiae Augustae scriptoribus, quale exemplum cernitur in editione Venetiana MCCCCXC. fol. Unde factum est, ut Eutropius plerumque pro Christiano haberetur, imo pro monacho et presbytero, v. c. a Conr. Gesnero et Ios. Simlero in epitome bibliothecae, et Mich. Neandro in Apocryphis, adeoque confunderetur cum Eutropio, Augustini discipulo. Rectius autem iam Lambecius (de biblioth. Vindob.) iudicavit, Ethnicum fuisse Eutropium nostrum. Tandem haec Eutropii histor. Rom. epitome pristinae restituta est puritati, tum opera El. Vineti, adhibito codice puriori Burdegalensi (Pictav. MDLIII. Basil. MDLIX. cet.), tum studio Frid. Sylburgii, qui non modo hoc Eutropii

ret *). — Atque ne Paullus Orosius quidem, scriptor christianus Sec. V., qui libr. VII. historiarum c. IV. ipsius Pilati literas ad Tiberium de Christo commemorat, huius Lentuli epistolae mentionem facit. — Quare alii de alio Eutropio, huius epistolae editore cogitarunt, sed frustra. Plures quidem vixere no-

---

breviarium castigaret ex Msto Fuldensi, T. I. Rom. histor. scriptorum, verum etiam T. III. ex Franc. Pithoei bibliotheca in lucem publicam ederet antiquissimam, sed hucusque ἀνέκδοτον illius graecam Paeanii μετάφρασιν, tanquam praestantissimum emendandi corrupti textus adminiculum. — Qui plura desideret ad historiam Eutropii literariam pertinentia, adeat I. A. Fabricii bibliothecam latinam, G. Chr. Hambergeri zuverlässige Nachrichten von d. vornehmsten Schriftstellern, cet. T. II. III. atque doctas praefationes Vineti, Sylburgii, Cellarii suis Eutropii editionibus praefixas. —

*) Itaque vel mentiti sunt, vel perperam a Pseudo-Lentulo sibi imponi passi Molanus, Mendoza, Salmanticensis, et Chiffletius, Vesontinus, scriptores Pontificii, qui confidentius contenderent: hanc epistolam Lentuli diutissime in Annalibus Romanorum incognitam delituisse atque ex illis in manus Eutropii pervenisse. Inprimis Chiffletius eo vel credulitatis vel temeritatis processit, ut Annales ab Eutropio scriptos excitet, quum annales ab Eutropio conscripti extent nulli Neque in Eutropii epitome a Paulo diacono, sub tit. de gestis Romanorum, adhibitis Eusebio, Hieronymo, Rufino, Orosio maxime amplificata, reperiri poterat haec Lentuli epistola. Fucum igitur faciunt lectoribus hi scriptores Pontificii. —

mine Eutropii, qui et ipsi varia scriberent. Gennadius (de viris illustribus c. XLIX.) refert Eutropium Presbyterum (sec. V.) qui ad duas sorores, ancillas Christi, scripserit; quem, discipulum Augustini, male confuderunt Ptolemaeus, Gesnerus, Zwingerus, Possevinus cum Eutropio, auctore breviarii historiae Romanae, qui hunc librum Valenti Augusto inscripserat sexaginta circiter annos ante illum Presbyterum, neque igitur Augustino iunior esse poterat. — Honorius Augustodunensis (de scriptoribus ecclesiasticis l. III. c. 38.) commemorat Eutropium, Valentinae ecclesiae episcopum, qui Sec. VI. epistolam de unctione chrismatis et aliam de distinctione monachorum edidit, de quo prolixius paullo scripsit Isidorus Hispalensis (de scriptoribus ecclesiasticis) c. 32. Sed neuter horum Eutropiorum scripsit annales Senatorum Romanorum, in quibus commemoraret hanc epistolam Lentuli; quod quidem vult illa inscriptio *). Nec ullus extat auctor christianus antiquior, qui narret, Eutropium aliquem vel reperisse talem epistolam in annalibus Ro-

*) Alii quidem praeter hos extitere Eutropii, qui ab I. A. Fabricio in bibliothec. latin. Vol. III. p. 101 sq. laudantur; sed hi nihil plane memoriae prodiderunt. Alii denique cogitant de Eutropio, Abdiae, auctoris historiarum Apostolicarum, discipulo, cuius mentio fit in praefatione latinae harum historiarum versionis Iulio Africano adfictae (cf. I. A. Fabricii cod. apocryph. Nov. Test. p. 391.). Sed hae ipsae apostolicae historiae fabularum nugarumque

manorum, vel in suos adeo annales eam recepisse. Tota igitur illa inscriptio conficta est, fortasse a monacho quodam rerum omnium plane ignaro. —

Redit autem res omnis potissimum ad Lentulum ipsum, qui auctor huius epistolae perhibetur. Sed differunt admodum inscriptiones singulorum monimentorum sive manuscriptorum sive typis excusorum huius epistolae in definienda Lentuli persona. Solum Mstum Ienense I. adpellat auctorem epistolae Publium Lentulum; reliquae inscriptiones habent vel Lentulum simpliciter sine ullo praenomine, velut in Centur. Magdeb. et in Orthodoxographis, vel quendam Lentulum, v. c. in Ms. Ienensi II. et in Ms. Vaticano. — In Ms. Ien. I. hic Lentulus fuisse dicitur Proconsul in partibus Iudaeae et Herodis regis, et quidem temporibus Octaviani Caesaris, quamvis tempore Christi neque Iudaeae, neque Syriae Pro-

---

plenae fictae sunt, nec dici potest Iulius Africanus versionem Eutropii graecam harum ebraice scriptarum historiarum Abdiae in linguam latinam transtulisse, qui et ipse graece scripsisset. Neque denique in his ipsis Abdiae historiis apostolicis continetur illa epistola Lentuli. Caeterum de hoc Abdiae libro apocrypho vide sis I. A. Fabricium l. c. et Andr. Riveti Critic. sacr. l. 1. p. 133 sq. — An vero aliquis nomine Eutropius hanc epistolam Lentulo adfinxerit, hoc quidem loco parum refert, ubi de Eutropio agitur, qui hanc epistolam in annales suos retulerit.

consul fuisset praefectus, neque Lentulus quisquam tempore Octaviani Caesaris haec enarrare potuisset de Christo, qui sub Tiberio Caesare demum munere suo fungeretur. Eatenus Ms. Vatic. et apographum epistolae in Centur. Magdeb. rectius ad Tiberium haec Lentulum scripsisse adserunt. Denique Ms. Ienense II. et Ms. Vaticanum hunc Lentulum describere Officialem, antea iam indicavimus *). — Male autem hunc Lentulum adpellari in Orthodoxographis Praesidem Hierosolymitanorum, quum his proprius Praeses haud fuisset, iam supra observatum est. — Cardo rei autem vertitur in eo, an illo, quo Christus in his terris vixit, tempore Lentulus aliquis Romanus Syriae vel soli Iudaeae fuerit praefectus?, Quam quidem quaestionem restringere fas esset ad triennium muneris I. C., ab illius baptismate inde usque ad atrox eiusdem supplicium; nam in epistola huic Lentulo adscripta modo agitur de vultu Christi externoque habitu, de institutionis gravitate ac de miraculorum ab ipso patratorum vi et copia; atque nulla prorsus mortis I. C. violentae mentio fit in illa epistola. Sed ne in quaerendo molestiores videamur aut in iudicando severiores, videamus de integro sexaginta annorum spatio, an ullus intra hoc Lentulus Praeses Syriae vel Iudaeae fuerit **). —

---

*) Quid autem in Ms. Ien. II. sibi velit post Official. et Imperator Romani populi, equidem me non intelligere profiteor.

**) Ducem sequimur in his rebus chronologicis

Inter praesides Syriae Caium Sentium Saturninum et Quinctilium Varum exceperunt:

1) Silanus Quirinius, A. C. VII — XII. (Alii adpellant P. Sulpicium Quirinium).
2) Quintus Caecilius Silanus Creticus, A. C. XII — XVII. *).
3) Cn. [alii addunt: Calpurnius] Piso, A. C. XVII. — Hic erat successor Silano Cretico a Tiberio constitutus ad coercendas spes Germanici e decreto Senatus Rom. provinciis orientalibus praefecti, cui Silanus Creticus per affinitatem erat connexus.
4) Cneius Sentius Saturninus, Prolegatus, A. C. XIX — XXII.

Germanico Caesare arte Pisonis exstincto. Quo remoto 5) Pomponius Flaccus Syriae praefectus erat. A. C. XXII — XXXIV, quo anno obiit.

Hunc sequebatur 6) Vitellius, A. C. XXXV — XXXIX.

7) Publius Petronius, A. C. XXXIX. sqq.
8) Vibius Marsus A. C. XLII. sqq.

Antonium Pagi, qui in Critica in Baronii annales ecclesiasticos Tom. I. (Colon. Allobrog.) p. 32 sqq., praeeunte Iosepho (Archaeol. Iud. l. XVIII. seq.), rem accurate exposuit. Quocum etiam consentit Is. Casaubonus in exercitationibus ad Baronii annales ecclesiasticos.

*) Silanum Creticum inter et Silanum Quirinium alii interserunt Pomponatium Flaccum, A. C. XI. a Tiberio Syriae destinatum. Sed hic non videtur munus sibi oblatum vere obiisse.

9) C. Cassius Longinus, A. C. XLV, cui mox successit

10) T. Vinidius [Ummidius] *) Quadratus, A. C. XLV — LX.

Horum igitur praesidum Syriae nullus nomen Lentuli gesserat: Videamus nunc, an

---

*) Admodum variant libri in lectione huius nominis. Recte damnantur tum vulgaris lectio Vinidius, tum aliae: Tumidus, Tummidius, Humidius, Immidius, Umidius, Uvidius, Unidius. Maiori specie gaudet lectio Numidius a Lipsio probata, quoniam nitatur testimonio Iosephi, qui eum diserte adpellet (Antiqu. Iud. L. XX. c. 5. ed. Ittig.) Νουμιδίου Κοδράτου τῆς Συρίας προεστηκότα, et Plinii, qui in epistol l. VI. et VII. Numidiae Quadratillae et Numidii Quadrati mentionem faciat, quare etiam in Taciti Annal. l. XII. c. 45. haec lectio praeferenda sit vulgari (vid. Lipsius ad hunc Taciti locum), quod et factum est in editione Tacitt Ryckiana (Lugd. 1684). — Veram autem scripturam esse T. Ummidium adfirmat I. A. Ernesti (ad Taciti Annales l. XII. c. 45.), ut docuerint viri docti, Salmasius ad Spartian. Hadr. c. 15. Rupertus ad Reinesium ep. 21. Norisius in Epoch. Syro-Macedon. diss. III., inprimisque Spanhemius de usu et praest. numism. p. 7. [At tam in ed. secunda (Amstel. 1671. 4), quam in ed. novissima (Lond. 1717. fol.) vulgarem quidem lectionem Vinidius damnat Spanhemius; sed Lipsianam lectionem: Numidius Quadratus, e numis confirmatam censet, non Vmmidius, T. I. diss. II. ed. II. p. 91. et ed. nov. p. 129. — Errat igitur I. A. Ernesti et in alleganda libri pagina (7), et laudando pro lectione Vmmidius Ezech. Span-

inter Procuratores Iudaeae intra illud temporis LX. annorum spatium ullus extiterit Lentuli nomine clarus; id quod eo maioris est momenti, quum inscriptio illius epistolae praefectum aliquem Iudaeae potissimum hoc nomine insignitum quaerere nos iubeat.

Series autem Procuratorum Romanorum illo tempore Iudaeae praefectorum haec fuit. Pulso nempe Archelao atque Iudaea penitus in potestatem Romanorum redacta, eaque in

---

hemio]. „Itaque non dubitavi — pergit I. A. Ernesti — hoc nomen cum I. Gronovio hic reponere, ut in Iosepho fecit Hudsonus XX, 6. et de Bell. Iud. II., 12. 5. et sic et iam restituendum Plinio ep. VI, 11 et alibi ut VII, 24. ubi etiam quidam scripti Vmidius habeant, frustra repudiante Cortio.“ — Quod ad Josephum attinet, commemorasse hac occasione haud abs re erit, iam ante Hudsonum Gottfr. Olearium, Theolog. Lips. in exemplo ed. Ittigianae multis observationibus ad marginem allitis aucto (quod ipsum ego nunc possideo) ad locum Iosephi Antiq. Iud. l. XX. c. 5. supra allatum inter alia ad marginem observasse haec: „Verum forte eius nomen est Caius Ummidius; vid. apud Mabillon T. II. Mus. Ital. inscriptionem in honorem C. Ummidii, qui Consul fuisse dicitur et Legatus in Lusitania sub Tiberio, Illyrici sub Claudio, Syriae sub Claudio et Nerone. Neque Numidius quisquam apud Gruterum et Reinesium occurrit, sed Umidius et Ummidius.“ — Lectionem Οὐμμίδιον h. l. etiam Havercampium recepisse constat. Apud Horatium Sermon I. l. 95. ubi eadem lectionis varietas in libris regnat, recte Bentleius

ıeram provinciam Romanam mutata primus onstitutus est Procurator Iudaeae:

1) Coponius. A. C. VI — IX.

Hunc sequebatur 2) Marcus Ambivius. A. ;. IX — XII.

3) Annius Rufus. A. C. XII — XV.

Hi tres Procuratores imperarunt Iudaeae ivo Augusto. Sed sub imperio Tiberii ab A. ;. XIV. (aer Dionys.) regnantis Procuratores udaeae fuere:

4) Valerius Gratus. A. C. XV — XXVI.

5) Pontius Pilatus. A. C. XXVI — XXXVI.

Tum regnantibus Caligula Claudio et Nerone usque ad A. C. LXIV. sequebantur hi:

6) Marcellus, in locum Pilati a Vitellio, Syriae praeside, missus. A. C: XXXVI — XXXVII.

7) Marullus, (alii scribunt: Marulus) sub Caio Caligula, Imper. A. C. XXXVII — XL.

---

rescripsit Ummidius, quem et Gesnerus sequutus est. Lambinus et Baxter habent Umidius. — Adde, quod observat Ernesti ad Taciti locum, viros doctos ad Varr. de R. R. III, 3. ubi vulgo Immidius, pro quo Vmmidius legendum recte censent Scaliger, Vrsinus, Bentleius. — Ceterum in inscriptione vetere apud Norisium l. c. praenomen C. (loco T. quod vulgo legitur) tribuitur huic praesidi. —

8) Publ. Petronius, (qui simul erat Praeses Syriae) A. C. XL — XLV.

9) Cuspius Fadus, sub Claudio Imper. A. C. XLV — XLVI.

10) Tiberius Alexander. A. C. XLVII — XLIX.

11) Ventidius Cumanus. A. C. XLIX — LI.

12) A. Claud. Felix. A. C. LI — LVIII.

13) Porcius Festus, sub Nerone Imper. A. C. LVIII — LXII.

14) Albinus. A. C. LXII — LXIV.

15) Gessius Florus, ultimus Procurator Iudaeae, A. C. LXV *).

Enumeravimus hic omnes Procuratores Iudaeae, neque ullum inter eos reperimus no-

---

*) Accurate ac plene recensuit hos Procuratores Iudaeae, addita historia Herodis Agrippae Herm. Witsius in Miscell. sacr. Tom. II. dissert. XI. §. 64 sqq., sed non rite suffulsit idoneis testimoniis. Testem autem habemus his in rebus fide dignissimum Iosephum tum in Antiq. Iud. l. XVIII. XIX. et XX., tum de Bell. Iud. l. II. — Alii, velut I. G. Pretius in Introd. in lectionem N. T., vel omiserunt Marcum Ambivium, Marcellum, Marulum, Ventidium Cumanum, vel male scripsere nomina, v. c. Fadus Tiberius pro Cuspius Fadus, et Alexander Cumanus pro Tiberius Alexander, recte hos errores notante et castigante C. G. Hofmanno in nova editione introductionis Pritianae p. 430 sq. Vitas moresque horum Procuratorum bene descripsit I. A. Stark in libro: Geschichte der christlichen Kirche des ersten Jahrhunderts (1779.) T. I. p. 564. sqq.

mine Lentulum. Itaque falsa est inscriptio illius epistolae, quae Publii Lentuli nomen prae se fert, eumque Praesidem Hierosolymitanorum vel adeo Proconsulem fuisse simulat. — Quanquam autem illa inscriptio epistolae, qua Lentulus praefectus provinciae fingitur, valere plane non potest; inde tamen non sequitur nullum prorsus Lentulum Romanum, quicunque ille demum fuerit, auctorem epistolae esse potuisse. Quare quo rem omnem, de qua quaeritur, rite conficiamus, omnemque elabendi causam in hac disputatione praecidamus, disquirendum adhuc est, an e multis illis Lentulis, quos historia Romana commemorat, quisquam, Tiberio quidem regnante atque Pontio Pilato res Iudaeorum moderante, in Iudaea per aliquod tempus, quo Iesu Christi personam et habitum, eiusque virtutes resque gestas propius cognoscere potuisset, vixerit.

Septemdecim quidem Lentulorum, quos I. A. Ernestius in clave Cicer. e libris Ciceronis excitat, quemquam huc referre ipsa temporis ratio haud permittit; nullus enim eorum aetatem Iesu docentis ac munere divino defungentis attigit. Videamus igitur, an Lentulorum quisquam, quos Io. Glandorpius in Onomastico historiae romanae (Francof. 1589. fol.) p. 266. sqq., magna quidem copia (XLIII), adducit, pro auctore epistolae, de qua quaeritur, haberi possit. Sed e tanto Lentulorum numero quatuor modo ad Tiberii tempora pertinent: Cn. Cornelius Lentulus, Cossus Cornelius Lentulus, P. Cornelius Lentulus Scipio, et Cn.

Lentulus Gaetulicus. At ne horum quidem ullum cum aliqua veri specie huc referas praeter ultimum, sc. Cn. Lentulum Gaetulicum, *) cui etiam a nonnullis epistola illa adscripta est. **) Is enim sub Tiberio Consul fuit una cum C. Calvisio A. U. C. DCCLXXIX. et A. C. XXVI. (Tacit. Annal. I. IV. c. 46.) atque A. C. XXXIV. (A. U. C. DCCLXXXVII.) superioris Germaniae legiones curabat, mirumque amorem adsequutus erat (teste eodem Tacit. Annal. l. VI. c. 30.) idemque sub C. Caligula res novas moliebatur (teste Sueton. in vit. Claudii, c. 9.) atque detecta coniuratione caesus esse dicitur. Hunc Cn. Lentulum Gaetulicum historias scripsisse testatur Suetonius (vit. Caligulae c. 8.) et carmina ludicra Plinius (epist. l. V. 3.) — Sed ex his colligi plane non potest, hunc Lentulum auctorem fuisse illius epistolae; degisse enim eum et moratum fuisse in Iudaea, quod quidem fieri debuisset post A. C. XXVI., quo Consulatum gerebat, et ante A. C. XXXIV., quo in Germania superiori imperabat, nemo sane testatur. Id quod tamen ad vitam habitumque I. C. recte observandum certe esse deberet, si testimonio de Christo eidem adscrip-

*) Alii scribunt: Getulicum.

**) Io. Iac. Grynaeus in praefatione ad monimenta S. Patrum orthodoxographa de epistola Lentuli haec refert: „Lentulum quidam praesidem Hierosolymae fuisse dicunt, alii historicum non incelebrem cognomento Getulicum, eumque vixisse Tiberio imperante." — At huic Lentulo praenomen erat Cneius, non Publius. —

to fides sit habenda. Nec denique huic Cn. Lentulo Gaetulico adscribitur illa epistola, sed Publio Lentulo. — Quae quum ita sint, falsam esse et plane fictam illam epistolae Lentulo cuidam affictae inscriptionem iure meritoque censemus. —

Valde porro imminuunt fidem huius epistolae Lentuli alia argumenta historica ex antiquitate christiana petita. Ignorant enim plane has Lentuli literas scriptores christiani, graeci et latini, per multa saecula, etsi aliae epistolae itidem supposititiae, v. c. Pilati ad Tiberium, Abgari ad Christum, huiusque ad illum, a Iustino, Tertulliano, Hegesippo, Eusebio commemorantur. De epistola Lentuli silent omnes, quamvis Patres bene multi, Iustinus, Tertullianus, Origenes, Minucius Felix, Lactantius, alii hac epistola ad rem christianam contra Ethnicos defendendam cum fructu uti potuissent. Eusebius et Augustinus Iesu Christi formam ac speciem se plane ignorare palam confitentur aut queruntur. Quo tandem modo hoc fieri potuisset, cognita si iis fuisset epistola Lentuli? Quid quod Patres synodi Nicaenae secundae in defendenda et stabilienda iconolatria ferventissimi, qui ex impuris adeo haurire fontibus haud erubescerent, modo ad commendandas virorum sanctorum imagines facerent, nullam prorsus prosopographiae Christi in hac Lentuli Epistola obviae mentionem fecere? Nec ullus post saeculum octavum historicus, sive e graecis, v. c. Curopalates, Theophanes, Cedrenus et Georgius Syncellus, sive e latinis, e. g. Lambertus Schaffnaburgensis, Marianus Scotus, Walafridus Strabo (s.

Strabus), hanc epistolam Lentuli commemorat. — Ipse denique Nicephorus Callisti (sc. filius) Xanthopulus, (graecus historiae ecclesiasticae scriptor Saec. XIV.) quamvis prosopographiam Lentulanae haud absimilem exhiberet, *) nullam plane epistolae Lentuli mentionem iniicit, quum et ipsi per materiem sribendi sub ipsis descriptionis suae initiis commodissime licuisset, potuissetque gravis aliqua ex persona Lentuli novae Nicephori prosopographiae auctoritas conciliari. — Hac enim ille ratione effigiem Iesu Christi depingit. **) „Ἡ μέν τοι διάπλασις τῆς μορφῆς τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὡς ἐξ ἀρχαίων παρειλήφαμεν, τοιὰ δέ τις ὡς ἐν τύπῳ περιλαβεῖν ἦν, ὡραῖος μέν ἦν τὴν ὄψιν σφόδρα. Τὴν γε μέν ἡλικίαν εἴτ' οὖν ἀναδρομὴν τοῦ σώματος, ἑπτὰ σπιθαμῶν ἦν τελείων. Ἐπίξανθον ἔχων τὴν τρίχα, καὶ οὐ πάνυ δασεῖαν. Μᾶλλον μέν οὖν, καὶ πρὸς τὸ οὖλον μετρίως πως ἀποκλίνουσαν, μελαίνας δέ γε τὰς ὄφρυς εἶχε, καὶ οὐ πάνυ ἐπικαμπεῖς, τοὺς δὲ ὀφθαλμοὺς χαρόπους τινὰς καὶ ἤρμα ἐπιξανθίζοντας, εὐόφθαλμος δ' ἦν καὶ ἐπίῤῥιν· τὴν μέντοι τρίχα τοῦ πώγωνος ξανθὴν τινὰ εἶχε, καὶ οὐκ εἰς πολὺ καθειμένην. Μακροτέραν δὲ τὴν τρίχα κεφαλῆς περιέφερεν· οὐδέποτε γὰρ ξυρὸς ἀνέβη ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ, οὐδὲ χεὶρ ἀνθρώπου, πλὴν τῆς μητρὸς αὐτοῦ νηπια-

---

*) Quare in Centur. Magdeb. Cent. 1. l. I. c. X. epistolae Lentuli proxime subnexa est haec Nicephori descriptio I. C., e versione quidem latina ab ea, quae in ed. Ducaeana continetur, paululum diversa.

**) vid. Nicephori ecclesiast. histor. ed. Front. Ducaei. (Paris, 1630. fol.) l. I. c. 40.

ζοντος. Ἠρέμα ἐπικλινὴς τὸν αὐχένα, ὡς μηδὲ πάνυ ὄρθιον, καὶ εὐτεταμένην ἔχειν τὴν ἡλικίαν τοῦ σώματος· σιτόχροος δὲ καὶ οὐ στρογγύλην ἔχων τὴν ὄψιν ἐτύγχανεν, ἀλλ' ὥσπερ τῆς μητρὸς αὐτοῦ μικρὸν ὑποκαταβαίνουσαν, ὀλίγον δ' ἐπιφοινισσομένην, ὅσον ὑποφαίνειν τὸ σεμνόν τε καὶ τὸ συνετὸν τοῦ ἤθους καὶ ἥμερον, καὶ τὸ καθάπαξ ἀόργητον. Κατὰ πάντα δὲ ἦν ἐμφερὴς τῇ θείᾳ καὶ πανασπίλῳ ἐκείνου μητρί. Ταῦτα μὲν ἐν τούτοις." *) — Hactenus Nicephorus. **) Sed

---

*) Quibus magis placet, graeca haec latine legere, in eorum usum adiicimus ex editione Ducaei emendatam et graeco textui magis accommodatam versionem Io. Langii hanc: „Porro effigies formae Domini nostri Iesu Christi, sicuti a veteribus accepimus, talis propemodum, quatenus eam crassius verbis comprehendere licet, fuit. Corporis statura ad palmos prorsus septem. Caesariem habuit subflavam, ac non admodum densam, leniter quodammodo ad crispos declinantem: supercilia nigra, non perinde inflexa. Ex oculis fulvis et subflavescentibus mirifica prominebat gratia. Acres ii erant, et nasus longior. Barbae capillus flavus, nec admodum demissus. Capitis porro capillos tulit prolixiores. Novacula enim in caput eius non adscendit, neque manus aliqua hominis, praeterquam matris in tenera duntaxat aetate eius. Collum fuit sensim declive, ita ut non arduo et extento nimium corporis statu esset. Porro tritici referens colorem, non rotundam aut acutam habuit faciem, sed qualis matris eius erat, paulum deorsum versum vergentem, ac modice rubicundam: gravitatem atque prudentiam cum lenitate coniunctam, placabilitatemque iracundiae expertem, prae se ferentem. Persimilis denique per omnia fuit divinae et immaculatae suae genitrici. Ac haec quidem hactenus." —

**) Qui plura scire velit de pretio huius prosopo-

nullam epistolae Lentuli mentionem facit, tamquam fontis, ex quo prosopographiam suam hauserit, etsi maximam partem cum descriptione Lentuli conveniat; paucis modo effatur: ὡς ἐξ ἀρχαίων παρειλήφαμεν. — Primus, apud quem ipsa verba Lentuli occurrunt, videbatur Anselmus Cantuariensis, theologus Saec. XII. At neque separatim hanc effigiem Christi exhibet, sed cum imagine Mariae uno tenore coniunctam, neque eam a Lentulo sumtam declarat; neque denique haec descriptio Christi ab Anselmo Cantuariensi profecta esse videtur. Nam hic tractatus de forma et moribus b. Mariae eiusque filii Iesu non repetitus est in genuinis operibus Anselmi ex editione Gerberoniana *) Itaque incertus est auctor huius tractatus, incerta est aetas. — Primus, qui hanc epistolam excitat sub nomine Lentuli, at simul damnat tamquam improbe ementitam, est Laurentius Valla Saec. XV. Videtur igitur haec epistola ab ignoto aliquo et ignaro maleque

---

graphiae Christi recte aestimando, et de hoc Nicephoro, multarum fabularum sive fautore sive fabro ipso, adeat Io. Reiskii exercitationes de imaginibus Iesu Christi supra laudatas, c III. p. 165. sqq.

*) Exstat modo in Opusculis Anselmi, sine l. et a. vid. l. c. Atque libri II. de imagine mundi, quibus adiectus est ille tractatus in Opusculis, non sunt Anselmi Cantuar., sed Honorii Augustodunensis; carent autem hi libri in editione Heroldiana et Schottiana hac adpendice.

sedulo monacho Saec. XIII. aut XIV. demum conficta vel ex variis incertisque sermonibus consarcinata.

Accedit denique argumentum epistolae a veritate alienum, vel saltem valde dubium, atque genus dicendi barbarum nec tempori, quo scripta perhibetur, aptum. — Quicunque enim sine partium studio hanc epistolam Lentuli perlustrat, totum illius argumentum illico intelliget ita esse comparatum, ut a Romano aliquo scriptore illius temporis profecta esse plane non possit. *) Quod cuique lectori quo magis illucescat, nonnulla modo in hac epistola obvia examini nostro subiiciamus. — Recte generatim iam monuit Io. Reiskius (l. c.): „Posset queri, unde Lentulo, si quidem Lentulus ea novit, de propheta, de filio Dei, de discipulis, de nasiraeatu, de capillis Nazarenorum (potius Nasiraeorum) discriminatis, totaque vultus externi elegantia quidquam innotuerit? Sicut vero exordium huic epistolae absurdum, ita quoque finis eidem absonus accessit, in quo nec dies, nec locus nec Vale priscum **) adparet. Dignum scilicet patella operculum!

*) Ita iam iudicarunt August. Varenius in Rationario theologico de scriptoribus ecclesiasticis (Rostoch. 1669.) p. 159. sqq. Io. Reiskius in exercit. histor. de imaginibus Iesu Christi (Ion. 1685.) p. 160.

**) Valete enim modo habet textus in Orthodoxographis; in reliquis Mss. et editionibus nobis cognitis deest.

prooemio totoque eptstolio epilogus!“ — Sed de nonnullis, gravioris quidem momenti, sigillatim nunc et curatius dispiciamus. — Quo demum iure Lentulus, Romanus, contendere poterat, „Iesum Christi dici a gentibus prophetam veritatis, et a discipulis filium Dei?“ Quaenam sunt gentes? quinam discipuli? Si discipuli sunt omnes Christi adseclae, gentes iis oppositae intelligendae sunt et explicandae de Non-Christianis, sive Iudaeis, sive ethnicis. Hos autem Iesum Christum habuisse *pro vero propheta ac legato divino*, aperte falsum est; alioquin enim illo iam tempore doctrinam christianam haud contemsissent sed agnovissent omnes. Quod hac aetate non factum esse *historia* docet. Quomodo deinde Lentulus, polytheus, narrare potest, discipulos Iesu eum *vocasse* filium Dei? Referre modo potuisset Lentulus, diseipulos Iesu eum habuisse pro *filio Deorum*, vel numinis s. Dei alicuius, non Dei absolute dicti, quem monotheismus modo *statuit*. (Sed respicit ille Pseudo-Lentulus ad Matth. XXVII., 54. atque ad narrationes *Evangeliorum* omnino). — Porro quid sibi volunt in descriptione formae Iesu verba: discrimen habens in medio capitis iuxta morem Nazarenorum? Quinam sunt hi Nazareni? Suntne Nazarethani s. incolae oppidi Nazareth in Galilaea, unde Iesus ipse ibi educatus, Nazarenus dictus est? An Nasiraei (hebr. כזיר) secundum alteram lectionem in Centur. Magdeb. Nazaraeorum? h. e. talium, qui votum aliquod susceperunt? An denique Christiani omnino, qui et ipsi a Christo Nazareno Nazaraei (*ναζωραῖοι*, הַכּוֹצְרִים Act. XXIV, 5.) dicebantur?

Quicquid autem horum sumas, inepta est illa descriptio. Si primum praefers: Nazarethanos capillos in medio capitis discriminasse, nova nobis narratur fabula, proprium hoc fuisse Nazarethanis, nec cum aliis, reliquis praesertim Galilaeis, commune. Vnde hoc auditu novum et memoratu parum dignum resciverit Lentulus? Sin alterum sumis, quod quidem plerumque solet, Nasiraeos, qui votum quoddam conceperint, in hac epistola significari, rem aperte falsam continet epistola, nimirum hanc: Iesum Christum fuisse Nasiraeum. Iesum quidem comam aluisse, quod Nasiraei erat (Num. VI. 5.) nec caput rasisse, non est quod vel adfirmemus vel negemus. Certum statui his in rebus nil potest. Hoc modo adfirmare possumus, Christum non capite raso incessisse; calvities enim apud Ebraeos erat contemtui *). Sed nil plane est, quod statuamus, Iesum a communi usu Iudaeorum non alendi comam, sed eam interdum resecandi, nisi quis voto obstrictus fuerit, recessisse et Nasiraeorum more comam aluisse nulla capiti admissa novacula **). At reliquas leges, quibus Nasiraei obligabantur ***), Iesum non observasse histo-

---

*) Vid Io. Iahn biblische Archaeologie, P. II. v. 149.

**) Vid. Franc. Iunii sacr. parallela, l. I. c. 8. p. 41. sq.

***) Vid. Michaelis Mosaisches Recht. P. III. §. 145.

ria evangelica docet. Nam non abstinuit a bibendo vino, qui ipse convivio nuptiali interesset (Ioh. c. II.), nec ab aliis conviviis abhorreret, contra potius diceretur ab hostibus οἰνοποτὴς (Matth. XI, 19. Luc. VII, 34.) Iohanni Baptistae, eique Nasiraeo, ab iisdem oppositus. Nec denique Iesus sibi cavit a mortuorum accessu et contactu; quod luculenter adparet ex iis N. T. locis, ubi mortuos manu contrectasse ac resuscitasse dicitur (Marc. V, 41. Luc. VII, 14.) Itaque Iesus non erat Nasiraeus. Quid quod ipsos Nasiraeos comam in medio capitis discriminasse, quod quidem in epistola Lentuli de Christo narratur, plane non constat; aluerunt modo comam, neque novaculum capiti admoverunt. — Tertiam denique vocabuli potestatem, qua Christiani ipsi illo tempore Nazareni s. Nazaraei, adpellarentur, hoc quidem epistolae loco admittere, absonum foret, quum neque auctor sectae mores sequatur adseclarum, sed hi potius componere se soleant ad mores ducis sui et auctoris, neque omnes primi aevi Christiani dici queant capillos in medio capite discriminasse, cuius quidem rei nullum plane extat documentum. — Restat quidem alius Nazaraeorum significatus, quo nonnulli Saec. I. haeretici Nazaraeorum s. Ebionitarum nomine venerunt; sed serior haec vis vocabuli hoc quidem loco, ubi modo de more Christi comam ad modum Nazaraeorum in medio capitis discriminandi agitur, nullius plane est momenti. Quae quum ita sint, Lentulum suo quidem tempore in hunc modum scribere plane non potuisse, clare satis adparet. — Additur autem in hac episto-

la fusior descriptio faciei Iesu venustae per singulas illius partes facta, quae si vera esset atque a Lentulo, Romano, vere profecta, mirum sane foret, insignem hanc formae Iesu pulcritudinem ita latuisse christianos ipsos, ut alii doctores primorum saeculorum ab hac descriptione prorsus abhorrerent. Tertullianus enim (de carne Christi) nonnisi terrenae originis signa, nec miram carnis terrenae conditionem, quin usque adeo nihil novum s. peregrinum, nihil formae coelestis, vel ipsa novitate miraculo deputandae admisit, ut nec humanae honestatis corpus Christo concesserit, nedum coelestis claritatis; sed ignobilem, quemque unus quisque facile despiceret, adspectum, qui illum Dei filium celaverit, dum verbo tantummodo et factis, doctrina et virtute sola, non forma, homines in stuporem dederit, ipsiusque auditoribus formam despicientibus illam vocem expresserit: Unde huic doctrina et signa ista?" Cui Tertulliani sententiae accessit Rigaltius, in dissertatione de pulcritudine Christi, quae eius adnotationibus ad Cyprianum, (quibus continetur spicilegium observationum ad Tertullianum) p. 236. sqq. adiuncta est. — Neque melius de forma corporis Christi sensit Clemens Alexandrinus, (Paedagog. l. III. c. 1.) „Τὸν Κύριον αὐτὸν, inquit, τὴν ὄψιν αἰσχρὸν γεγονέναι, διὰ Ἡσαΐου τὸ πνεῦμα μαρτυρεῖ (Es. LIII.); et alio loco (Stromat. l. VI.) hoc non sine causa accidisse adfirmat his verbis: Κύριος οὐ μάτην ἠθέλησεν εὐτελεῖ χρήσασθαι σώματος μορφῇ. Atque Origenes (contra Celsum l. VI.) aperte scribit: Ὁμολογουμένως τοίνυν γέγραπται περὶ τοῦ δυσειδὲς γεγονέναι τοῦ Ἰησοῦ

σῶμα. (Scriptum est haud dubie Christi corpus fuisse informe). — Facile quidem fons iniquae horum Patrum de facie Iesu sententiae in illustri illo vaticinio Es. c. LIII. ad Christum relato detegi potest; quare R. Abarbanel pulcritudinem Iesu praedicat, ut vaticinium illud, quod Christiani de eo explicare solebant, ad Iesum spectare eo maiori iure negare queat. At enimvero si Iesus tam mira vultus pulcritudine corporisque specie fuisset, quam in hac epistola describitur, sine dubio huius rei fama ita inter Christianos sequioris aevi percrebuisset, ut praesertim doctores familiae Christianae turpem adeo ac deformem Iesu adfingere faciem quammaxime dubitassent. Quare falluntur admodum, qui, pictorum inprimis ingenio suo indulgentium artificiosis Iesu Christi imaginibus decepti, venustissimam faciei Iesu effigiem animo concipiunt. Raro autem coniuncta est cum ingenii praestantia et acritate singularis faciei pulcritudo formaeque humanae, quae sensus maxime adficiat, venustas. Vigor ingenii propria gaudet vultus sive serenitate et liberalitate, sive severitate et gravitate. Quare non accedere possumus sententiae eorum, qui Patrum praecipue auctoritate nixi, velut Rigaltius (ad Tertullianum), et Salmasius *), Christi faciem indecoram ac deformem fuisse adseruerunt; neque eorum, qui summa formae pulchritudine

*) Vid. Thom. Bartholini hypomnemata de cruce Christi (Hafn. 1651.) in praef.

Christum nituisse, inprimis ex Ps. XLV, quem male ad Christum referrent, sibi persuaserunt, veluti, praeter Niçephorum supra excitatum, Io. Fechtius in dissert. de forma faciei Christi, dum in his terris viveret *), Aug. Calmet in diss. de forma Iesu Christi (Prolegom. et dissertatt. in S. S. latine a Mansio vers. Lucc. 1729. fol. T. 1. p. 543. sqq.) aliique **). Sed placet potius sententia Francisci Vavassoris, qui in libro de forma Christi, dum viveret in terris, (Paris. 1649. 8.) ***) media via incedit iudicans, Christum, quum in his terris versaretur, nec ullo modo deformem, nec tamen longe prae caeteris hominibus formosum fuisse ****) — Itaque nullius plane fidei est illa formae Christi descriptio in epistola Lentuli, ex cerebro potius inepti alicuius mona-

---

*) Vid. Io. Fechtii noctes christianas (Durlaci, 1677. 8). Exercit. X. p. 359 — 887. Vavassori oppositam.

**) Quorum nomina libellosque vide in I. G. Walchii histor. ecclesiast. N. T. (Ien. 1734. 4.) p. 166. et in eiusdem biblioth. theol. selecta, T. III. Ien. 1762. p. 439. sq.

***) Recusa prodiit haec commentatio Vavassoris observationibus Ios. Arndtii aucta Rostoch. a 1666. 8. et repetita extat in Franc. Vavassoris operibus, Amsterd a. 1710.

****) Eandem sententiam expressit Lutherus (Opp. T. VI. ed. Altenb.) his verbis: „Das ist wohl möglich, dafs einer am Leibe wohl so schön gewesen ist, als Christus. Auch sind viel-

chi sine dubio enata *). Quamobrem frustra Ianus Huartus, medicus ille Hispanus clarissimus, in libro notissimo de scrutinio ingeniorum **) ex hac Pseudo-Lentulana imagine Christi quatuor hominis bene constituti signa deducere et comprobare allaboravit ***). Falsum igitur maximam quidem partem et confi-

---

leicht wohl Andre schöner gewest, als Christus. Denn wir lesen nicht, daſs sich die Iüden fast über des Herrn Schönheit verwundert haben." —

*) Quare miror, Io. Adolph. Iacobi, Virum venerandum, in libro: Die Geschichte Iesu für denkende und gemüthvolle Leser, (Goth. 1816. 8.) ad describendam formam Iesu fidem fictae huic epistolae habuisse, atque non modo eam in linguam vernaculam vertisse (p. 95.), verum etiam in fronte libri effigiem Iesu ad illam ementitam descriptionem accurate delineari curasse. Differt tamen illa effigies Iesu Iacobiano libello praefixa, si frontem, nasum et labia spectes, a picta imagine Iesu, eademque ad epistolam Lentuli facta et in tegumento pretiosi libri manuscripti in bibliotheca Ienensi adservata.

**) Primum prodiit hic liber hispanice ita inscripttus: Examen de Ingenios para las Sciencias, Madrid. 1566. 8. in plures linguas translatus, et in vernaculam quidem a Lessingio, 1752 et 1785.

***) Vid. Reiskium de imaginibus Iesu Christi (p. 162. sq.) saepius laudatum, quem ipsum adeat,

ctum est ipsum argumentum huius epistolae Lentuli.

Nec denique genus scribendi aptum est illi tempori, quo scripta perhibetur epistola. Lentuli enim floruerunt florente ipsa linguae latinae aetate. At tota narratio hac in epistola Lentulo adscripta de Christo eiusque habitu ac moribus instituta scatet soloecismis, barbarismis crassisque loquutionibus. Itane Lentulus, quicunque ille fuerit, gentis suae ac aetatis gloriam in dicendo prorsus neglexit? Potuitne sui temporis adeo immemor genus dicendi sequi a puritate sermonis latini plane alienum, et vocabulis uti post sua tempora demum excusis? — Nisi taedium lectori crearetur, posset, recte monente Reiskio (l. c.), Camarina moveri, ac tota epistola de verbo ad verbum castigari atque notatis vitiis grammaticis acriter perstringi. Sufficiat lectorem ablegare ad formulas dicendi christianis proprias et ex hebraismo in N. T. libris obvio profectas, quae a latinae linguae ingenio prorsus abhorrent. Huc pertinent formulae sub initium epistolae: propheta veritatis (προφήτης τῆς ἀληθείας) et filius Dei (υἱὸς τοῦ θεοῦ); atque sub finem: filii hominum (υἱοὶ ἀνθρώπων). Eiusmodi loquutionibus, quas consuetudo Romana prorsus repudiat, monachus quidem christianus le-

---

qui plura de variis his imaginibus Iesu resciscere cupiat.

ctioni versionis N. T. latinae vulgatae aut Patrum latinorum adsuetus uti poterat, at scriptor Romanus, illo praesertim tempore, nullo modo. —

Quae quum ita sint, firma nunc stat sententia certissimis luculentissimisque argumentis comprobata, epistolam Lentulo adscriptam, quacunque ex parte eam spectes, fictam esse et supposititiam. — Restat modo quaestio de vera huius epistolae origine, quonam tempore sit conficta, et a quonam auctore profecta? Qua in re quum certis idoneisque plane destituti simus testimoniis, soli coniecturae locus est. Hoc modo certum est, quod supra vidimus, ante Anselmum Cantuariensem, h. e. ante Saec. XII. nullum extare huius epistolae vestigium. Sed in ipsis Opusculis Anselmi eam scimus non inesse separatam, nec sub nomine Lentuli; neque denique duo illi tractatus Anselmi esse videntur. Quare haec epistola Saec. XII — XIV. demum ab ignaro aliquo atque male sedulo monacho consarcinata esse videtur. — Addere igitur lubet sub finem huius scriptionis meam qualemcunque de ortu huius epistolae sententiam. — Quamquam antiquissimi nonnulli doctores christiani, v. c. Tertullianus, (de idololatr.) Clemens Alexandrinus (in Protreptico) et Origenes (l. IV. contra Celsum) artem pictoriam, statuariam atque εἰκονοποιητικὴν damnarunt atque tamquam legibus divinis in libris Mosaicis contentis plane adversantem e republica christiana proscriptam voluerunt, extitere tamen ipso

Eusebii tempore ex inveterato gentilium more *) etiam inter Christianos plures Christi, Pauli, Petri, aliorumque sanctorum virorum imagines sive fama, sive vi imaginandi duce, tam pictae, quam sculptae, teste Eusebio (Hist. eccles. L. VII. c. 18.). Quare haud mirum est, ad hasce imagines factas etiam fuisse varias descriptiones formae, vultus habitusque Christi, non per omnia sibi similes; unde et descriptiones Christi in epistola Lentuli et apud Nicephorum a se invicem in nonnullis discrepant. Eiusmodi descriptione Iesu Christi ad pictam aliquam imaginem facta, additis virtutibus Iesu e narratione Evangelistarum cognitis usus est, mea quidem sententia, autor illius tractatus, qui in opusculis Anselmi continetur: Forma et mores beatae Mariae et eius unici filii Iesu, atque cum narratione fabulosa forma externaque specie Ma-

*) Neque est, quod cum Epiphanio aliisque propterea Gnosticis, praesertim Carpocratianis, invidiam creemus. Non enim erat iis singulare, quod habuerunt, auctore Irenaeo (adversus haereses, c. XXIV.), imagines quasdam Christi depictas, quasdam ex alia materia fabricatas. Mos erat illorum temporum, imagines virorum clarissimorum iuxta se ponere iisque in sancto aliquo loco reverentiam praestare. —

riae matris (quae eum anno aetatis decimo quinto pepererit), eiusque moribus vere monasticis coniunxit. Nec repugnabo, si quis titulo tractatus: Ex gestis Anselmi colliguntur forma et mores b. Mariae etc., adductus sibi persuadeat, hunc tractatum, qui imaginem Iesu eiusque matris describat, ex variis iisque dispersis sententiis Anselmi ab alio viro nobis ignoto post haec fuisse compositum. Alius autem, quisquis ille fuerit, et quo demum cunque tempore vixerit (vixisse autem eum Saec. XII — XIV. ex iis, quae hactenus dicta sunt, statuamus, necesse est) mihi quidem videtur descriptionem Iesu Christi, quae altera tractatus parte continetur, a prosopographia Mariae matris avulsisse atque (nescio quo infausto ac temerario ausu abreptus), quo lectores specie summae antiquitatis deciperet, Lentulo cuidam Romano, ceu fide digno rerum a Christo gestarum testi, inscripsisse. Quae quidem impia fraus quam male impostori rudi ac ignaro cesserit, ex iis, quae hactenus de ista epistola Pseudo-Lentuli copiose exposuimus, satis luculenter adparet. Haec mihi quidem facillima videtur obscuram epistolae originem collustrandi ratio. — An vero subscriptio Ms. Ien. 2. mihi quidem obscura quae ita habet: „Explicit epistola „dc Columpna anno Domini MCCCCXXI. re„perta in annalibus Romae, in libro antiquis„simo in capitolio doctissimo Domino Patriar„chae Constantinopolitano," clariorem forte origini huius epistolae lucem adfundat, viderint alii. — Tantum ad examinandam αὐθεντίαν epistololae Pseudo-Lentulanae hodie adeo

celebratae, illustrandamque illius historiam ac indolem!

P. P. ipso Pentecostes die
MDCCCXIX.

Particula II.

In examinanda authentia epistolae Lentuli de Iesu Christo quum ad finem decurrisset commentatio in programmate pentecostali cIↃIↃCCCXIX exhibita, in tantam iam scriptio excreverat molem, quae modum talium festarum prolusionum longe excederet, ut novam, quam sub finem commentationis instituere animus erat, inquisitionem in verum sensum singularis plane et obscurae subscriptionis epistolae Lentuli in MS. Jenensi secundo plane mitterem atque aliorum acriori ingenio relinquerem. Verum enimvero quum viri docti, qui, quod grata mente profiteor, leniter admodum atque benigne de ista commentatione in ephemeridibus literariis, quae mihi quidem innotuere, iudicarunt, in summa rei modo subsisterent atque quaestionem illam de sensu subscriptionis MS. Jen. secundi silentio plane praeterirent; ego vero interea tum opportunitatem nactus plura huius epistolae Lentuli exempla conferendi, atque

ampliorem huius rei notitiam literariam mihi comparandi, tum ingeniosis admodum Ven. Baumgarten - Crusii de subscriptionis in MS. Ien. 2. sensu observationibus amice mecum communicatis admonitus, accuratius in veram huius subscriptionis lectionem et interpretationem inquirerem: mecum constitui, data hac scribendi occasione non modo nonnullos errores in colligendis var. lect. in priori programmate commissos emendare atque nova reperta addere; verum etiam meas qualescunque coniecturas in obscuram illam ac plane singularem subscriptionem MS. Ien. 2. doctorum virorum subiicere arbitrio. —

Primum equidem velim in notis ad textum ex Orthodoxographis desumtum (in programmate supra excitato) etsi pauca et levia, sive emendari sive addi, quae ad textum MS.Ien. 2. rectius praesentandum pertinent. pag. 637. not. d. — In fine lege post: mediocris, et (sc. spectabilis, quod in textu sequitur.) pag. 637. not. f. post verba: „Cum hoc textu MS. Ien. 1. consonat tam MS. Ien. 2. quam MS. Vatic. adde haec: In eo modo differt MS. Ien. 2. a MS. 1., quod nucis habet ante coloris, et maturae loco praematurae, et post planos inserit: fere, uti post verba: „ab auribus vero," legit: infra. — Deinde pag. 638. n. initio post MS. Ien. 1. lege: et 2; et not. o in fine lineae primae post glaucis, adde: *et;* atque loco: et claris, MS. Ien. 2. habet: clarisque.

Denique errore (nescio quo) vel fugientis calami vel typorum, excidit tam, pag. 640. z. quam pag. 674. ante: de Columpna, praenomen: Iaco-

bil, quod supplendum est, quippe quod non modo in ipso MS. Ien. 2. sed et apud Mylium (in Memorabil. biblioth. Ienensis p. 347.) expresse legitur. — Porro conferre etiam mihi contigit duo alia exempla epistolae Leutuli, non quidem manuscripta, sed typis excusa. Alterum extat in Bartholomaei Cassanaei *) catalogo gloriae mundi (P. IV. ed. 2. Francof. 1579. fol. 104. b,) **), cuius textus maxime respondet MS. Ien. primo, nisi quod loco: propheta veritatis (in qua lectiones omnes reliqui testes consentiunt (errore, ni fallor, calami habet: propheta virtutis; atque cum textu in Centur. Magdeb. et Orthodoxograph. contra reliquos testes legit: staturae procerae, non: statura procerus; porro τὸ facile, ante diligere, quod MS. Ien. 1. solum habet, cum reliquis testibus omittit, atque cincinnos, non circinos (quod reliqui habent), legit, aeque ac Nazaraeorum, cum Centur. Magdeb., contra caeteros. — Denique habet cum MS, Ien. 2. frontem plenam, pro lectione MS. Ien. 1. (cum reliquis): frontem planam.

---

*) Plerumque dicitur Chassanaeus, et quidem rectius, nam ab ipso bibliopola Moeno Francofurtano in nova praefatione editioni secundae, eique emendatae praemissa auctor Chassanaeus scribitur. Videtur igitur in titulo libri litera h in nomine auctoris ex incuria typothetae excidisse. Hic Chassanaeus erat vir iurium consultissimus et praeses curiae apud Aquas Sextias Sec. XVI.

**) Ex ed. alia, forte prima, Ven. 1571. in aliis libris citatur p. 98. Plures enim aliae editiones post Francofurtanam prodierunt, Genev. et Colon.

— Alterum epistolae exemplum reperi in Fratris Laziardi (monachi Coelestini) epitome universalis historiae (Paris 1521. fol.) c. XII. Quod quum fere per omnia concordet cum exemplo apud Chassanaeum et in tribus modo lectionibus leviter differat *): vero admodum simile mihi videtur, illam epistolam apud Chassanaeum descriptam fuisse ex hac Laziardi epitome, quinquaginta fere annis antiquiori illo Chassanaei catalogo. — Quare equidem MS. Ien. 1., quod cum plurimis iisque antiquissimis testibus consentit, nunc illi apographo in Orthodoxographis expresso praetulerim. — Praeterea didici ex I. Alb. Fabricii bibliotheca graeca, P. XII. p. 517. (ed. Hamb. 1724.), Goldasto fuisse apographum huius epistolae Lentuli, in quo legeretur: „homo quidem statura proeerus," cum addidamento (quod in exemplis a me collatis non reperitur) hoc: *scilicet XV palmorum et medii.* — Cum hac staturae I. C. mensura comparat Goldastus *Nicephori Callisti* prosopographiam Christi ex Langii versione latina **), quae sic habet: „Egregio is vividoque vultu fuit. Corporis statura ad palmos prorsus septem etc." Unde,

*) 1) Laziard. habet temporibus istis; Chassan: istis temporibus. 2) Laziard. Iesus Christus; Chassan. Christus Iesus. 3) Laziard. habet: frontem planam; Chassan. autem: frontem plenam.

**) Hanc prosopographiam Christi integram tam e textu graeco, quam e versione latina videsis in commentatione in epistolam Lentuli, ubi au-

quum hae mensurae discrepent, addit Goldastus: Per palmos, credo, pedes intelligit, aut in numero mendum est: quod ut suspicer, facit epistola fictitii Lentuli — — — Alter itaque ex altero emendandus, et quidem ille ex isto, reponendaque nota, quae interiit etc. — Sed fallitur Goldastus ita opinando, et salva res est, modo distinguamus palmos maiores et minores. Palmus maior est dodrans pedis, qui accurate respondet τ. σπιθαμῇ in textu graeco Nicephori, docente Plinio in Hist. Natur. L. VII. c. 2. (med. de Pygmaeis trispithamis) Palmus minor est quatuor digitorum, adeoque tertia pars palmi maioris. Itaque si in Nicephori prosopographia Christi intelligas palmos maiores, atque in apographo epist. Lentuli Goldastiano palmos minores, non tanta remanet mensurae differentia, etsi secundum utramque mensuram staturae Christi non tanta fuerit proceritas, qualis tamen in utroque loco laudatur.

Haec habui, quae collatis inter se variis epistolae Lentuli apographis priori commentationi adderem. Sed restant adhuc alia fictitiae huius epistolae exempla, quae inspicere mihi non contigit, quorumque igitur varietatem, si qua adsit, aliis relinquo significandam. Teste enim I. A. Fabricio (in biblioth. graeca ed.

---

tem Langii versio latina ex editione Ducaei emendata exhibita est; quare aliquantulum differt h. l. a versione latina Langii a Goldasto allegata.

Hamb, T. XIII. p. 477.) epistola Lentuli continetur etiam in Nicol. Glaseri (Thuringi) Apocryphis, Hamb, 1614. 8. (p. 64.) sub tit. Epistola Lentuli ad Tiberium; quae quidem inscriptio plerisque epistolae exemplis a me collatis abludens concinit cum solo apographo in Centur. Magdeb. — Deinde legitur haec epistola, teste eodem I. A. Fabricio in Codicis apocryphi N. T. P. III. (p. 487.) in Io. Buxtorfii, pronepotis, catalectis philologico-theologicis, Basil. 1707. in 8. editis, observatione ducentesima, p. 242. Denique extare dicitur una cum epistolis Abgaro tributis et Pilato in Henric. Hulsii libr. de praerogativis Israelitarum p. 488. (vid. I. A. Fabricii biblioth. latin. mediae et infimae latinitatis (Hamb. 1735. 8.) Vol. IV. p. 748. — Prodiit et ipsa, eodem teste Fabricio, l. c. Norimb. 1512. et Venetiis, 1522 *).

Quibus ad emendandam et supplendam commentationem de epistola Lentuli praemis-

*) Hac occasione haud abs re fuerit, mirum notare errorem a Ioechero (in Gelehrt. Lexic. P. 2.) sub voc. Lentulus, commissum. „Lentulus, ait, ein Geistlicher im ersten Seculo, wird vor den Verfertiger der epistolae ad Senatum Populumque Romanum de adscensione B. V. ausgegeben, welche aber untergeschoben ist." — Atque hoc dignitatis nomen Lentuli: „ein Geistlicher im ersten Iahrhundert," idem repetitur in Tomo tertio Rotermundiae continuationis Lexici Ioecheriani. — Quomodo haec scribi potuerint, et unde haec

sis nunc progredior ad enucleandam obscuram illam et singularem subscriptionem MS. Ien. 2. sub finem istius programmatis ex Mylii memorabilibus bibliothecae Ienensis a me repetitam quidem sed non explicatam; aliorum potius arbitrio relictam. Equidem is non sum, qui rem acu nunc tetigisse mihi sumam, omnesque, quae locum tegunt, dispulisse tenebras; sed lucis tamen aliquid mea qualicunque opinione subscriptioni loci perobscurae accessurum spero. — Ante omnia autem vera loci lectio primum est constituenda; nam textus, quem Mylio nimium confisus sub finem programmatis exhibui, verbis MS. Ien. 2. non accurate respondet. Mylius enim (in Memo-

hauserit Ioecherus, equidem me nescire fateor. 1) Lentulo modo adscribitur epistola de Christo, non autem de adscensione Mariae, B. V. Atque hic Lentulus dicitur Praeses, Proconsul, Officialis, nusquam autem, quantum equidem scio, Clericus; neque Io. Andr. Schmidius, vir antiquitatis christianae et rei literariae peritissimus, in septima prolusione Mariana, qua omnes ac singulos libros ac libellos, qui de assumtione Mariae agunt, curiose recenset (vid. I. A. Schmidii prolusiones Marianas Helmstad. 1712. 4) ullam mentionem facit Lentuli epistolae de adscensione Mariae, B. V. — 2) Deinde de adscensione Mariae nemo in antiqua ecclesia christiana cogitavit: sed Graeci modo loquebantur de dormitione (κοιμήσει) Mariae, et Latini de assumtione Mariae, neque id quidem ante Saeculum sextum; id quod docte et copiose evicit I. A. Schmidius in illa prolusione Mariana septima. —

rab. biblioth. Ien. p. 347. subscriptionem illam MS. Ien. 2. ita expressit: „Explicit epistola „Iacobi de Columpna, anno Domini 1421. re„perta in annalibus rome, in libro antiquissi„mo in Capitolio, doct. domino Patriarchae „Constantinopolitano.“ Ego vero, qui his verbis, quae Mylius ex codice illo exsculpserat, nullum plane sensum inesse probe intelligerem, admonitus praesertim amicis literis Baumgarten-Crusii, V. S. R., qui ipse lecto illo meo de epistola Lentuli libello, codicem hunc manu scriptum contulerat, decrevi hanc subscriptionem in hoc ipso codice accuratius inspicere, atque observatis maxime literarum ductibus librario familiaribus, atque comparatis, quibus adsueverat, compendiis scribendi et verborum contractionibus, cum ingeniosis Collegae Venerandi coniecturis conferre atque singula pro viribus ponderare. Quo facto plura aliter legenda esse, ac Mylius legisset, mihi firmiter persuasi; id quod sigillatim nunc exponendum est. — Quod primo attinet ad lectionem: reperta (in verbis: explicit epistola — MCCCCXXI. reperta): vera quidem est in titulo: epistola reperta in annalibus etc.; sed falsa est in subscriptione nunc explicanda. Neque vero hoc verbum legendum mihi videtur repetita, vel reposita, quod quidem coniecit venerandus Collega; nam compendium scribendi, si lin. 1 et 2. MSti conferas, manifeste significat per vel par. Verbum potius, quod Mylius legit: reperta, legendum est: reperit, atque coniungendum cum primo vocabulo sequentis lineae: eam (reperit eam). Atque haec epistola videtur propterea epistola

Iacobi de Columpna vocari, quod eam reperit in annalibus Romae. Aliter quidem et ingeniosius coniici posse, de quo postea, lubens concedo. — Deinde compendium scribendi, quod ante verba: „libro antiquissimo" extat, legendum quidem est: in, cum Mylio (non e s. ex, uti, si figuram solam spectes, coniici posset), nam idem plane est, quod in epistola ipsa conspicitur ante voc. medio (in medio capite); sed erravit Mylius in fine subscriptionis legens: Constantinopolitano, ubi manifeste, si similes figuras finales in loco MSto conferas, legendum est: Constantinopolitani. — Summa autem difficultas est in recte efferendis verbis contractis, quae Mylius legenda esse putavit: doctissimo domino. Ita quidem has scribendi formas legi ac intelligi posse, Mylio concedi debet; nam forma verborum haec oculis subiicitur: dct dno. Sed et alium his compendiis scribendi significatum subiicere licet. Nam litera c in voc. dct ex consuetudine huius MSti significare etiam potest literam e, non solum c; deinde formula dno plerumque quidem singnificat domino; verum etiam voc. dono hoc compendio exprimi poterat. Quare ven. Baumgarten-Crusius formulam dct dno legi vult: ex dono; in qua lectione equidem Viro S. V. adsentiri velim, hac tamen lege, ut non ipsa formula dct in MSto obvia ex mente scribentis ita legenda esse dicatur, nam pro vocabulo ex, saepius in epistola Lentuli redeunte, alia prorsus in hoc MSto formula scribendi usurpatur; sed hoc scribendi compendium (dct.) aut ex errore calami, aut e vitio transscribentis hanc subscriptionem ex

alio exemplari, hoc quidem loco male intellecto, derivandum mihi esse videtur. Quamobrem non ex certa lectione ipsius MSti, sed per solam, etsi probabilem, coniecturam formula dct dno transferenda videtur in hanc lectionem: ex dono. Legi etiam posset haec formula: dicit, aut dedit; sed non apte ad contextum. Nam lectio dicit plane non quadrat; atque si lectionem dedit praeferas, equidem plane non intelligo, quo iure Iacobus de Columpna epistolam in annalibus Romae in Capitolio repertam Patriarchae Constantinopolitano dono dare potuerit. — Itaque mea quidem sententia subscriptio illa MSti Ien. 2. obscura ac dubia legendo ita est constituenda: „Explicit epistola Iacobi de Columpna anno domini MCCCCXXI. reperit eam in annalibus „Romae, in libro antiquissimo in capitolio ex „dono Patriarchae Constantinopolitani.“ — Aliorum est aliter iudicare; mea enim qualicunque coniectura atque allatis causis lectionis a me magis probatae iuvare tantum volui aliorum iudicia.

Caput rei autem in eo maxime versatur, ut res ipsa in hac subscriptione enarrata magis illustretur. Quicquid igitur lucis vel mea ipsius opera vel S. V. Baumgarten-Crusii sagacitate adiutus obscurae huic subscriptioni adferre valeam, id benigne, rogo, nunc accipiant lectores. — Iacobus de Columna s. Colonna, de quo h. l. agitur, quis fuerit et quo loco constitutus quanquam non constat, ad antiquissimam tamen et nobilissimam gentem Romanam referendus esse videtur. Iam saeculo p. C. N.

septimo vixit Otto Colonna; atque ex hac gente prodierunt viri perquam illustres, duces, episcopi, purpurati, immo Pontifex Romanus, Martinus V., antea Otto de Colonna dictus, qui A. C. MCCCCXVII. Papa creatus eodem tempore vixit, quo noster Iacobus de Colonna, probabiliter cognatus Pontificis, quum aditus ipsi pateret ad tabularia Romana *).

Ex hac ipsa gente Colonna scriptis etiam inclaruerunt perplures, quos recensuit Ioecher (in Lexic. Erudit. Vol. I.): Aegidius, Antonius, Augustus Franciscus, Guido, Iacobus, Ioannes (quin duo eiusdem nominis eodem saeculo XIII. floruerunt, qui libros conscriberent), Ioannes Baptista, Landulphus, quem alii adpellant Randulphum, Marcus Antonius, Martinus, Odo, Petrus; qui vixere omnes a Saec. XIII. inde usque ad Saec. XVII. Extiterunt etiam plures Iacobi de Colonna ab aliis laudati, sed a nostro Iacobo de Colonna, qui Saec. XV. vixit, valde diversi, v. c. Iacobus de Colonna, qui Purpuratus erat, Saec. XIII. atque monachus Dominicanus eiusdem nominis Saec. XIV., auctor Chronici; de nostro autem Iacobo de Colonna, cuius in illa Msti Ien. 2. subscriptione fit mentio, alia nulla mihi adparuit vola nec vestigium. —

Capitolium, quod in subscriptione comme-

---

*) Celeberrimos viros ex hac gente oriundos cognoscere licet ex Lexico catholico Zeidleriano. Vol. VI. p. 728 sqq.

moratur, Romanum intelligi, contextus verborum docet; nam et aliarum urbium magnifica templa arcesque capitolii nomen accepisse, notum est. Nec tamen silentio prorsus mihi premendum videtur, quod Io. Andr. Schmidius in Lexico ecclesiastico monuit, provocans ad Honorium Augustoduensem (qui circa annum MCCC vixit) in gemma animae; de divinis officiis (quae Lips. 1514. 4. prodiit, postea saepius recusa): „capitolium medio aevo etiam dici pro capitulo seu loco, in quo congregati fuissent Canonici vel Monachi, de re et disciplina canonica et monastica acturi." —

De fide autem huius subscriptionis ut meam qualemcunque opinionem exponam, eam haud diffiteor valde suspectam mihi videri. Nam haec epistola, quum latinam magis quam Graecam originem satis prodat, in occidentalibus potius quam in orientalibus terris ab ignaro homine quodam sive monacho sive alio consarcinata videtur, et quidem in Italia maxime, ac, quod ex ipsa hac subscriptione suspicari licet, in ipsa sede Pontificis Romani, saeculo quidem XV., (in qua definienda temporis ratione lubenter nunc accedo sententiae S. V. Censoris programmatis de epistola Lentuli in Ephemerid. literar. Gottingens. A. 1820. N. 132.) *). Si hoc mihi concedis,

---

**) Verba viri venerabilis, cuius quidem suffragium in his rebus plurimum apud me valet, haec

aut ante Iacobum de Columna iam repositum erat in Capitolio apographum huius epistolae Lentuli cum ficto indicio doni Patriarchae Constantinop., aut tota haec subscriptio est commentum ipsius Iocobi de Columna, non autem ipsa epistola Lentuli; alias enim omnia epistolae Lentuli apographa hac instructa essent subscriptione, quod secus se habere constat. — Sin autem verum narrare putas hanc subscriptionem, Latinum aliquem (forte sub imperio latino Constantinopolitano) sumere debes vel ipsum hanc epistolam effinxisse, vel e grae-

---

sunt: „Irgend ein Mönch, der auch etwas von profaner Gelehrsamkeit zeigen wollte, brachte ihn (sc. den Aufsatz in Anselmi opusculis: de forma et moribus beatae Mariae et eius unici filii Iesu) dann nur in die Form eines Briefs, und setzte ihm den Namen von Lentulus vor, der ihm vielleicht, so weit seine Kenntnifs der Römischen Geschichte reichte, am häufigsten vorgekommen, oder durch irgend etwas besonders merkwürdig geworden war. Nur möchte Rec. eben defswegen den Fabricanten lieber im funfzehnten Jahrhundert als in einer frühern Zeit suchen, denn im funfzehnten Jahrhundert konnte sich wohl auch ein Mönch wieder zu so etwas versucht fühlen; und zugleich fing sich jetzt ein gelehrter Sammlungsgeist zu regen an, der wohl zuerst mit dem sehr vielen Trefflichen, dessen Erhaltung wir ihm zu verdanken haben, auch Raritäten dieser Art nur allzugern aufnahm. Daher fand sich auch der Brief in dem Manuscripten - Schatz so mancher Bibliotheken etc. —

cis latine transtulisse; Patriarcham autem Constantinopolitanum hanc epistolam latinam Pontifici Romano, cuius favorem, illo praesertim tempore Graecis infesto et calamitoso, sibi conciliare studuerit, dono misisse, quam deinde detexisset Iocobus de Columna. Quo sumto haec epistola Lentuli non ex Anselmi opusculis, quae mea est sententia, esset desumta, sed inversa potius in opuscula illa recepta atque cum laudibus Mariae, B. V. coniuncta. Quo minus autem huic opinioni accedam, plura sunt, quae me impediant. Primum e Constantinopoli graeca exspectantur, non latina; Graeca exemplaria transferebantur Constantinopoli Romam, sed non Latina, inverse potius Roma transferebantur Latina Constantinopolin. Atque si latina haec epistola Lentuli e graeco aliquo exemplari translata fuisset, archetypum graecum sane misisset Patriarcha Constantinopolitanus, non versionem latinam. Caeterum latine scribendum erat Lentulo, si scripserat, ad Senatum Romanum, non graece; atque haec epistola latina servanda erat in annalibus Romanis, neque igitur dono mitti poterat a Patriarcha Constantinopolitano. Quamobrem neque impostor, nisi stupidus, haec neglecturus fuisset. — Denique duo, eaque certa, huic subscriptioni insunt fraudis indicia: alterum, quod reperta dicitur haec epistola Lentuli in antiquissimo libro, quum manifeste sit, quod in programmate abunde docui, recens commentum; alterum, quod deest nomen Patriarchae Constantinopolitani, quo carere eo minus poterat donum tanti habitum, ut Constantinopoli Romam mitteretur, quum in om-

nibus huius generis monimentis addi soleret et nomen patriarchae, vel episcopi, et tempus missionis ac donationis. — Quare priori sententiae mihi inhaerendum est, utrumque, epistolam Lentuli ipsam et hanc subscriptionem in Msto Ien. 2. obviam, recens esse figmentum Sec. XV., quod, simulac cognoverat, Laurentius Valla (natus A. MCCCCXVII.) pro commento declaravit. — Tantum de obscura illa et suspecta subscriptione epistolae in Msto Ien. 2. Meliora doceant alii. —

Ingeniosas autem observationes vener. Baumgarten - Crusii in hanc subscriptionem mecum amice communicatas ne quis putet mihi me soli meisque usibus servare velle aliisque quasi praeripere, exposita nunc mea qualicunque sententia coronidis loco integram cogitatorum Viri summe reverendi seriem ipsis Auctoris verbis exprimendo operae me pretium facturum existimo. Subscriptionem ita vertit: „Hier schliesst der Brief des Iacob Colonna, „der im Iahre 1421 eingetragen worden ist — „oder sich vorgefunden hat *) — in den Römischen Annalen, aus **) einem alten Bu-

*) Ven. Auctor legit: reposita, aut reperta, quod Mylius habet, ubi equidem: Reperit eam, legendum esse existimo.

**) Ven. Auctor legit: ex antiquissimo libro, quod equidem cum Mylio legerim: in antiqu. libro.

„ehe auf dem Capitol. geschenkt *) vom „Patriarchen von Constantinopel." — Tum pergit vir S. R. — Allein so hat die Stelle noch keinen rechten und verständlichen Sinn. Dagegen indessen könnte man nichts haben, dafs die Unterschrift einen Brief nennte, den der Codex nicht hat **), denn 1) ist vor dem Briefe des Lentulus ein leerer Platz, in welchem der Schreiber den des Colonna (der den des Lentulus in sich gefafst haben würde) vielleicht hätte eintragen wollen; 2) ist es nicht ungewöhnlich bey alten Codd., dafs zu Fragmenten gröfserer Schriften doch Titel oder Unterschrift des Ganzen zugesetzt werden. Diese dienten selbst als Nachweisungen, woher die Stelle genommen wäre. Das MS. 2. ist obendrein am Ende offenbar Collectaneenbuch. — Die Worte aber, ex libro antiqu. etc. müssen auf den Brief des Lentulus, nicht den des Colonna, gehen. Entweder ist also Iacobi de Colonna zu lesen, oder im Codex verschrieben für ab Iac. de Colonna; oder die Stelle der Worte, Iacobi de Colonna ist verrückt, aus Nachlässigkeit des Schreibers, oder weil er nur seinen Gewährsmann sogleich nen-

*) Legit nimirum Auctor, ubi Mylius: doctissimo domino legerat: „ex dono;" quae quidem lectio facillimum sensum praebet, quare et ipse hanc lectionem praefero; de quo vide supra.

**) Supra conieci, epistolam Lentuli h. l. nomi-

nen wollte, ehe er den Namen vergafs, und diese Worte zu lesen nach annalibus Romae. „Das ist der Brief, den Iac. Col. 1421 „in die Römischen Annalen eingetragen hat, „aus einem uralten Buche, das der Constanti-„nopolitanische Patriarch dem Römischen ge-„schenkt hatte."

Diese Uebersetzung verschafft uns eine Angabe über den Brief des Lentulus, welche die allernatürlichste ist. Aus Constantinopel ist er mit andern heiligen Schriften nach Rom geschickt worden; dort vielleicht vor älterer Zeit gemacht, oder, wie andres Aehnliche, aus dem tiefern Asien nach Europa gekommen. Das Geschenk mag zu Anfange des 15. Iahrhunderts nach Rom gekommen seyn. Von den Bemühungen der Griechen um die Römische Gunst in jener Periode zeugen besonders die in Martin. Crusii Turco-Graecia gesammelten Schriften. — Hactenus S. V. Baumgarten-Crusius. — Penes alios iam iudicium esto: habent saltem lectores, si varias has subscriptionem MS. Ien. 2. explicandi rationes inter se comparent, quo ingenii vires satis exerceant. At vero quo demum cunque modo de hisce periculis criticis arbitrentur viri docti, insignem tamen ingenii vim atque sa-

---

nari epistolam Iac. de Colonna, quoniam hic illam epistolam in annalibus Rom. reperisse dicatur.

gacitatem cum mira, licet non immoderata, coniectandi audacia coniunctam Viro venerando non facile negaverint. — Ego vero lectori benevolo acclamaverim:

— — Si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti, si non, his utere mecum.

P. P. ipso Pentecostes die
MDCCCXXII.

XIV.

De tenuibus initiis, vera natura et indole doctrinae evangelicae per Lutherum instauratae, variisque illius ad nostra usque tempora vicissitudinibus atque multiplici usu ex hac Doctrinae Evangelicae indole ac historia capiendo.

O r a t i o

quam
in Memoriam Saecularem
instauratae ante hos trecentos annos
per
M a r t i n u m L u t h e r u m
doctrinae evangelicae
auctoritate
Ordinis Theologorum Ienensis
d. III. m. Novembr. A. C. cIↄIↄcccxvii.
In Templo Academico
recitavit
Ioannes Philippus Gabler,
Theologiae Doctor et Professor Primarius.

I e n a e.

Quod Deus Ter Optimus Maximus felix, faustum, fortunatumque esse iubeat!

Prorector Academiae Magnifice,

Patres Academiae Venerandi,

Auditores omnium Ordinum suo quisque loco Spectatissimi, Ornatissimi Cives Academiae Carissimi.

Concelebravimus per festos hos dies coniunctis gaudiis et votis piam sacrorum emendatorum memoriam saecularem, quam omnium omnino civium animos sensusque saluberrime affecisse speramus atque confidimus. Liceat igitur hodierno die nostro etiam Theologorum Ordini, doctrinae evangelicae addicto, cuius quam maxime interest, puriorem doctrinam christianam firmiter tenere, fortiter tueri, b. Martini Lutheri, Viri immortalis, acerrimi libertatis christianae vindicis, ac strenui sanioris doctrinae evangelicae statoris, laetam memoriam pie sancteque recolere, atque ecclesiam nostram evangelicam votis prosequi ardentissimis.

Etenim Martinum Lutherum, beatissimae memoriae, Virum fuisse divino praeditum ingenio, acri mentis perspicacia insignem, fervido veri ac boni studio vehementer percitum, veritatis divinae semel agnitae tenacissimum ac imperterritum praeconem, fortissima animi constantia omnium maxime conspicuum, summa denique sensuum, animi vitaeque integri-

tate et sanctimonia imprimis clarum ac celebratum, inter omnes constat; nec meum est, qui dicendi copia atque ubertate plane sim destitutus, cuique natura haud dedit ore loqui rotundo, nec suavitate orationis Vestras demulcere aures — in uberiores splendidioresque Viri magni, qui in omnium ubique ore est, laudes latius excurrere. — Eo potius eniti haud abs re fuerit, ut praefaminis loco accurate, etsi succincte, doceatur, quid proprie ad revocandam doctrinae christianae puritatem praestiterit Lutherus, quibusque adiutus praesidiis; et quo iure emendationem sacrorum repetamus a thesibus istis nonaginta quinque pridie Calendar. Novembris anno saeculi decimi sexti decimo septimo Vitembergae valvis templi arcis electoralis affixis?

Erant quidem, haud inficior, ista emendatae doctrinae christianae initia, thesibus illis ad disputandum propositis facta, admodum tenuia. Nulla enim destruendae penitus doctrinae Romano-catholicae imago tum obversabatur menti Lutheri, ne umbra quidem. Aegre modo tulit Vir optimus vane, arroganter, imo blaspheme dicta Io. Tetzelii, monachi Dominicani, qui auctoritate Alberti, Archiepiscopi Moguntini, per Germaniam indulgentias papales, quas vocabant, tum nundinabatur; dolebat modo Vir probus, augeri his literis, veniae datae testibus, animi levitatem et temeritatem populi. Valde quidem indignabatur, quum audiendis confessionibus sedens graviter admoneret homines, ut veram peccatorum poenitentiam agerent atque animum moresque

mutarent, negligere hos homines, ostensis literis Tetzelianis, monita sua vere christiana, atque emendationem animi morumque prorsus spuere; at plene, etsi falso, persuasus erat bonus Lutherus, Pontificem Romanum, atque ipsum Albertum, Moguntinum, simulac impie facta Tetzelii percepissent, haec esse valde improbaturos atque in hunc Tetzelium, improbum et vaniloquum hominem, graviter animadversuros. — Hoc animo probo ac mente recti conscia nihilque mali metuente theses istas nonaginta quinque ad disputandum modeste proposuit Tetzelio, suppresso tamen *illius* nomine, oppositas, eo quidem consilio, ut locus de poenitentia et de discrimine poenarum divinarum et ecclesiasticarum, ad quas solas tam satisfactiones operis, quae vocabantur, quam indulgentias papales referret, accuratius exploraretur fieretque certior. — Sed vehementer fallebatur Lutherus: nemo enim comparuit, qui in arenam descendere auderet, prae metu Pontificis Romani et Archiepiscopi Moguntini eiusdemque Purpurati, quorum prava et sordida consilia alii melius nossent Luthero. — Tale igitur erat initium ecclesiae et doctrinae nostrae evangelicae, sed perquam tenue, quod nihil plane intus alere videbatur, nisi varia incommoda et odia soli bono Luthero inde metuenda; quamquam hae ipsae theses luculenter produnt, longe tum *abfuisse* Lutherum a vera doctrinae christianae puritate. Ipse etiam posthaec acriter conquestus est, tum temporis se adhuc fuisse monachum et insanum papistam, doctrina papali

inebriatum atque Pontifici Romano ita addictum totum, ut primitiae suae theologicae in thesibus illis oblatae nonnisi commiserationem cordatiorum excitare possent. — Reverebatur enim Lutherus in his thesibus auctoritatem sedis romanae atque ecclesiae; non respuebat veniam peccatorum a Pontifice Romano datam; referebat modo indulgentias papales ad poenas ecclesiasticas; a poenis divinis contra, existimabat, homines sola poenitentia posse liberari, nec igitur salutem eorum parari indulgentiis papalibus, nec vero quascunque posse poenas a Romano Pontifice remitti. — Hoc unum erat, quo ab ecclesiae Romano-catholicae consuetudine Lutherus tum secederet, sed firmiter persuasus, Romanum Pontificem sibi plane assensurum; quare culpam omnem divendendis indulgentiis commissam ad solos devoluebat eos, quibus hoc negotium ab Alberto, Moguntino, esset in commissis. Admisit enim thesaurum indulgentiarum ecclesiasticum, imo et Purgatorium, nec respuit satisfactiones, quas vocant, operis. Hoc potius unice doluit, Papam non gratuita caritate, sed pro parata pecunia veniam peccatorum concedere. Itaque id, quod b. Lutherus promulgandis illis thesibus tentaverat, tenue admodum erat purioris doctrinae initium. Haud enim diffitendum, audaciores multo fuisse in reprehendenda curia Romana, qui ante Lutherum tyrannidem illius acriter perstrinxerant, v. c. Ioannem de Vesalia et Ioannem Wesselum, et, qui iis praeiverant, Albigenses, Valdenses, Wiclefitas et Hussitas. Quid? quod ipsa instituta literaria, tum Studia dicta, eaque auctoritate

Pontificis Romani confirmata, v. c. Academia Parisiensis et Bononiensis, acerrime impugnarunt immodicam et cupidam curiae Romanae auctoritatem. Atque saeculo iam decimo tertio renitebatur ipsum Concilium Lateranense quartum, sedem Romanam tum occupante Innocentio III., nimiae indulgentiarum copiae; atque idem egit eodem saeculo Concilium Moguntinum. Nec minus graviter notavit saec. decimo quinto iniuriam nationi et ecclesiae Germanicae a Pontifice Romano factam Maierus, Cancellarius Moguntinus, in epistola ad Aeneam Sylvium, tum Purpuratum, postea Pontificem Romanum, Pii II. nomine insignem. — Nullam tamen censurae illae acres, gravesque querimoniae vim habuere ad perficiendam ecclesiae ac doctrinae catholicae emendationem. — E tenuibus contra initiis istis a Luthero per illas theses modicas et modestas factis tanti prodiere eventus, tantaeque rei Christianae conversiones, ut ecclesia et doctrina Christiana per omnes fere Europae partes novam plane indueret faciem.

Verum enimvero quod tandem modo fere miraculoso hoc tantum opus immensae molis et operae perfici potuit a Monacho, contemto homine, obstrepentibus Caesare, Pontifice Romano, regibus, principibus, episcopis, clericis, monachis, academiis denique fere omnibus? — Sine provida Dei cura tantam rerum omnium, doctrinarum et animorum, conversionem per totam fere Europam existere plane non potuisse, neminem fore arbitramur a partium studio alienum, qui non intelligat. Summam autem sapien-

tiam divinam in regenda rerum universitate nunquam non uti, historia magistra ac duce novimus, rerum naturalium praesidiis. Nec latent nos caussae naturales, quarum miro concursu ea, quibus in historia emendatorum sacrorum adstupescimus, extitere omnia. — Praeivere enim typographiae nuper inventae magnum beneficium, litterarum graecarum ac romanarum acrius studium, ducibus maxime per Germaniam Reuchlino, Erasmo ac Melanchthone, imo linguae ebraicae accuratior cognitio; contemtus clericorum et monachorum apud omnes, quibus cognita esset illorum inscitia, luxuries, morumque prauitas; magna sane invidia, quam merito incurrerat curiae Romanae arrogantia, luxuries et avaritia, apud Principes, imo Caesares et Reges; singularis denique auctoritas, qua per universam Germaniam tum pollebat Fridericus Sapiens, Elector Saxoniae, et fautor Lutheri atque academiae Vitembergensis omnino, cui et ipse Carolus V. debebat majestatem caesaream. Quibus accessit mira Lutheri in indaganda veritate sollertia, in servanda eadem semel cognita, constantia inconcussa, in iudicanda eadem acritas, in defendenda ac tuenda animus imperterritus, et labor indefessus; imprudentia denique hostium, Pontificis Romani atque singulorum doctorum catholicorum, in primis monachorum e Dominicanorum grege, Prieriae, Hochstratenii, Eckii, Winpinae, Cochlaei aliorumque. — Facile enim reprimi potuissent sub initium post theses illas evulgatas ausus Lutheri omnes. Perculsus adhuc erat Lutherus, quod theses ipsae testantur, permagna Papae reverentia, amicas porrigebat manus, sua-

sore inprimis Miltizio. Revocare quidem haud poterat vir veri amantissimus sententiam suam, nisi clare sacris e literis refutatam; sed tacere volebat idem, qui paci servandae valde studeret. Itaque si Pontifex Romanus publica aliqua scriptione improbasset ineptam Tetzelii sedulitatem atque manifestam illius impudentiam; si utrique pugnantium parti, pacis ecclesiasticae studium prae se ferens, silentium imposuisset: sinedubio, promissi probe memor, acquievisset Lutherus, actumque adeo fuisset de perfectiore emendatione sacrorum. Sed acerrimi Lutheri hostes summi iidem fuere promotores bonae causae ab eo defensae, maximeque omnium emendationem rei Christianae clamoribus, conviciis, sophismatibus mirum in modum adiuverunt. Nunc demum Lutherus, sacris literis in dies nutritus, ac iusto pravitatis et mendacii odio inflammatus, vehementi veritatis mordicus et ad necem usque defendendae feruore exarsit. In eundem modum quum decretum Pontificis Romani, quo expelleretur Lutherus ex ecclesiae christianae communione (bullam excommunicatoriam) praeter omnem illius spem et opinionem emanasset, (assensurum enim iustae suae causae Pontificem Romanum, firmiter sibi persuasit bonus Lutherus, qui literis ante ad Sanctissimum Patrem datis, iisque supplicibus et summae in eum pietatis testibus luculentissimis, rem omnem plane exposuerat): tum demum Lutherus, hoc ictus fulmine papali, fere attonitus de auctoritate Pontificis divina dubitare coepit, quod sententiam suam claris Iesu Christi verbis satis firmatam intelligeret. Nec igitur mirum, defecisse tum Lutherum a Pontifice, in

eoqne nunc demum Antichristum fuisse conpicatum. — Quo facto, dissipata quasi caligine ipsius antea oculis offusa in dies clarius videre coepit, unamque temere conceptam opinionem post alteram, quibus antea captus tenebatur, tam cito abiecit, ut anno saeculi decimi sexti vicesimo alius plane evaderet, quam anno decimo septimo, quo theses suas evulgaverat, fuisset, atque citato quasi gressu in cognoscenda veritate divina, eaque fortiter et audacter tuenda, ad annum saeculi tricesimum usque longius subinde procederet. — Quae quum ita sint, facile intelligimus, accedente imprimis magno versionis sacrarum scripturarum vernaculae praesidio, eoque ad spargendam doctrinae evangelicae lucem longe efficacissimo, atque gratissima laetissimaque mente ab omnibus excepto, quo tandem modo e tenuibus admodum initiis, thesibus nimirum illis exilibus male congruis, ex parte aperte falsis, ante hos trecentos annos a Luthero ad disputandum ambigue quidem et fluctuante animo propositis, universa doctrina evangelica, eaque formulae Romano-catholicae e diametro opposita, sensim sensimque, uti lux e tenebris, emerserit, magis magisque exsplenduerit. —

Cuius doctrinae evangelicae veram naturam atque indolem, varias illius vicissitudines, sive laetas, sive tristes: ad nostra usque tempora, usumque multiplicem ab ecclesia nostra ex hac doctrinae indole ac historia hoc ipso potissimum tempore capiendum accuratius nosse quum haud parum referat, praesertim in sancta hac memoriae emendatorum sacrorum

saecularis solemnitate: haec sane omnia ac singula, quae rei ipsius gravitate satis se commendant, hoc praesertim die Ordini Theologorum festo breviter adumbrare liceat. Veniam igtiur Vestram, Auditores omnium Ordinum humanissimi, ea, qua decet, observantia mihi expeto, atque ut dicenti mihi, breviter quidem de rebus grauibus, quum temporis ratio copiosam huius argumenti tractationem haud permittat, aures mentesque praebeatis benivolas, vehementer Vos omnes rogoque.

Quod primum ad veram doctrinae evangelicae naturam atque indolem attinet, nolo equidem rem gravissimam, ne quid pro *lubitu* fingere videar, meis describere verbis; sed ipsum Lutherum in Comitiis Vormatiensibus, anno saeculi decimi sexti vicesimo primo, mense quidem Aprili, hac de re graviter, etsi breviter, dicentem inducere, satius esse existimo. Erant autem verba eius latina haec: „Nisi convictus fuero testimoniis scripturarum „aut ratione evidenti (nam neque Papae neque „conciliis solis credo, quum constet, eos er„rase saepius, et sibi ipsis contradixisse) — „victus sum scripturis a me adductis, captaque est conscientia in verbis dei, — revoca„re neque possum neque volo quidquam, quum „contra conscientiam agere neque tutum sit „neque integrum;" addita clausula germanica hac: „Hier stehe ich, ich kann nicht anders; „Gott helfe mir! Amen!!" — Hisce Lutheri verbis vera ac genuina ecclesiae et doctrinae Evangelicae natura ac indoles accurate expressa continetur: primum, ut libera sit fides

christiana ab omni auctoritate humana; deinde, ut fides christiana a sola pendeat librorum sacrorum et sanae rationis auctoritate. — Reiicit enim Lutherus hoc sermone auctoritatem Romanorum pontificum atque ipsorum conciliorum, hac quidem de causa, quod saepius errassent, ac secum invicem pugnent. Deinde negat se revocaturum, nisi convincatur testimoniis sacrae sripturae aut argumentis sanae rationis. Prius continetur diserte primis loci allati verbis: Nisi convictus fuero testimoniis scripturam; posterius inest verbis: aut rationi evidenti (id quod clarius expressit Lutherus verbis germanicis: od. mit öffentlichen, klaren, und hellenGründen u.Ursachen.) Hae enim causae manifestae et clarae, quae disertis S. S. testimoniis opponuntur, nihil aliud innuunt, quam argumenta ex limpidissimo sanae rationis fonte hausta. Sacrae scripturae vero auctoritatem admisit Lutherus, quod et quatenus in sacris literis divinam revelationem s. verbum divinum contineri sibi persuasit. — Quicunque igitur Iesum Christum, Servatorem optimum, pro divino habet legato, eiusque effata recte intellecta pro oraculis divinis, atque sacram scripturam tanquam regulam fidei reveretur, quod et quatenus revelationem divinam continet, contra vero nihil admittit, quae sanae rationi sit contrarium, omnem denique auctoritatem aliorum mere humanam respuit: is vere et re ipsa ad ecclesiam evangelicam pertinet, aeque ac Lutherus ipse. Sin autem alia plura requiras ab ecclesiae evangelicae socio, v. c. ut iuret in verba Lutheri, inhaereatque omnibus ab eo dictis singulisque illius opinionibus dogmaticis propter solam au-

ctoritatem Lutheri: damnas profecto Lutherum ipsum; hic enim ipse acriter adversabatur iis, qui nomen a se ducere vellent, iniungebatque severe omnibus suis adseclis, ut praeter Iesum Christum neminem alium sequerentur magistrum. Valde igitur errarunt, qui nomen Lutheranorum induxere, ut, qui Lutheri sequerentur formulam doctrinae vel adeo meras opiniones dogmaticas, sollicite distinguerentur ab iis, qui formulae Helvetiae Zwinglii aut Calvini essent addicti. Utrique enim, Lutherani et Reformati sic dicti, in iisdem praeceptis ac regulis evangelicis amice consentiunt, idem propositum persequuntur, eandemque ad metam tendunt omnes. Qui secus sentiunt, formulae Lutheriae per omnia tenaces, atque singulis opinionibus magistri vel levissimis anxie inhaerent, veluti formulae concordiae architecti, in eoque inanem gloriam captant, quod Reformatos aversantur et damnant — hi sane sunt factiosi Lutheriae formulae adseclae, atque, quum vim doctrinae evangelicae minime intelligant, Evangelicorum praeclaro nomine plane indigni. Quid? quod, quum prae nimia reverentia Lutheri singularum illius opinionum dogmaticarum iusto sint tenaciores, eiusque humanam auctoritatem unice sequantur, ab ingenio Viri immortalis tales homines longe aberrant. Ipse enim ita abhorruit in re christiana ab omni auctoritate humana, ut ne conciliis quidem tam pie ab ecclesia catholica tum cultis fidem suam subiiceret: quo ergo iure nos, qui nomen ab eo nacti tanti eundem merito facimus, humanam illius auctoritatem in divinam convertamus? Quicunque igitur certum, defini-

um ac constantem doctrinae typum ecclesiae
Evangelicae obtrudere allaborarunt, hi sane,
tabilita in rebus fidei auctoritate humana, fun-
.amenta ecclesiae nostrae admodum concus-
isse et veri nominis catholicismum in eam in-
exisse dicendi sunt, revocata quasi e postli-
ninio abominabili illa in mentes animosque
iominum tyrannide. —

„At hac libertate evangelica incerta fiunt
omnia; Protestantismus se ipse destruit; stu-
lia Evangelicorum in contraria currunt, ipsi-
que, quid credant, nesciunt.“ Ita clamant ho-
lie haud pauci, ii praesertim, qui Catholicis-
no favent, idque maxime in ecclesia Evange-
ica desiderant, quod auctoritate ecclesiastica
irmum sit ac stabilitum. Sed plane non est,
quod querantur hi homines; nam qui fidem
christianam auctoritati publicae adstrictam esse
vult, habet in ipsa evangelica ecclesia, quod
credat: habet in libris ecclesiae nostrae sym-
bolicis, habet in catechismis provincialibus.
Hoc modo ecclesia nostra Evangelica, si con-
stare sibi velit, sibi haud arrogat, ut qui, cer-
ta quidem persuasione ducti, in nonnullis re-
bus ab antiqua doctrinae formula dissentiant,
eos damnet et expellat; accuratiori potius sin-
gulorum dogmatum disquisitioni ecclesia no-
stra locum facit. At in singulis provinciis,
doctrinae evangelicae addictis, senatui eccle-
siastico hoc inprimis datum est, ut caveat, ne
quid doceatur in ecclesia, quod doctrinae pu-
blicae contrarietur aut pacem ecclesiasticam
turbet. — Egregie denique falluntur, qui fir-

mitatem fidei in ecclesia Romano - catholica obtinere sibi persuadent, atque ipsa hac falsa opinione, historiae dogmatum ecclesiasticorum se plane esse ignaros, luculenter produnt. Quantae enim lites, quanta dissidia, quanta odia, inprimis inter Ordines monachorum, Dominicanorum, Franciscanorum, Iesuitarum et Iansenitarum, hucusque ecclesiam catholicam misere turbarunt! Non modo antiquiores doctores ecclesiastici, Patres vocant, in quocunque fere doctrinae christianae capite admodum inter se dissident, verum et recentiores Romano catholici, ipsique praesules Romani, quorum decreta haud raro inter se pugnant. Atque etiamnum acres agitantur lites inter Pontificis Romani adseclas et Episcopales, Ultramontanos inter et mere catholicos. — Denique pudeat sane eos, qui humanae potius auctoritati, quam divinae fidem submittere, atque coeca se fide corripi, quam ratione uti malunt. — Eo igitur enitendum est cuique, ut certis firmisque argumentis ductus suae etiam fidei certus sit. Quo hoc fiat, evicta primum revelatione divina in sacris literis contenta, certi esse debemus de vero cuiusque S. S. loci sensu, ad iustas interpretandi leges eruendo. Quare mirari subit, nostra aetate esse theologos, qui interpretationem historicam et grammaticam contemtim habeant. Sola quidem verba auctorum sacrorum nosse, hoc certe haud sufficere ad hauriendum plenum eorum sensum, quis est, qui neget? Pio omnino opus est animo et accuratiori ingenii cuiusque et argumenti perscrutatione, ut pios auctorum sacrorum sensus, sententiarum nexum earumque

vim plane percipiamus; sed hoc ipsum est interpretationis historicae, ut accurate in sensa scriptorum eorumque universum ingenium inquiramus, resque ipsas ab iis propositas plane cognoscamus. Itaque assiduo usu opus est et exercitatione cum pio sensu virtutisque christianae studio coniuncta, ne coeca nos et firmo fundamento prorsus carente fide abripi patiamur, nec sensibus duci obscuris, quibus lucis nihil sit admixtum. Hoc enim foret ab ingenio Lutheri quam maxime alienum, qui, etsi pio esset animo et summa rerum divinarum reverentia perfusus, Andreae Carolostadii tamen aliorumque fanaticorum somnia et deliria vehementer vituperaret. —

Quae quum ita sint, veram naturam ac indolem ecclesiae et doctrinae evangelicae in eo potissimum cerni facile intelligimus, ut primum ab omni humanae auctoritatis in eo, quod Christiano credendum sit, imbecillitate et violentia liberos nos sentiamus, eodemque iure, quo Lutherus suo tempore usus est in indaganda placitorum theologicorum veritate, hodienum gaudeamus omnes; deinde, ut, quae credamus, ne quid temere admittere videamur, idoneis argumentis, tum ex ratione humana, tum ex sacra scriptura, recte quidem intellecta, petitis caute superstruamus; denique ut in hoc perscrutandi veritatem christianam negotio sollicite nobis caveamus ab omni intellectus humani audacia et temeritate, ne mens humana sibi adserat res ab ipsa neque cognoscendas neque iudicandas; atque ne reveren-

tiam libris sacris debitam negligamus, eorumque potius frequenti ac diligenti lectione pios animi sensus, quibus alliciamur ac veluti trahamur ad id, quod sanctum est ac divinum, excitemus, alamus, foveamus. — His sane praeceptis divinum regebatur Lutheri, Viri immortalis, ingenium! Hoc et nos ipsi sequamur!

Quibus praemissis rectius nunc de variis ecclesiae evangelicae fatis, sive laetis sive tristibus, iudicare licet. — Inter laeta ecclesiae nostrae fata merito referuntur magni doctrinae evangelicae a primis inde initiis progressus. Ipsae illae theses Lutheri templo Electorali affixae, eaeque in linguam vernaculam translatae intra unius mensis spatium per totam Germaniam sparsae innotuere omnibus. Eandemque sortem benignam nacti fuere, quicunque postea prodierunt, libri et libelli Lutheri, praestantissimique illius socii, Philippi Melanchthonis, cuius praesertim loci theologici omnium plausum ferebant. Omnium autem maxime ab omnibus expetebatur versio bibliorum germanica, quae, ut ipsa praestantissima, ita plurimum faciebat ad doctrinam evangelicam, sacris quidem e litteris haustam, latius diffundendam atque cuique commendandam. — Sed laetam hanc ecclesiae nostrae sortem mox excipiebant tristiora fata, tum ab invidia atque impotentia principum catholicorum profecta, tum e controversiis primorum theologorum orta. Quanquam enim prima doctrinae emendatio per Lutherum facta ab egregiis sane placitis progressa fuerat, ipsa tamen suos iam ha-

bebat naevos, tum ab humanae naturae imbecillitate profectos, tum illi tempori proprios. Quare, neglecto praesertim religionis ac theologiae discrimine, mox obortae fuere inter ipsos theologos novae formulae Lutheriae adscriptos lites acerrimae, quibus deinceps accessit atrocior controversia cum Helvetiis de vi ac potestate sacrae coenae, quae vulgo dicitur lis sacramentaria. Haec vero, quum Helvetiorum animos a causa nostra quammaxime alienasset, Catholicis quidem de internis his ecclesiae nostrae dissidiis et noxis vehementer gavisis, grave ecclesiae evangelicae vulnus inflixit. Conscripta quidem erat Formula concordiae eo consilio laudabili, ut lites Theologorum componerentur; sed, quum ipsa definire vellet, quid a quoque in ecclesia evangelica credendum sit, Catholicismum potius in ecclesiam nostram, quamvis haec pro nativa sua indole omnem auctoritatem humanam in rebus fidei respuat, renitentibus quidem aliis, denuo invexit, atque lites theologorum non consopivit, sed aluit. Atque hic Catholicismus in media ecclesia nostra magis magisque, pro dolor! invaluit, irruente denuo ingeniorum barbarie in philosophando, linguarum inscitia in interpretando, argutias scholasticas captando in exponenda doctrina christiana, neglectu denique iustae κρίσεως in enarranda historia ecclesiastica. Sic sensim abiit salutaris doctrina christiana per Lutherum in lucem protracta in spinosam theologiam scholasticam atque polemicam per totum saeculum decimum septimum, sine ullo quidem fructu erudiendi coetus christiani, donec tandem Spenerus, vir

pius ac doctus, de vera emendatione populi valde sollicitus, expositis quippe piis desideriis, meliorem atque consilio Iesu et verae ecclesiae nostrae indoli accomodatiorem docendi rationem ac modum suaderet suisque impense commendaret. Quum enim maius antea in ecclesia nostra orthodoxiae laudi pretium statueretur, quam animorum pietati, atque, qui liberius de opinionibus dogmaticis sentirent et a publica doctrinae formula vel minimum discederent, catholicae ecclesiae more haereseos maligna nota commacularentur: ille contra Spenerus, vir praestantissimus, rectius atque ecclesiae nostrae verae naturae ac indoli convenientius rem invertere studuit. Atque profecto bene ei res successit, nec quidquam effecere contra pia eiusdem studia inconditi malevolorum hominum clamores aut atrocia coecorum insectatorum convicia. — Sed magis nocuere bonae Speneri caussae pii ipsi illius adseclae, quod in minutiis, imo ineptiis, tanquam certis verae pietatis documentis haererent, bonas literas negligerent, philosophiae studium spernerent damnarentque. Sed rem restituere in ecclesia nostra Buddeus, magnum illud quondam Academiae nostrae decus, Moshemius, Baumgartenius, Ernestius, viri immortales, qui magnam doctrinae copiam cum vera animi pietate coniungerent. — Interim tamen vim atque auctoritatem adhuc retinuit severioris formulae libris ecclesiae nostrae symbolicis stabilitae dominatio. Haec autem a medio inde saeculo proxime praeterito vehementer concutiebatur. Accessit nimirum subtilius philosophiae studium, accuratior sacro-

rum librorum interpretatio, profundior criticae sacrae cognitio, diligentior et cautior historiarum christianarum investigatio, ducibus praesertim Ernestio, Semlero, Tellero, Toellnero, Noesselto, Michaele, Eichhornio, Henckio, Griesbachio, Doederlino, Eckermanno, Koppio, Plankio, Ammonio aliisque. — Docuere hi viri a magna doctrinae copia instructi, multa veteribus Theologis ad probanda dogmata afferri effata S. S., quae rectius intellecta haec non probent. Recte hoc egerunt, iure Evangelicorum usi; modo hoc egerint nec temere, nec cupide, sed certa interpretandi ratione ducti. — Secrevere fabulas ab historia christiana; delectum habuerunt rerum narrandarum. Cum laude hoc egerunt; gratiam iis habemus; modo non sola vitia veterum doctorum, sed bona etiam eorum demonstrauerint, atque pro sua quemque temporis ratione aestimaverint. — Distinxerunt oracula ac decreta sacrarum literarum, quae omni tempore valeant ab iis, quae illi tempori dicta fuerint. Laude sua haud sunt frustrandi, etsi in his rebus discernendis multa cautione opus sit et circumspectione. — Separarunt ea, quae ad religionem christianam pertinent ab iis, quae theologiae sint propria. Bene; modo hos limites ac fines recte constituerint. — Merito reprehenderunt tricas illas Veterum scholasticas, neque sana ratione humana, neque certis S. S. oraculis confirmatas. Laudo. Veteres enim hoc agendo res diuinas ad humanas exegerunt, atque ad humanum ingenium diuina effixerunt. Sed in eo errarunt Recentiores, ut, quum vituperent antiquiores formulas, et ipsi naturam infinitam

ad finitam deducerent ac vi quasi pertraherent, atque res, quae suae plane sint ac propriae ditionis, et ad animum pertineant, culpa μεταβάσεως εἰς ἄλλο γένος intellectus humani subiicerent imperio; unde, proh dolor, res sanctissimae in contemtum fere adductae sunt. Haud igitur mirum est, ipsa recentiorum theologorum culpa, nostra aetate coepisse theologiam et sanctissimam ipsam religionem christianam contemni, inprimis postquam, Steinbartio duce, religio christiana in religionem mere naturalem, seu rationalem, quam vocant, transmutari coepisset, fuissetque adeo philosophia Kantiana, vi moralis interpretationis, atque Schellingiana ope interpretationis symbolicae ac idealis quam vocant, ipsi sacrae scripturae, invitae admodum, obtrusa. — Sed quid dicam de hominibus misellis, qui recentiori aetate pro tenui ingenii modulo sancta omnia profanarent atque vere divina ad humanam imbecillitatem exigerent, Iesum Christum Servatorem Optimum, sancta sua specie ac virtute, divina sua natura ac indole per omnia satis conspicua petulanter ac frivole exuerent, et propria turpitudine libros sacros ac rem christianam omnem contaminarent? — Satius est, nomina horum homuncionum silentio premere, atque aeternae tradere oblivioni. — Nunc autem alii in contraria currunt, qui vel philosophia aliqua mystica, theosophiae veterum simillima, vel reditu ad opiniones theologorum dudum antiquatas rem christianam iuvare student. Laudandus est horum virorum sensus pius et probus; sed an studiis eorum res christiana vere adiuvetur, a theologis cordatioribus merito dubitatur.

Ex brevi hac historiae ecclesiae evangelicae delineatione facile, mea quidem sententia, derivari potest multiplex usus aetati nostrae inde capiendus. — Primum docet aperte haec ecclesiae nostrae historia, semper ei male cessisse, si vel ista, vel aliqua saltem eiusdem pars placita Lutheri supra exposita, tamquam vera principia instauratae ab eo doctrinae christianae, deseruerit; sive libertatem ingeniorum auctoritate externa vel adeo poenarum severitate coercuerit, sive a divina sacrorum librorum norma incogitanter recesserit, sive intellectus humani imbecillitati et audaciae temere indulserit. Quae quidem res recte observata cautos sane nos reddet, tam in perscrutanda fidei christianae veritate, quam in regenda re publica christiana. Itaque sollicite separabimus religionem christianam a theologia ecclesiastica, nec hanc cum illa ita permiscebimus, ut, mutata theologiae ecclesiasticae forma, eaque paululum inflexa pro ingenio ac necessitate temporis, religionem christianam ipsam collapsam et prostratam nobis persuadeamus. Nam vere adhuc est, non evanuit, quod nonnulli criminantur, ecclesia evangelica, iisdem fundamentis nixa, iisdemque adstricta legibus, quas sibi ipse scripserat Lutherus. Firma stat haec ecclesia et inconcussa stabit, quamvis Theologi nostrae aetatis mitius sentiant ac antiquiores, multaque abiiciant, quae Veteres admodum probassent. Sed et haec ipsa mutatio disciplinae theologicae cautius est instituenda. Quare merito reprehenduntur et atro carbone notantur, qui, aestu abrepti iuvenili, quo ingenii perspicaciam aliis probent,

multa in theologia novare student, quae re diligentius pensitata, si firmata aetate maturuerint, iterum abiiciunt. Quae enim hi damna aliorum animis ingenii sui audacia improbe inflixerunt, ea sera auctorum poenitentia non facile reparantur.

Deinde hoc nobis Evangelicis datum esse existemus, ut, non qui verba Lutheri sollicite teneant, eiusque opiniones dogmaticas omnes ac singulas anxie ac presse sequantur, sed qui ingenio potius Lutheri, legibusque, quas ipse sibi scripserat, quibusque vera absolvitur natura et indoles ecclesiae evangelicae, sentiendo agendoque regantur, pro vere Lutheranis a nobis habeantur. Quamobrem, qui saeculo decimo sexto et septimo γνησίους Lutheranos se adpellavere, quod verba Lutheri acriter tenerent omnesque secus sentientes damnarent insectarenturque, non veri fuisse Lutherani censendi sunt, sed Evangelicorum potius nomine ac gloria prorsus indigni. Evangelico-reformatae contra formulae addicti, modo liberalioris sint ingenii, legesque ecclesiae evangelicae principes sibi etiam scriptas esse putent, omnino digni habendi sunt, qui in communionem ecclesiae nostrae recipiantur. Hi enim sunt christiani vere Evangelici, eodemque Protestantismi, quem vocant, ingenio, quo nostra ecclesia, reguntur, atque eodem animo ecclesiae Romano-catholicae arrogantiam fortiter debellant. — Tentarunt ergo iam pridem post tempora Lutheri permulti Theologi utriusque formulae evangelicae unionem ecclesiasticam a Davide Pareo, Theologo Heidelbergensi, inde ante du-

centos annos, sed frustra. Sequebatur Pareum e Reformatorum coetu Io. Duraeus, qui omnem lapidem movebat, ut unionem efficeret; multa itinera fecit, colloquia cum theologis instituit; unionem utriusque ecclesiae scriptorum copia commendavit: nihil effecit. Idem tentarunt Moses Amyraldus, praeclarus Galliae theologus, Io. Henricus Hottingerus et Io. Henr. Heideggerus, Theologi Helvetii, Io. Alphons. Turretinus, Genevensis, Samuel Strimesius, Borussus, Samuel Werenfelsius, Basileensis; nec non inter nostrates, Georgius Calixtus, Helmstadiensis, eiusque filius, Fried. Ulricus Calixtus, Casparus Galvoerius, Brunovicensis, praesertim ante hos centum annos Christophorus Matthaeus Pfaffius. Theologus Tubingensis celeberrimus, una cum Klemmio; sed nihil promoverunt: obstitere enim pertinacissime defensores antiquae formulae. Res tempori erat relinquenda. Tempus nunc adest; aetati nostrae melius ingenium cessit; et vero lubens cedit praeses Ordo Theologorum Ienensium, argumentis ductus supra expositis, molliori huic temporis nostri ingenio. Huic enim non cedere, quum plane consentiat cum primis ecclesiae nostrae legibus, summo sane nobis foret dedecori. — Sed unio cum ecclesia Romano-catholica, toties expetita et nostra aetate inprimis commendata, summa profecto laborat difficultate, si maiorem quidem postules unione conservativa, quae iam obtinet, atque adeo legibus civilibus per totam Germaniam nunc est sancita. Nam duarum unionis specierum, absorptivae et temperativae, quae cogitari possent praeter unionem illam conservativam, neutra salvo ecclesiae evangelicae fun-

damento poterit a nobis admitti, nisi prius ecclesia catholica auctoritatem ecclesiae in rebus fidei missam fecerit. Unio temperativa, qua mollius explicando dogmata utraque pars Christianorum invicem concilietur, non sufficit ad perfectam ecclesiarum unionem, nisi simul excludatur auctoritas ecclesiae in iis, quae a nobis credenda sint; id quod nunquam concedet ecclesia catholica. Nam non solum agitur inter ecclesiam catholicam et evangelicam de summa aliqua credendorum maiori aut minori (quod falso plerumque sumitur), sed de libertate ecclesiae et ingeniorum a tyrannide ecclesiastica. Atque talem unionem temperativam colloquendo perfici non posse tota clamat historia conciliorum, synodorum et colloquiorum per omnia saecula. — Itaque alia nulla locum habere potest unionis cum ecclesia catholica species, si conservativam exceperis, nisi absorptiva, ut vel ecclesia catholica ius decernendi fidem christianorum mittat, seu, quod idem est, ut plane transeat ad placita ecclesiae evangelicae, atque desinat esse illa ipsa ecclesia catholica; id quod ab ea haud sperandum est; vel ut nos Evangelici tamquam filii hucusque immorigeri redeamus poenitentes ad matrem, ecclesiam scilicet sanctam et catholicam, qualem se gerit coetus ille Romano-catholicus, eique fidem nostram demisse ac serviliter subiiciamus, atque libertatem omnem, qua hucusque usi sumus, ab imperio ecclesiae ac dominatione in animos hominum missam faciamus, amittamusque prorsus cum hac libertate ecclesiastica fructus etiam omnes instauratorum sacrorum, quorum piam memoriam per hos dies

festos sancte celebravimus. Quis quaeso nostrûm intolerabili huic iugo ecclesiae denuo se immitti patietur? Insaniunt igitur, qui ecclesiam evangelicam ad indignum hoc facinus sollicitare audent. — Recusent demum Catholici immanem sedis Romanae dominationem; contineant ecclesiae auctoritatem iustis disciplinae ecclesiasticae cancellis, concedant usum libertatis in indaganda opinionum veritate: tum demum agi poterit de restituenda unione ecclesiae. Haud caret quidem ecclesia catholica viris doctis ac probis, praesertim in Germania summa laude dignissimis, et summopere a nobis suspiciendis, quorumque ex ingenio facile reparari posset unio ecclesiarum exoptatissima; sed longe abest a tali unione vere christiana ingenium ecclesiae catholicae universae, praesertim curiae Romanae. —

Denique historia ecclesiae evangelicae, praeterito inprimis saeculo, manifeste docuit, libertatem ingeniorum tum demum ecclesiae christianae fieri perniciosam, destitutum si sit veritatis studium haud fucata animi pietate. Nos debemus quidem id, quod in quaque re verum est, pro viribus indagare, atque errores detegere, pellere, nam amor veritatis divinitus nobis est inditus. Neque est, quod vera religio christiana lucem rationis humanae metuat: falsa si sint nonnulla doetrinae eccletiasticae capita aut depravata, haec emendentur. Sequamur Lutherum, qui errores, naevos purae doctrinae christianae ab ecclesia catholica adspersos forti et constanti animo iterum abstergere studuit. At eodem Lutheri exemplo admoniti

veritatem sectemur et errores debellemus sine ulla cupiditate aut temeritate, sed pio in Deum Christumque animo, ac iusta, quae divino sacrorum librorum argumento debetur, reverentia; longe autem a nobis propellamus, in perscrutandis rebus divinis, intellectus humani imbecillitatis probe memores, perniciosam animi levitatem, impietatem atque proterviam. Quapropter rogo atque obtestor Vos omnes, quibus iuvenum erudiendorum ac formandorum cura commissa est, ut pio ipsi perfusi animo ac sensu perculsi divino, hos, quibus veritatis indagandae studium a Vobis instillandum est, pio praesertim sensu in Deum et Christum, Servatorem, imbuatis, ne libertas ingeniorum, quae ecclesiae evangelicae omnino tuenda est, in pravam ac perniciosam abeat licentiam. Quae enim mala infestaverunt nostra aetate ecclesiam, haec profecto non promanarunt ex limpidissimo doctrinae evangelicae fonte, sed ex animi humani levitate et improbitate, ex mente a Deo rebusque divinis plane aversa, atque ex abominabili ac in Deum Christumque iniuria sentiendi dicendique licentia. Hanc maxime improbat et detestatur ecclesiae evangelicae pietas. —

Quae quum ita sint, maximas Numini supremo grates persolvamus pro summo beneficio purioris doctrinae atque emendatorum sacrorum per Lutherum nobis concesso. Emersit tandem feliciter lux e tenebris. Penetravit haec doctrinae evangelicae lux totum fere terrarum orbem, illustravit paene omnes artes atque scientias, perruptis dominationis Pontificis

Romani vinculis; atque restituta feliciter ingeniorum libertate. Imo ipsi ecclesiae romano-catholicae ex emendatione illa sacrorum multum sensim lucis accessit, repercussis quasi veritatis divinae radiis. Adiuvit tandem haec doctrina evangelica veram animorum pietatem, abiecta nimia caerimorum variorumque exercitiorum religiosorum fiducia, una ac sola fere antea populo christiano commendata. — Inprimis autem summas Deo immortali grates habeamus pro conservata per terras Saxonicas doctrinae evangelicae luce, praesertim in nostra literarum Universitate Ienensi, prima post instauratam doctrinam christianam Germaniae academia medio seculo sexto et decimo eo consilio fundata et inaugurata, ut doctrina evangelica stabiliatur atque amplificetur. Nunquam defuere Academiae nostrae sapientissima Serenissimorum Saxoniae Principum cura viri docti et pii; nunquam defuere, qui doctrinae copiam ac lucem cum vitae morumque sanctimonia amice coniungerent. Exsplenduit recentiore potissimum aetate Academia nostra haud impedito libertatis ingeniorum usu, eoque mire aucto venia libere docendi scribendique sapientissime ac liberalissime ab Augustissimo Principe ac Magno Duce, Carolo Augusto, Patre patriae per totam Germaniam celebratissimo, ac Musagete munificentissimo, nobis omnibus concessa. Id modo nobis cavendum, ne abutamur impie insigni hac ecclesiae nostrae libertate, nec eam conspurcemus ineptiarum et vanarum opinionum pravitate et temeritate. — Quis tandem non miretur gratissimoque animo veneretur singularem curam ac munificentiam Serenissimorum Saxo-

niae Principum, Caroli Augusti, Magni Ducis Saxoniae, atque Augusti, Ducis Saxoniae, Nutritorum Academiae Clementissimorum, qua nuper hanc literarum Universitatem ad augendam illius gloriam et celebritatem, atque ad condecorandam memoriae saecularis Lutheri pariter atque instauratorum ab eo sacrorum sollemnitatem splendide exornarunt. Res nostras egregie ac munificentissime auxerunt, Viros doctrinae laude conspicuos Collegio Professorum adiunxerunt, novas leges, quibus regantur Academiae cives, condiderunt, novaque instituta, praesertim quae ad Theologorum Ordinem spectant, v. c. Collegium Repetentium, quos vocant, atque Seminaria varia, theologicum, homileticum et catecheticum, antiquioribus, quae iam dudum apud nos florent, liberalissime addiderunt. Nostrum nunc est, ut tanto novorum beneficiorum cumulo recte utamur, non modo ad amplificanda bonarum literarum omnis generis studia, verum etiam ad maiorem Dei gloriam. Quamobrem, quum Academia nostra schola sit christiana, pie coniungamus cum diligenti institutione studiosae iuventutis, summam Iesu Christi, Servatoris Optimi, dominique ecclesiae suo sibi sanguine paratae reverentiam, perennemque Lutheri, immortalis ecclesiae nostrae Conditoris, atque purioris doctrinae evangelicae Vindicis, memoriam. — Hoc igitur nobis omnibus agendum est, ut hunc pii gratissimique animi sensum quacunque data occasione verbis factisque exprimamus nostrisque impense graviterque commendemus.

Tu autem, Pater coelestis, sapientissime ac benignissime rerum omnium moderator, serva ac tuere ecclesiam Tuam filii Tui dilectissimi sanguine partam, ut immensis Tuis beneficiis haud indigna reperiatur. Fac, ut ecclesia nostra evangelica magis magisque crescat, et recta rerum divinarum intelligentia, ac vera animi pietate, vitaeque morumque integritate in dies amplificetur. Serva ac tuere hanc etiam literarum Universitatem christianam, ut semper floreat, faustis quidem auspiciis Serenissimorum Ducum Saxoniae, Nutritorum illius Munificentissimorum, praesertim Magni Ducis, Caroli Augusti, Rectoris Academiae Magnificentissimi, quibus benignus semper adsis, quorumque vitam in salutem huius civitatis literariae, terrarumque omnino ditioni suae subditarum longissimam esse iubeas, omnique felicitatis genere cumulatissimam. Adsis, o supremum numen, Tua gratia Tuoque auxilio omnibus doctoribus ac professoribus, ut ad seros usque annos doctrina et exemplo academiam nostram ornent, et quavis prosperitate gaudeant. Adesto, precor, meo quoque Theologorum Ordini, cui inprimis datum est, doctrinae evangelicae puritatem tueri, libertatem defendere, futuros verbi divini praecones ad munera ecclesiae bene ac pie obeunda recte formare, iusta ac perfecta rerum divinarum cognitione eos imbuere, atque indefesse et enixe institutione suoque ipsius exemplo admonere, ut nunquam non cum sincero veritatis evangelicae studio animi pietatem christianam vitaeque sanctimoniam arcte coniungant, ne vitae improbitate incrementis ecclesiae evangelicae,

imo ipsi saluti publicae, magis obsint, quam prosint. Adiuva denique cives academiae nostrae omnes ac singulos auxilio Tuo benignissimo, ut propositi haud immemores diligentiam et morum castitatem per totum vitae academicae curriculum praestent, piumqne animi sensum sancte servent et tueantur. — Adiuva nos omnes spiritu Tuo sanctissimo, sine quo nihil valemus, ut gratia Tua immensa ne indigni reperiamur. Amen!

D i x i.

